

LIBRARY OF THE
AMERICAN BIBLE UNION
Presented by
Purchased.
No. 2400.

IOANNIS DAVIDIS MICHAELIS


SPICILEGIVM GEOGRAPHIAE HEBRAEORVM EXTERAE POST BOCHARTVM.



PARS PRIMA.



GOETTINGAE
SVMTIBVS VIDVAE VANDENHOECK.
MDCCLXIX.





De geographia Hebraeorum extera, id vero est, de gentibus, regionibus, urbibus, extra Palaestinam sitis, quarum mentio fit in codice Hebraico sacro, doctius nemo copiosiusque egit Bocharto, ad cujus librum aeternitate dignum, Phaleg et Canaan, recurri ab interpretum optimis solet, si qua difficilior incidit quaestio geographica. Non solum enim nemo post illum totam eam geographiae partem scribendo complecti ausus est, sed et, qui in commentariis aut obiter, novas nominum geographicorum explicationes attulerunt, plerumque doctrina veterumque lectione Bocharto impares, conjecturis etymologicisque lusibus fuerunt audaciores. Cellarius, qui et doctrina antiquitatisque omnis cognitione, et ingenii felicitate in vero recte inveniendo, modestiaque conjecturarum luxuriem compescente, praeferendus Bocharto videtur, cum ex Graecis potius Latinisque monumentis orbem antiquum describendum suscepisset, non nisi raro et

obiter geographica codicis Hebraici extra Palaestinam explicat. Medii quoque aevi geographiam meditabatur, quam si perfecisset, in Asia certe describenda multum lucis Hebraicis adfusurus fuisse videtur. Sed hac cum careamus, consulere neminem possumus Bocharto aut meliorem aut parem.

Nec tamen mirum, eum qui primus tantum opus adgressus est, non omnia vidisse, spicilegiique haud tenuis occasionem posteris reliquisse. Eo vivebat tempore, quo ne recentiorem quidem Asiam satis cognitam habebant geographi, qua ignota difficile est, de antiqua scribere. Namque et multis in rebus errari necesse est; locorum situ, fluminum montiumque flexibus, rivis, fontibus, regionibus denique et urbibus interioris Asiae ignoratis, quae omnia ex solis antiquis nemo perfecte discet: et multa nomina locorum populorumque antiqua et barbara, quibus Graeci Latinique non utuntur, nova ac Graeca ponere soliti, in hunc usque diem manserunt, geographiamque Hebraeorum mirifice illustrant. Sed his opibus atque adjumentis, non sua culpa, sed seculi infelicitate ac socordia Bochartus carebat: nullus dum geographiam susceperat Buschingius, ac vix nunc demum incipimus Asiam nostri temporis noscere adcuratius. Itinerum Asiae et Africae commentarii optimi et praestantissimi post mortem demum Bocharti prodierunt: quos autem habebat, illis (hoc quoque pro sui temporis more) non satis utebatur, antiquorum lectione plus quam par est contentus, recentiora ac nostra nimis docte negligens, quod non in geographia solum sed et in animalium historia ei fraudi fuit. Orientales geographi quae prodiderunt, minus quoque tunc ab aliis excussa. Arabum tamen scriptis ipse utebatur, exque

illis

illis multum lucis geographiae Hebraeorum attulit: at quae ex Syrorum monumentis eruit, duplicem indicem geographicum bibliothecae suae Orientali intexens, Assemanus, ea omnia Bocharto sors diu antea nascendi inviderat.

Haec tempori imputanda, non homini eruditissimo. Sunt autem et sui Bocharto naevi, in quibus primus, quod nimis etymologiis nominum propriorum, et vero ex lingua Hebraica petitis, indulgebat, quaestiones geographicas, quae totae sunt historicae, in etymologicas mutans. Id vero felicius ei procedere non potuit, quam si quis historiam ex nominibus propriis regum, aliorumque virorum illustrium etymologiae ope scribere adgrediatur, eaque omnia nomina non ex propria gentis lingua, sed ab origine Hebraica repetat. Saepe de hoc errore in nostro spicilegio dictum, maxime pag. 17. 18. 293-297. Deinde testium aliquando non eam habet rationem, quam haberi in quaestione historici generis fas erat: testes hic autem, latius sumto nomine, dico interpretes eo tempore viventes, quo aut nomina antiqua adhuc apud exteros Judaeosve in usu esse potuerunt, aut aliunde constare, quem populum urbemve veteres Hebraei hoc vel illo nomine indigitarant. Jam autem hos testes nec diligenter satis nec omnes audit, etymologiis intentus; jam singulos nihil absurdi dicentes, nullo argumento adlato, una voce repudiat; jam et plurium consensui etymologicas suas conjecturas praefert. Josepho inprimis, bono scriptori, haud raro est iniquior, quae ille habet non expendere, atque aliquando ne referre quidem dignatus. Sunt in his, fateor, quae ita absurda videbantur Bocharto, ut ne refutatione quidem digna essent: sed ea ipsa adcuratius considerata melio-

rem aliquando explicationem admittunt, ut, cum Gomerum Galatarum patrem fecit. Distinguenda etiam in Josepho erant, quae dubitanter scripsit, conjecturas faciens, ab his, quae ut certa posuit, horumque potior ratio vel ideo habenda, quod ignorare alia ausus est Judaeorum historicus, nec receptas suo tempore explicationes sine selectu arripuit. Sic, ut rem in exemplo ponam, Caphthoraeos se ignorare fassus est, licet LXX aliique non dubitanter Cappadoces interpretati essent. Atque hoc ipsum ad tertiam me Bocharti reprehensionem deducit, si virum, quem tanti facio, reprehendere dici possum. Nihil fere ignorare didicerat, nimis fidenter de obscurissimis nominibus, atque etiam de ἅπαξ λεγομένοις, *sine teste, sine nominum concentu, jam adseverare, jam conjicere solitus. Raro dubitantem videas, rarius aliquid plane ignorantem. Suspecta ea scientiae copia, maxime ubi nominis semel omnino positi, et obscuri, veram interpretationem non magno labore quaesitam, brevique disputatione defunctus, nimia pene felicitate invenit. Denique et hoc displicet, quod nonnunquam sententiam, nescio qua de caussa, nullis certe testibus nec nominum concentu commendatam, arripit, semelque in patrocinium susceptam, omni ornat, quae in ipso maxima erat, doctrinae varietate, argumentorumque, in quibus non vis probandi sed numerus spectabatur, multitudine confirmare annititur. Insigne rei exemplum Ludaei, quibus Abessiniam Cuschaeis ereptam, possidendam tradidit. Oblitus pene eram audaciae in literis addendis, demendis, permutandis, transponendis, quando nomina Hebraica paulo obscuriora Graecis Latinisque comparat, exque concentu rem agit. Sed et hoc inde, quod quidquam ignorare non consueverat. Ubi enim nihil praeter nomen gentis, semel admodum posi-*

positum, legitur, ut, Sabthae *et* Sabthecae, *nec quidquam lucis adfulgebat, cum puderet, vel sibi ingenue fateri ignorantiam, ita mutabat detorquebatque nominum literas, donec aliud nomen a geographis memoratum prodiret, ut his fidiculis quidvis exprimi ex quolibet sono ignoto potuisset. Non is sum, qui mutationes literarum modicas negem, maxime in nominibus propriis: concedo etiam, si exteri illa scribant adpellentve, ut Graeci barbara, insolentiores nonnunquam mutationes fieri posse, ut aegre primum vocabulum agnoscamus. At hoc ubi accidit, non eo valet paucarum literarum residuarum concentus, ut inde probari queat, Graecum nomen eam gentem urbemve designare, cujus vocabulum Hebraicum tam sonat diversum; sed aliis argumentis, aut testibus antiquis, perficiendum est, urbem gentemve eandem esse, ac tum demum diversitas soni, Graecorum more, barbara detorquentiam, excusanda.*

Fuerunt, qui hos ob naevos Bochartum contemnerent, ac toti libro ut conjecturarum pleno diffiderent, novas forte ipsi et audaciores conjecturas tentaturi, injurii certe in magnum virum, qui multa egregie tractavit, et a quo vel errante saepe doctior recedas. Mihi vero attente eum legenti, atque cum neminem hucusque plus geographiae Hebraicae lucis praestitisse ntelligerem, multa tamen desideranti, justius visum est, et ad geographiam antiquam perficiendam utile, addere quae omiserat, quare et spicilegii post Bochartum *titulum libro meo praefixi. Nempe non ea repeto, quae Bochartus recte et vere disputavit, sed lectores ad ipsius geographiam breviter indicata sententia remitto: si quid novi pro ea sententia suppetit, addo: a quibus dissentio, ea arguo, atque, ubi possum, melio-*

 rem

rem nominis interpretationem adfero. Antiquos interpretes, quorum auctoritatem majoris facio, quam Bochartus, ubi ab eo minus diligenter auditi expensique sunt, omnes produco, comparo, eaque aequitate dicta ab illis explico et intelligo, ut malim eos vera retulisse, quam errasse: quod ubi facio, eos quoque testes, quorum mentionem Bochartus jam fecerat, iterum nominare necesse habeo, alias a repetendis Bochartianis abstinens. Nolo enim illum compilare, lectoribusque iterum obtrudere, quae ab ipso scripta aut legerant antea, aut possunt legere. Quare et hoc primum ab omnibus peto, ut Bochartum in manibus habeant, caputque, in quo de eodem argumento egit, semper a me indicatum, perlegant: sic demum meis uti poterunt, statimque intelligent, quid Bochartianis addiderim, ac si quando dissentio parte utraque audita judices sedebunt.

Est et, quod de occasione hujus spicilegii post messem Bochartianam tentati scire lectores velim. Collegia critica in difficiliores codicis Hebraici pericopas habere soleo, in quibus auditores et colligendis dijudicandisque variis lectionibus adsvefacio, et copiosius de singulis verbis disserens, rationem in exemplis doceo, de significationibus verborum Hebraicorum anquirendi: quorum collegiorum specimen, psalmorum decimi sexti, quadragesimi, et centesimi decimi explicationem criticam, ante aliquot annos lingua Germanica edidi. In his ergo collegiis cum bis caput decimum Geneseos, ac semel vicesimum septimum Ezechielis, utrumque pene totum geographicum, tractassem, in schedis meis, memoriae caussa scriptis, hic liber me prope nesciente constitit. Certe ex istis schedis librum scripsi, excerpens, quae Bochartus non habebat, reliqua omittens. Jam in-

intelligetur, unde factum sit, ut varias lectiones textus Hebraici, nec nominum modo geographicorum, sed et caeteras notarem. Geographica disputatio non potest carere illa singulorum verborum critica, quae ad omnes literarum varietates attendit, illasque quantumvis minutias notans veram lectionem, si fieri id possit, a falsa secernit, nonnunquam et dubitat, ac de utriusque lectionis sensu dispicit. Cui enim dubium videbitur, quin multum ad interpretationem ipsam intersit, quod vocabulum sumas explicandum? Thogarma, *an* Thorgama? Rhodanim, *an* Dodanim? Achar, Achad, *an* Archad? Casluchaeos *quaeras*, *an* Chasmonaeos? Caphthoraeos? *an* Caphthochaeos? *Has ergo varietates lectionis cum indicare necesse esset, a Bocharto plerumque aut omissas, aut non satis diligenter expensas, inque schedis meis reliquas quoque notassem: gratum me facturum putabam lectoribus omni totius capitis varietate indicata. Neminem certe id aegre laturum confido, nostro maxime tempore, quo studia critica fervent. Commilitonibus, qui isti collegio interfuerunt, (colloqui autem cum illis, et studia interrogando provocare soleo,) si qua conjectura verisimilior subnata, honori suo auctori futura, illam quoque addito commilitonis nomine indicavi, sententiamque de ea dixi.*

Non solam codicis Hebraici, sed et versionum antiquarum geographiam illustrare soleo, ipsosque earum errores explicare: quod nolim in parergis numerari. Namque et prisci interpretes testium mihi quodammodo loco sunt, quos non audiri solum oportet, sed et intelligi: et pars antiquae geographiae est, si quid geographici in bibliis Graecis, Chaldaicis, Syriacisque occurrit, explicatu non indigna, sed quae peculiari libro

vix tractabitur, commodiusque ad geographiam antiquam Hebraicam referetur. Certe, ut exemplo utar, nec supervacaneum mihi nec alienum ab hac scriptione laborem suscepisse videor, pagina undecima usque ad decimam quintam Garmaeos Chaldaeorum interpretum illustrans; illud enim nomen male intellectum occasionem errori dedit late propalato, Gomerum, aut aliquem ex filiis ejus, conditorem Germanorum esse.

Reliquis autem omnibus diligentius illustrandum Josephum mihi sumsi: partim ob ejus virtutes, de quibus quid sentiam alibi exponam, partim quod a Bocharto injuriam ei fieri, ejusque geographica nimis contemni videbam, denique quod a doctissimis viris, qui notas in eum scripserunt, multis in locis Josephum non intellectum deprehendebam. Disputatum adeo de illo, Graecane an Hebraica biblia legerit? Utraque sane, ut planum facere possum. Ii vero turpissime falluntur, qui Hebraicae linguae peritiam ab illo abjudicant. Grammaticarum legum imperitior (fateor), quod nondum Grammatica mortuae linguae inventa esset, verborum significationes multo plures noverat, quam illi ipsi, qui de eo judices sedere audent. Verum saepe alia in suis legebat codicibus Hebraicis, quam nos in nostris, (quod si opus est sat magnis variarum lectionum ex eo excerptarum copiis confirmare possum) jam significationes verbis Hebraicis subjiciebat, lexicis nostris ignotas, usu tamen reliquarum linguarum orientalium confirmatas. Alterutrum ubi accidit, doctis istis viris, qui Hebraica sua omnia in lexicis, commentariisque habebant, de lectionis autem varietate nihil suspicabantur, valde indoctus

ctus visus est; aliquando etiam plane mentiri, historiamque sine auctore confingere.

Graecos scriptores, patres maxime, si qui sua ex Graecis bibliis hauserunt, non indicavi: nomina enim sunt, non testes. Recentiorum post Bochartum conjecturas etymologicas nec excerpere volui, nec refellere: satis enim superque in ipso Bocharti libro etymologiarum. Hinc fit, ut raro Hilleri nomen compareat, licet in Onomastico geographica quoque tractantis. At si quid veri post Bochartum ab aliis inventum est, laetus gratusque usus sum, ut Swintoni illo nummo, ex quo primus nos Caphthoraeorum patriam docuit. Uni autem Assemano plurimum debeo.

Non displiciturum confido lectoribus, quod in tanta rerum antiquitate et obscuritate ignorare aliquid et dubitare ausus, aut plane ignotum populum esse, ubi necesse est, fateor, aut commemoratis antiquorum explicationibus, certam sententiam ipse non habeo. Nolui tamen illis de gentibus omnino silere: meis enim et collectaneis et dubitationibus juvari lectores poterunt ad verum inveniendum. Conjecturas ubi propono, conjecturas esse profiteor. His quoque forte alii utentur, easque aut confirmabunt, aut refellent.

De nominibus obscurioribus, quae Arabici interpretes interdum ponunt, saepe interrogare cupiebam geographum Nubiensem: sed nancisci illum omni eo tempore, quo schedas meas conscribebam, non potui. Latinam versionem habebat bibliotheca academica, sed ex qua

qua id, quod quaerebam, discere non licebat. Tandem parte spicilegii typis jam descripta libro diu desiderato ex Clewbergiana bibliotheca redemto sum potitus: utque melius eo uti possem, non satis habui illum legere, sed indicem mihi nominum geographicorum, ex eo componere coepi, quem statim si quid memoria negaret, evolvere possem. Haec vixdum facere incipientem morbus oppressit, plus quam duo menses aut lecto me adfigens, aut paucas aliis diebus horas mihi relinquens, quibus reliquam partem spicilegii, dimidiam pene, perfeci. Ex hoc ergo scriptore forte spicilegium spicilegio meo addam, cum pars secunda prodibit.

Omnem autem de geographia Hebraica scriptionem sic dispertior. Primo caput decimum Genesis, brevem tanquam encyclopaediam geographiae exterae Hebraeis cognitae, ut filum dicendorum sequor. Ad hoc refero, quidquid iisdem de populis urbibusque totus codex Hebraicus habet: unde illo absoluto, facile dimidia parte laboris defunctus videbor. Hinc ad locum Mosis de situ paradisi, atque ad caput Ezechielis XXVII, quod totum prope geographicum est, accedo: atque ejus quoque explicatione ad finem perducta, tomo tertio geographica servo, quae passim per codicem Hebraicum sparsa illustratione opus habere videbuntur.

Totum caput decimum Genesis, dimidiam fere geographiae Hebraicae partem, nolui primo tomo complecti: sed Semi posteros secundo tomo seposui, sperans, interim prodituros commentarios itineris, AVGVSTISSIMI DANIAE REGIS *jussu in felicem Arabiam suscepti, ea quae de Joctanitis habet Moses no-*

va luce perfusuros. Japhethi ergo et Chami posteros, seu viginti versus primos capitis nostri, huic primo tomo destinaveram. Sed morbus, qui me toto Februario et Martio mense oppressit, et e quo necdum prorsus convalui, obstitit, meque coegit, in Aegyptiorum coloniis desinere, gentesque Cananiticas, Genes. X, 15.16.17.18. tomo secundo seponere.

Cum in decimo Genesis capite populi nominentur, ab ea Arabiae parte in qua Moses scripsit valde remoti, inque illa generis humani infantia angustis finibus circumscripta fuisse videatur geographia: suaserunt amici, ut in praefatione exponerem, unde terrarum tam dissitarum notitiam habere Moses potuerit; doctiorem enim, quam pro temporis ratione sperari possit, hoc eum in capite esse.

Primo quidem facile mihi concedetur, 'Arabiam Mosi, in qua quadraginta annos privatus ac pastor, totidemque dux magni populi vixit, satis cognitam esse potuisse.' De Cuschaeorum ergo in Arabia sedibus et coloniis, deque Joctanitis non opus disputatione erit. Id unum moneo, in Joctanitis describendis Mosen solito fieri copiosiorem, quod et in Arabia habitarent, et proxima Hebraeos cognatione attingerent. Deinde nec negabitur, regionem ad Euphratem et Tigrim, veram suae gentis patriam, unde et Abrahamus egressus, et in qua proavus adeo Mosis, Levi, natus est, notam esse homini docto,

 mul-

multorumque librorum antiquorum lectori, potuisse: talem autem Mosen fuisse, ex parergis historiae exterae, quae aliud agenti passim exciderunt, liquet. De Assyriae certe initiis ita in hoc ipso capite egit, ut facile adpareat, illarum regionum historiam curae illi fuisse. Ergo de Arabia, Chaldaea, Mesopotamia et Assyria, nemo forte dubitabit, quin Moses ea scire potuerit, quae scripsit.

Aegyptiorum doctrina si a teneris eruditus excultusque Moses fuit, quod ut concessum a plerisque sumo, potuitne eas colonias Aegyptiorum ignorare, quae versu 13. et 14. commemorantur quarumque memoria illo tempore adhuc recens erat? aut mirumne videbitur cuiquam, interiora Africae, ut Abessiniam et Nubiam, aeque illi ut nobis, ac melius etiam, cognita fuisse? Vicina sunt Aegypto, qua, opibus, potentia, doctrina, commerciis florente, latere nequeunt. Si ergo, qui Aegyptio more erudiebatur Moses, in geographia gentis non plane hospes fuit, omnia illa, et multo plura, potuit scire debuitque, quae in decimo capite de Cuschaeorum Aegyptiorumque per Africam coloniis legimus.

Si quid in Mose vel mediocris prudentiae fuit, nullius in toto terrarum orbe populi res omnes magis ad se pertinere arbitrabatur, explorabatque diligentius, quam Cananaeorum. Huic enim populo quadraginta per annos bellum inferre parabat,

bat; ſtatimque in initio, anno exitus ſecundo, exploratores miſit, de tribubus, regionibus, urbibus, ingeniis relaturos. Jam minutum; Phoenicum varias gentes verſu 15, 16, 17, 18. curioſius a Moſe numerari, quam alias ſolet, nec in Palaeſtina ſolum, ſed et ad Orontem habitantes. Nec Moſi ſolum, ſed et Iſraëlitis in Aegypto degentibus, res Phoenicum ignotae eſſe non potuerunt. Una utriusque gentis lingua, quam a Phoenicibus majores Iſraëlitarum acceperunt: vicinae ſedes, terra enim Goſen, de qua in tomo tertio agam, ad Palaeſtinam usque pertinuit; ac niſi fallor regio circa Sichemum in media Palaeſtina, occupata a Jacobi filiis, atque ab eo Joſepho donata, ſemper in poteſtate Iſraëlitarum manſit. Ephraimi enim filiam, Scheeram, in illa vicinia legimus Bethchoronam utramque aedificaſſe, quo tempore adhuc Iſraëlitae in Aegypto erant, diuque ante Joſuam. 1 Paral. VII, 24. Sichemum Iſraëlitae in Palaeſtinam ingreſſi, nunquam expugnaſſe, et tamen habuiſſe leguntur.

Jam ad id, quod maxime perficiendum eſt, deveni. Litora maris mediterranei, ad quae Phoenices navigabant, incognita Moſi, Iſraëlitarumque cultioribus, eſſe non potuerunt. Phoenices commerciorum cauſſa, et navigationum opportunitate allecti, ex Idumaea in Palaeſtinam migrarant, idque jam quinto ante Moſen ſeculo: Abrahamus enim, quadringenteſimo triceſimo ante exitum Iſraëlitarum ex Aegypto, id vero eſt, quadringenteſimo ſeptuageſimo ante obitum Moſis anno, patriam re-

lin-

linquens, jam tum eos in Palaestina invenit. Per haec quinque secula genti navigationibus unice deditae facile omnia maris mediterranei Pontique Euxini litora innotescere potuerunt. Eritne ergo incredibile, Mosi nomina gentium, qui illa litora adcolebant, audita fuisse?

De solis adhuc quaeri posse video regionibus, Pontum Euxinum inter et mare Caspium, atque ultra illud sitis. Videntur autem illae maxima olim in celebritate fuisse, ac commerciis ferbuisse; ut taceam colonias Aegyptias in Colchidem ductas. Verum de his in tomo secundo dicendi locus erit, cum descriptionem Mosaicam paradisi illustrabo.

Goettingae die X. Aprilis
1769.



De



De capite decimo primi libri Mosis generatim.



Quae hoc, quod mihi explicandum sumo, capite decimo primi Mosis libri continetur genealogia, ea, primariam si spectes utilitatem, geographia potius dici aliqua possit genealogiae intexta: prorsus pro Hebraeorum more et doctrina, qui cum a pueritia genealogiis memoria tenendis adsvevissent, non mirum est, si hanc historiae partem curatius reliquis tractabant, et de chronologia ac geographia tradituri ita rem instituebant, ut genealogiam scribere viderentur.

Multum autem peccari a plerisque video, quod omnes, quorum nomina in hac originum generis humani enarratione leguntur, viros, ac proprio vocabuli sensu filios, nepotes, pronepotesque Noachi fuisse sumunt: a qua reprehensione ne magnus quidem Bochartus ubique eximendus, licet alibi (*) rectiora sentiens. Sic, ut in exemplo

(*) ut, pag. 164. geographiae sacrae summa.

plo rem ponam, Misraimum aliquem credunt Chamo esse progenitum, a quo tota Aegyptiorum gens procreata sit, atque, ne quid veri dissimile non dicatur, vel hoc addunt, eundem Misraimum primum Aegypti regem fuisse, quasi vero patrem, cui filii parent, regem, familiamque regnum vocare fas sit, aut opinabile cuiquam videri possit, singulos gentium conditores statim in diversissima terrarum, Misraimumque istum in Aegyptum, quae tunc fertilis quidem, sed tamen solitudo fuit, secessisse, eaque ipsa loca occupasse, in quibus posteri erant habitaturi. Quae cum lego, eadem mihi fabula ludi videtur, ac si quis, forte de faece plebis, historicus, Germanorum comminiscens origines, aliquem communem nominet totius populi progenitorem, Teutonem, eoque satos filios, Svevum, Francum, Saxonem, Longobardum, Bavarum, Gothum, pluresque, quorum quisque cognominem ex se gentem reliquerit, eique et regis nomine dum viveret praefuerit. Populi vero raro singulos habent progenitores, quia et molestissimum est, unum aliquem cum sola conjuge ac liberis orbe habitato et societate reliquorum mortalium excedere, quod raro aut scelerati facient, aut naufragi in solitudines insularum ejecti: nec solent familiae vicinorum ita crescere insociabiles, ut suus quaeque aliquando populus fiat ab alterius familiae populo discretus. Accidere ejusmodi quid aliquando potest, ubi studiosiores sunt homines intemerati externis conjugiis sanguinis, familiasque, Arabum et Hebraeorum in modum, distinctas ac suas servant: sed tamen plerique populi ex collecta hominum manu, diversis parentibus orta, solumque natale aliquo fato mutante, coire ac consistere solent. Hi sociati, cum culta terrarum non sufficiunt, nec satis eos laute pascunt, additis non raro, quos admissa facino-

ra

ra in patria tutos esse non sinunt, aut alia denique caussa solum vertentes, novas condunt colonias, magnorum olim populorum seminaria. Ita ortas plerasque gentes et antiqua docet historia, sicubi quid de ortu gentium certi tradit, et exemplo nobis est America, coloniis Europaeis fervens: unde quid in prima vastati terrarum orbis occupatione factum sit, licebit conjicere.

Sed et accedunt alia, quae clamant, non omnia nostri capitis nomina personalia esse, sed gentium alia, urbiumque ac regionum. Multa in illis pluralis numeri, ut quae versu 13. 14. leguntur: in quibus licet concedam, posse Hebraeos nomina propria viris singulis indita aliquando pluraliter terminare, (ut in חפים et שפים fieri putant) est tamen veri dissimillimum, omnibus filiis patrem nomina pluralia inditurum fuisse. Atque et hoc accedit, quod nonnulla ex his nominibus naturam ingeniumque terrarum et urbium indicant, in quibus illae gentes habitarunt. Mirum, si casu tantus consensus inter etymon nominis proprii, quod progenitori gentis adhuc puero inditum fuerat, et loci a posteris ejus habitati ingenium, constitit. Aegyptus, natura sua duplex, superior inferiorque, quarum illa ab orbe inde condito fuit, haec serius e mari mediterraneo emersisse creditur, eademque in ipso limite Asiae et Africae a natura ducto sita, מצרים dualiter vocatur, videturque illud nomen a limite, qui Arabibus مِصْرٌ est, ortum traxisse. Sidon celeberrima Phoenicum metropolis, ideoque primogeniti Canaanis nomine a Mose cohonestata, a piscium ubertate vocata fertur, concinente, ut infra videbimus, verbo Hebraico; est enim צוד *piscari*. Non ergo videtur ab aliquo Canaanis filio, Sidone, condita: nec historia ejusmodi ori-

ginibus urbis concinit. Nisi enim temere nulloque argumento fidem abrogare Herodoto placeat, et vero amicissime cum Mose consentienti, Cananitae primas in Idumaea sedes habuerunt, ac postea demum, mercaturae exercendae opportunitate allecti, Palaestinam occuparunt. Videtur ergo Sidon diu post condita, quam filius Canaanis, Noachi idem pronepos, in vivis esse potuit. עוץ (*Uts*), Semi aut nepos, aut colonia vallem Damascenam habitans, appellative, ut infra videbimus, *vallem* sonat. Ophir autem, quae regio auri abundantia nobilitata est, a *divitiis* nomen habuit. Sed pluribus exemplis colligendis abstinemus.

Nostris, fateor, auribus, insolentius sonabit, si integram gentem filium, aut si coloniam in Americam ductam filium Britanni Germanive dici audiamus. Quamquam si quis non omnino inficetus auctor haec scripsisset: *Germani filii fuerunt, Anglus, et Francus, et Svevus, et Vandalus et Longobardus. Angli filii* - - - ac postea nomina coloniarum Americanarum sequerentur; crederes certe, de integris eum gentibus, non de singulis patribus filiisque, loqui, lingua forte patria non commode usum. At quod nobis insolens, id Hebraeis adeo molle et solitum, ut vel in mediis verorum patrum filiorumque genealogiis, urbium tamen nomina, nec a cognomine conditore accepta, intertexat chronicorum auctor, ille quidem multo quam Moses audacius, quia in tabulis genealogicis patres veros et filios veros habentibus, figuratam ejusmodi sobolem minus exspectabas. Exempla delibabo. 1 Paral. II, 24. *Uxor Hefronis erat Abia, quae peperit illi Aschurem, patrem Thecoae* (אשחור אבי תקוע). Atqui Thecoa urbs fuit; ac ne suspiceris, a cognomine aliquo Thecoa, Aschuri filio, urbi nomen haesisse, adde quae idem scri-

ſcriptor habet c. IV, 5. 6. 7. repetens, Aſchurum patrem Thecoae fuiſſe, atque ſtatim omnes Aſchuri filios enumerans, in quibus hoc nomine nullus: *Aſchuro, patri Thecoae, duae uxores fuerunt, Hela et Nara. Et Nara quidem illi hos peperit filios, Achuzzam, et Chepher, et Themni, et Achaſtari: hi filii Narae. Filii autem Helae, Sereth, Jeſochar, et Ethnan.* Quid manifeſtius, quam urbem, in qua poſteri ejus, ex duplici conjugio ſuſcepti, habitarunt, filium dici?

Aliud exemplum dabit locus 1 Paral. IV, 3. *hi fuerunt patres Ethamae* (urbis ſine dubio, de qua Relandus pag. 558. conſulendus. Pueri enim unius tres patres, modo res ſeria agatur, numerari non poterunt.) Ethamae ergo patres erant *Jizreel, et Jisma, et Jidbas, quorum ſoror erat Haslelponi.* Id quidem latine diceres: incolas Ethamae poſteros fuiſſe trium fratrum, Jizreelis, Jismae et Jidbaſi; ſed Hebraeus auctor urbem figura dictionis in filium aut ſi mavis in filiam mutat.

1 Paral. VIII, 29. *Gibeonam* (urbem) *habitarunt pater Gibeonae* (אבי גבעון) *cui uxor fuit nomine Maacha.* Hic anonymus aliquis, quippe cujus proprium nomen memoria exciderat, ab urbe poſteris ipſius habitata nomen ſortitus eſt *patris Gibeonae.* Atque ne putes, filium illi hoc nomine fuiſſe, addo quae ſtatim ſequuntur: *filius ejus primogenitus fuit Abdon, et Sur, et Kis, et Baal, et Nadab, et Gedor, et Achio, et Zecher.* In his ergo nullus, cui pater debet, quod *pater Gibeonae* audit.

Ac de his quidem ſatis: nec videbor nihil egiſſe, ſi mihi contigerit, aniles fabulas de ſingulis omnium gentium primariarum patribus, genti ſemper ſuum nomen relin-

 quen-

quentibus, a divino ſcriptore abſtergere, tam illam turpem et Moſis ingenio ac doctrina indignam, ut ne ab his quidem, qui divinum ei adflatum negant, tanto viro obtrudenda temere fuiſſet.

Nec vero omnes, qui ubicunque per totum terrarum orbem fuerunt, populos enumeraturus mihi Moſes videtur, ſed eos qui terram cognitam habitabant. Cognitam autem eam dico, quae Iſraëlitis, Aegyptiis, ac forte Phoenicibus cognita erat. Fac, illum divino adflatu, non dicam quam inutili geographiaeque prodigo, aliarum quoque gentium, Aegyptiis, Iſraëlitis, Phoenicibus incognitarum, nomina ſciviſſe, cujus illa uſui in ſcripta retuliſſet? Certe intelligi a lectoribus non potuiſſet, niſi indicato caelo, ſub quo hi incogniti populi degerent: ſed de quo tacet, ut de gentibus loquens ſolo ex nomine facile agnoſcendis. Quod ſi cui noſtrum divinitus contingeret, nomina gentium ignotarum ſub auſtrali caelo noſſe, quam ille ridicula verſaretur in diligentia, omnia ea nomina geographiae intexens, ſed ſubticens, ubi caeli terrarumque quamlibet gentem, novo et incondito nomine vocitatam, quaerere fas ſit?

Ergo ſi quis mihi Americanos populos in hac brevicula geographiae antiquae enarratione inveniat, facile ut ſubrideam concedetur. Sed nec illi videntur ſapientiores, qui borealis Europae populos, incognitae Moſis tempore, magnamque partem incultae et ſilvarum ſolitudinibus adhuc permiſſae, nominari a Moſe ſuſpicantur: ut, Galliae Germaniaeque mediterranea, aut ipſius Scandinaviae: aut ſi quis nomen *Meſech* legens, ſtatim urbem ſe Moſcam audire putet. Peccantur talia patriae amore, noſtrarumque rerum admiratione: ſed temporis cogitatio, quo Moſes

Moſes ſcripſit, quo nec intimae Europae ſilvae homini Aegyptio cognitae eſſe potuerunt, et veriſimile eſt, Germaniam aut nullos habuiſſe incolas, aut certe nondum majores noſtros, pia haec ſomnia excutere conniventibus oculis debebit. Quod ſi qua Europae borealis, non mediterranea, de his enim homini non ſtupido deſperandum, ſed maritima, locum in pericopa Moſaica, quam explicandam ſuſcepi, ambire poſſint, Britannia erit et Boruſſia, haec ut ſuccini, illa ut ſtanni patria Phoenicibus, niſi ſuccinum ex India illuc advectum, nobilitata. Sed nec harum regionum mentionem fieri video, quae ſi *incidiſſet*, *veriſimile* eſt, Moſen peculiares illarum opes, aliis terris negatas, ſuccinum et ſtannum, laudaturum fuiſſe, ut in deſcribendo paradiſo fecit (*). Quod ſi nec ſuccini nec ſtanni patriam nominat, multo eſt a vero remotius, Scandinaviam ab eo, aut ſilvas Germaniae, aut intima Poloniae Ruſſiaeque commemorari: videnturque Moſis tempore Phoenicum navigationes nondum iſtuc pertinuiſſe, ubi ſtannum ſuccinumque reperitur, licet illud ex Hiſpania advectitium Aſiae inferrent.

Video autem Moſen de populis, proxima cognatione Iſraëlitas attingentibus, ut de Arabibus Joctanitis, paulo referre copioſius, deinde et de Aegyptiorum ac Phoenicum coloniis, denique et de Europae maritimis, quae navigationibus Phoenicum patefacta erant. Nec de adcolis maris Caſpii ab Oriente et Occidente ſilet, quae regiones, illa maxime quae ab Oriente late porrigitur, celebriores olim, quam nunc ſunt, fuiſſe videntur: ſive ſoli felicitate, quae eximia laudatur, ſive commerciorum cum India commoditate. Indiam ipſam, Hebraeis הדו dictam (**), non

(*) Geneſ. II, 11. 12.

(**) Eſth. I, 1. VIII, 9.

non nominat, nec ab ullo Hebraico ſcriptore ante reditum ex Babylonico exilio, mentio ejus injecta: unde multo minus de remotioribus, ut de Sina, ſperandum, niſi alio ſub nomine Indiam latere praeſtruxeris. Occidentem verſus ultra Tarteſſum non pergit: non occidentalia Africae, in regione torrida, non Europae litora ſeptentrionalia luſtrans, illa ſumma antiquitate aut vaſta adhuc et inculta, aut, ſi ultra Phoenices navigarunt, diſſimulata, et ſilentio celata.

GENES. X, 1.

ואלה תולדת בני נח שם חם ויפת ויולדו
להם בנים אחר המבול

Hae ſunt generationes filiorum Noachi, Semi, Hami, et Japhethi. Nati ſunt ipſis filii poſt diluvium.

* * *

Nihil ad hunc verſum, praeter quaedam critica, minuta illa quidem, nec tamen uſu deſtituta, habeo. Necdum enim geographici quidquam continet.

תּוֹלְדֹת *generationes*, defective, id eſt, ſine Vau pluralis numeri ſcribitur, nec in Hebraicis ſolum exemplis, ſed et in Samaritanis: quod hanc ob cauſſam obſervatu dignum cenſeo, quia Houbigantius textum Samaritanum, tanquam unius orthographiae tenacem, ac pluralia quidem ſemper plene ſcribentem, praetulit Hebraico. Laborat,

borat, ut alibi docebo, major ſyllogiſmi propoſitio, illud exemplar integrius eſſe, quod eandem ubivis orthographiae legem ſequitur; verendum enim, ne ad leges grammaticas correctum ſit: ſed et falſa ſubſumtio, Samaritanum codicem in plenis et defectivis ſemper easdem leges obſervare. Vau enim terminationis pluralis femininorum, quod plerumque exprimit, hic una cum Hebraicis exemplis omiſit. Cauſſa defectivae ſcriptionis Vau praecedens in prima vocabuli ſyllaba, amant enim Hebraei, ubi eadem litera quieſcens bis in eodem verbo ponenda erat, alteram omittere. Sed hoc in grammatica Hebraica, quam uberiorem paro, explicandum.

Pro חם (*Hami*) Syrus et Arabs polyglottorum habent, *et Hami*. Nec tamen aliter eos legiſſe ſuſpicor, (וחם) ſed liberioris interpretationis eſſe puto, quod conjunctionem ET addiderunt.

ויפת *et Japhethi*] ET omittunt LXX, utrum libertate illa, quae interpreti cuivis facile conceditur? an lectionis diverſitate? incertum.

Pro ויולדו, *nati ſunt*, ſolus codex Samaritanus habet, ויולידו, quod active vertendum eſt: *et genuerunt ſibi filios poſt diluvium.* Poterat utraque lectio ferri: id tamen certum, antiquos interpretes, LXX, Vulgatam, Chaldaeum utrumque, Syrum, et Arabem utrumque, cum lectione textus Hebraei facere, verbum paſſivum ponentes. Minutum hoc, ſi de uno loco quaeratur: at illuſtre, ad illam tranſlatum controverſiam, quae de Hebraicae et Samaritanae lectionis praerogativa a cupidis nimium ſive harum ſive illarum partium inſtituitur. In matribus enim lectionis, literis אוי ſive ſcriptis ſive omiſſis, Samaritanum codicem ſequendum ſvadet Houbigantius. Hic tamen in quaeſtione de litera Jod veteres omnes

teſtimonium pro Hebraico textu contra Samaritanum dicunt: quod eo pertinet, non ut ſemper Hebraicum textum veriorem Samaritano cum philologis Judaizantibus exiſtimem, ſed tamen ut nolim cum his, qui criticorum ſibi nomen ſoli arrogarunt, hanc legem ferre, ubi de literis Vau et Jod poſitis omiſſisve anquiritur, praeferendam lectionem Samaritanam eſſe. Equidem medius inter utrumque teſtem, ac neutri iniquus, in hac tamen orthographica quaeſtione veriorem plerumque et ſinceriorem Hebraeum reperire mihi viſus ſum.

אחר *poſt*] Pro אחר Samaritani codices habent אחרי, eadem manente utriusque lectionis ſententia, unde verſiones in partes trahi non poſſunt. Mihi, argumentis et teſtibus deſtituto, atque nec Samaritano textui nec Hebraico faventi, neutra lectio displicet, nec quae praeferenda ſit expedio. Alii id aut favore ac ſtudio quisque ſuo, quo me non fervere non aegre fero, aut ſi praeplacet, (ſapientius certe eſt) talorum jactu judicent.

GENES. X, 2.

בני יפת גמר ומגוג ומדי ויון ותבל ומשך ותירס

Filii Japhethi ſunt, Gomer, et Magog, et Madai, et Javan, et Thubal, et Meſchech (*), et Thiras.

* * *

Ante-

(*) Scire velim lectores, ac ſemper memoria tenere, in his nominibus, de quibus aliqua inſtituitur diſputatio, me literam ש Germano-

Antequam ſive de Gomero ejusque poſteris, ſive de Mogogo, aliisque hoc verſu memoratis a Moſe populis diſputationem ſuſcipiam, aliquid de Chaldaico nomine גרמיא (*), ſive, ut alii ſcribunt, גרמניא (**), dicendum, quod Chaldaei interpretes, aliique Judaeorum magiſtri, jam pro Gomer, jam et pro aliis gentium nominibus, ut Magog et Thogarma, reponunt, quodque, cum Germanos deſignare putetur, occaſionem dedit, Germanorum natales ad hunc illumve Noachi filium aut nepotem referendi. Nec equidem nego, recentiores Judaeos Garamaeorum (גרמיא) nomine Germanos intellexiſſe, ideoque et גרמניא inſerto Nun ſcribere coepiſſe. Id tamen certum mihi habere videor, antiquiores, qui ita verterunt, aut a quibus accepta traditio ad plures fluxit, non de Germanis, ſed de alia omnino gente cogitaſſe.

Hoc ergo nomen גרמיא, vel, ut alii ſcribunt, גרממיא, aut גרמניא, pro tribus nominibus Hebraicis poni video quae

manorum more Sch ſcripturum eſſe, quod Latinae, quam alias ſequi ſoleo, orthographiae paupertas et ambiguitas caliginem offuſura multis rebus videtur. Scio, nec Graecos nec Latinos ש habere, quod nobis *Sch*, Anglis *Sh* ſcribitur: Latinorumque Sch, Graecorum σχ diſtincta utraque litera ita appellandum, ut noſtra in gente Weſtphali eloqui ſolent: ideoque, ubi Hebraicum vocabulum non curioſe exprimendum eſt, ſed perpetua oratione latina utendum, potiorem orthographiae latinae rationem habens, cum veteribus Graecis et Hieronymo, pro tribus literis Hebraicis ס, צ et ש, S repono. At ubi nominum propriorum, diſtinctius ſcribendorum, explicatio inſtituitur, latinis quidem literis, ſed Germanorum more appellandis, ita utor, ut

ס et ש ſit - S.
צ - - - Tſ.
(nobis ʒ, ſed quo uti non licet),
ש - - Sch.

Zain literam (ז) ſemper Latinorum Graecorumque more, Z, ſcribo, quam literam non noſtro, ſed Gallorum modo molliter appellari volo. Alphabetum enim Germanorum ſigno hujus ſoni determinato caret.

(*) *Garmaja.*
(**) *Garmanaja.*

quae ipſa interpretum fluctuatio indicio eſt, temere illos notum ſibi nomen pro gente ignota ſubſtituiſſe. Primo enim aliqui ita vertunt Hebraicum *Gomer* (גמר). Monuit jam BUXTORFIUS in Lex. Thalmudico et Chaldaico, pag. 479. *apud Thalmudicos in Geneſ. X.* גמר זה גרממיא, *Gomer eſt Garmamja* (*). *Joma fol. 10, 1.* Suſpicari licet, quid ſpectarint Rabbini ita interpretantes: transpoſitas putarunt literas, et גמר idem eſſe quod גרם, ergo et idem quo גרמיא. Quam quidem illis transponendi licentiam in nomine barbaro concederem, modo ea non ita abutantur, ut ex conſonantia qualicunque efficiant, Gomer, populum a Moſe nominatum, Germanos eſſe. Germanorum enim nomen et multo eſt recentius, nec totius populi, ſed illorum, qui primi Rhenum invaſerunt, qui cum Germanos, id vero eſt, ut fere putant, milites vel hoſtes, ſua ſe lingua dicerent, inde factum, ut totam gentem Galli, eosque ſequuti Romani, Germanos dicerent. Hujus ergo nominis veſtigia in Moſis ſcriptis deſperanda.

Deinde pro Magogo Thargum Hieroſolymitanum, alterumque Jonathanis nomen prae ſe ferens, in hoc ipſo verſu noſtri capitis habet, גרמניא, quibus quidem literis ſcriptum, atque N inſititium habens, vocabulum, Germanos ſonare videtur. At ſuſpecta ſcriptio, cum Chaldaeus paraphraſtes Paralipomenorum ſine litera N גרמיא habeat ex editione BECKII: nec videatur ab interprete in Aſia habitante committi potuiſſe, ut Magog in Germaniam mutaret; Aſiaticis enim populis pervulgatum eſt, terram Magog circa mare Caſpium in ea, quam veteres dicunt Scythia, quaerendam eſſe. Quidquid ſit, dubio vacat, Germanos non

(*) Rectius ſcripſiſſet *Gerammaja.*

non Magogitas esse, de quibus alia deinceps satis verisimilia trademus: nuspiam certe in Germanorum originibus hujus nominis, populo olim inditi, vestigium adparet.

Ezechielis denique interpreti Chaldaeo, cap. XXVII, 14. Thogarma est מדינת גרמיא, *provincia Garamaeorum.* Magna hunc interpretem injuria adfecit Bochartus (*), quod eum, ne verbo quidem Chaldaico descripto, Germaniam interpretari tradidit. Nec enim Germanos, sed Garamaeos, literae praeferebant, incognitae quidem illae Bocharto, et quas conjectura existimabat; sed tamen illae literae describi debuissent, et addi, conjici quod Germaniam sonent, non constare. Nullo enim a loco alienior Germaniae mentio, quam ab illo Ezechielis, ut, si Chaldaeus interpres Germaniam illi intulisset, maximi id stuporis atque ignorantiae futurum fuisset. Enarrantur enim merces, ex regione Thogarma Tyrum advectae, equi et muli. Mulis vero nunquam Germania dives, nec eorum creatrix habita, cum ne asini quidem, australia amantes, in boreali nimis Germania feliciter proveniant, minores hic et turpiores illis, quos Italia, ac maxime vero Aegyptus gignit. Unde mulos ab exteris emimus, si illis opus est, non vendimus. Equorum quidem, eorum maxime quorum in bello usus, altrix nunc Germania: sed olim alia rerum facies, cum palustria pleraque nimia silvarum copia essent, nec pulcritudini equorum majores studerent; Tacitique tempore in Germania *equi nec forma nec velocitate conspicui* erant (**). Ac ne verisimile quidem est, Jonathanem, Ezechielis interpretem, hunc erraturum fuisse errorem, cum ejus tempore, si ante Chri-

(*) L. III. c. XI. pag. 176.

(**) Tacitus de Moribus Germanorum §. 6.

Chriſtum vixit, nondum nobilitatum eſſet in Aſia Germaniae nomen. Romanis illud literis primum coepit celebrari, maxime poſt Vari cladem, Graecis diu ita ignotum, ut Tacitus aliquoties Graecos arguat, quod minora celebrantes Germanica et Arminios ignorent. Haec ergo Germania, cujus victorias Italiae imminentes ne Taciti quidem tempore Graeci praedicare ſolebant, quo caſu tam nota fuit, nobilisque viſa eſt homini Chaldaeo, ante Chriſtum natum viventi, ut alieniſſimo illam loco Ezechieli obtruderet?

Non nego equidem, multos Judaeorum, גרממיא ſcribentes aut legentes, de Germania cogitaſſe, unde et addito נ ſcribi coepit, גרמניא, ac Germania a Judaeis appellari גרממיא של ארום, *Garamaea Idumaeae*, id vero eſt, Romani imperii, quod Edomiticum Judaei vocant. Sed haec recentiorum erunt aut librariorum aut magiſtrorum, eo tempore viventium, quo Germanorum nomen toto orbe notiſſimum erat. At antiquiſſimos explicationis hujus auctores, a quibus ad alios per traditionem manavit, ſive Gomerum ejusve filium, ſive Magogum, גרמי eſſe, non de Germanis, ſed de populo Orientali, his ipſis literis ſcriptum nomen habente, cogitaſſe putem. Nec opus eſt, talem populum inveſtigaturis, ut literam נ mediae voci inſerant, aut, quod fecit BECKIUS ad I Paral. I, 3. pro Germania Caramaniam Perſiae ſubſtituant. Ipſae hae literae, גרמיא, nobilem in Aſia populum, ſola Orientalis geographiae ignoratione, viris etiam doctis, Buxtorfiis (*), Bochartis, Beckiis, incognitum.

Interior nempe Aſſyriae pars Syris *regio Garamaeorum*, (ܒܝܬ ܓܪܡܝ) dicitur, Arabibusque جرمى, quique

(*) in lex. Thalm.

que in ea natus eſt, eum *Garmacenum* (ܓܪܡܩܝܐ) vocant. Copioſius ea de re egit ASSEMANUS in bibliotheca Orientali, T. III. P. II. pag. 747. 748. et ex Syrorum monumentis regionem deſcribens, et Ptolemaei verba adferens, qui de Aſſyria, L. VI. c. 1. ita: *regionis pars, quae juxta Armeniam eſt, vocatur Arrapachitis, quae vero juxta Suſianam, Sittacene: media vero tenent Garamaei. Vocatur autem ea, quae inter Arrapachitidem et Garamaeos eſt, Adiabene; quae autem inter Garamaeos et Sittacenen interjacet, Apolloniatis, cui ſuperjacet gens Sambatae, et ſupra Adiabenen Calachene. Garamaeis autem Arbelitis regio imminet.* Urbes praeterea in ea ſitas enumerat, quarum ope facile poteris regionis ſitum quodammodo definire, ſi in d' Anvillii delineatione Aſiae exquiras, *Schaharkadtam, Dakukam, Bavazigiam, Darabadam, Chanigaram.* Quin eadem in delineatione ipſum Garmae nomen invenies ſub gradu latitudinis 35, longitudinis 61. Ejusdem populi et Herbelotus mentionem in bibliotheca facit, ut diu ante Mahummedem ſaepe Perſiam et Meſopotamiam incurſionibus vexantis (*). Forte hi Garamaei ortu non Aſſyrii. Noſtro quidem tempore circa ea loca Curdorum ſedes, quorum originem ignoramus. Quod quidem eam ob cauſſam moneo, quia Chaldaei interpretes Garamaeos ad Gomerum, Magogum, Thogarmam, Japhethi poſteros referunt. Deſinamus ergo jam de Germania ſomniare, ubi Garamaeos legimus. Nunc ad ſingulos pergamus populos, Japhetho ortos.

גמר

(*) pag. 379. *les Giarmacides ou Gjurmacides ont fait autrefois des incurſions dans la Perſe, et dans la Meſopotamie, plusieurs ſiecles avant le Muhammetisme. Les hiſtoires Orientales portent, que l' Empereur Carinus fut defait et tüé par ces peuples, qui ſ'etoient en ce tems là rendus maitres de Mouſul.*

גמר *Gomer.*

De Gomero egit Bochartus, libro III. c. 8. parte operis felix, ſed cui in ſumma ſententiae, ſolis nixa etymologiis, ſubſcribere nequeo. Nec ipſe quidem certa adferam; ſed eam ornabo veterum ſententiam, quae reliquis minus videtur veri diſſimilis, neque a recentioribus ſatis eſt intellecta.

Thàrgum Hieroſolymitanum, eique hac parte conſona Chaldaica verſio Paralipomenorum, אפריקי vertit, quo nomine non Africam intelligendam eſſe diſputationis vix eget. Judaeusne enim interpres, qui fabula de diviſione orbis terrarum inter tres Noachi filios imbutus a teneris erat, aut omnino ſanusne et ſobrius Moſis lector, Africanos Japhethi poſteros facere potuit? cum id quidem manifeſtum eſſet, omnes, quos Moſes memorat, Africae populos, Hamo oriundos eſſe. Recte ergo Bochartus Phrygiam intellexit, atque Aleph in vocabuli initio proſtheticum credidit, quale in nominibus exoticis a duplici conſonante inchoatis, Syri, Chaldaei, atque Arabes ſaepe ponunt. Huic Phrygiae mentioni Joſephum comparans, qui Galatas intellexit, recte cenſuit, utramque explicationem non diſcordem eſſe, Galatas enim, Europa extorres, in Phrygia conſediſſe. Haec ille, ut opinor recte, quamquam in eo diſſentiam, quod Gomaros Phryges facit, non Galatas, mihi enim ob rationes infra dicendas Galatae, id vero eſt, Galatarum majores ultimi, praeplacent.

Nempe, ut ſolet, etymon arripuit Bochartus, hac tanquam face populum *Gomer* Hebraeis vocitatum quaeſiturus. Verbum ergo גמר explicat, *conſumſit ignis*, monetque, Chaldaeis et Syris nomen inde ortum גמרא *pru-*

prunam ſonare. Jam cum aliqua Phrygiae pars, circa Maeandrum, κατακαυμένη Graecis, id eſt, combuſta, dicatur, *omnibus*, ut ait, *expenſis* Gomer ipſi videtur eſſe Phrygia.

Mihi vero ſtatim in ipſo ſcriptionis initio profitendum, quantopere totum hoc diſpliceat geographiae genus etymologicum. Primo enim quis nobis praeſtat, alieniſſimae aut gentis aut terrae nomen proprium origine Hebraicum eſſe, ac quidquam lucis ex derivatione accipere Hebraica poſſe? Quis quaeſo mihi dederit, vel potius quis non jucunde arriſerit, ſi ejus urbis, in qua habito, Goettingae, hiſtoriam ſcripturus, ac quorundam ex more de nomine aliqua exorſus, Hebraicum id faciam, atque ex גת דין componens *torcular judicii* vertam, aliquam, neſcio quam diu ante Chriſtum, pugnatam in hac ipſa valle ingentem pugnam comminiſcens, quae ſanguine eam inundarit, torcularque, ut loquuntur Hebraei, judicii divini fecerit? Sed haec prurigo etyma Hebraica ubique inveniendi, Hebraice doctos ſolicitat, eſtque in Bocharto, magno cetera viro, inſignis: quo ſi ille morbo caruiſſet, quid quaeſo nobis relicturus laboris ſpicilegiive erat?

Deinde et hoc obſtat illi etymologicae de ſitu populorum diſquiſitioni, quod nomina gentibus terrisque tam vario caſu, ac tanquam ſorte ducuntur, tamque minutis ſaepe ex cauſſis, ad poſteritatis memoriam non proditis, ut periculoſum ſit, ex etymo conjecturam in geographia facere. Neque haec ita dico, ut negem, ſi qua manifeſta ſitus deſcriptio in nominis ſignificatione inſit, ut, ſi vallis dicatur, aut mons, aut pons, aut portus, poſſe illo etymo geographum uti: quamquam ne ſic quidem ſoli confidere debebit ſignificationi appellativae, quod ſaepe coloniae nomen ex metropoli ſumunt, ſitu locique ingenio

גמר *Gomer.*

De Gomero egit Bochartus, libro III. c. 8. parte operis felix, sed cui in summa sententiae, solis nixa etymologiis, subscribere nequeo. Nec ipse quidem certa adferam; sed eam ornabo veterum sententiam, quae reliquis minus videtur veri dissimilis, neque a recentioribus satis est intellecta.

Thargum Hierosolymitanum, eique hac parte consona Chaldaica versio Paralipomenorum, אפריקי vertit, quo nomine non Africam intelligendam esse disputationis vix eget. Judaeusne enim interpres, qui fabula de divisione orbis terrarum inter tres Noachi filios imbutus a teneris erat, aut omnino sanusne et sobrius Mosis lector, Africanos Japhethi posteros facere potuit? cum id quidem manifestum esset, omnes, quos Moses memorat, Africae populos, Hamo oriundos esse. Recte ergo Bochartus Phrygiam intellexit, atque Aleph in vocabuli initio prostheticum credidit, quale in nominibus exoticis a duplici consonante inchoatis, Syri, Chaldaei, atque Arabes saepe ponunt. Huic Phrygiae mentioni Josephum comparans, qui Galatas intellexit, recte censuit, utramque explicationem non discordem esse, Galatas enim, Europa extorres, in Phrygia consedisse. Haec ille, ut opinor recte, quamquam in eo dissentiam, quod Gomaros Phryges facit, non Galatas, mihi enim ob rationes infra dicendas Galatae, id vero est, Galatarum majores ultimi, praeplacent.

Nempe, ut solet, etymon arripuit Bochartus, hac tanquam face populum *Gomer* Hebraeis vocitatum quaesiturus. Verbum ergo גמר explicat, *consumsit ignis*, monetque, Chaldaeis et Syris nomen inde ortum גמרא

pru-

prunam sonare. Jam cum aliqua Phrygiae pars, circa Maeandrum, κατακαυμένη Graecis, id est, combusta, dicatur, *omnibus*, ut ait, *expensis* Gomer ipsi videtur esse Phrygia.

Mihi vero statim in ipso scriptionis initio profitendum, quantopere totum hoc displiceat geographiae genus etymologicum. Primo enim quis nobis praestat, alienissimae aut gentis aut terrae nomen proprium origine Hebraicum esse, ac quidquam lucis ex derivatione accipere Hebraica posse? Quis quaeso mihi dederit, vel potius quis non jucunde arriserit, si ejus urbis, in qua habito, Goettingae, historiam scripturus, ac quorundam ex more de nomine aliqua exorsus, Hebraicum id faciam, atque ex גת דין componens *torcular judicii* vertam, aliquam, nescio quam diu ante Christum, pugnatam in hac ipsa valle ingentem pugnam comminiscens, quae sanguine eam inundarit, torcularque, ut loquuntur Hebraei, judicii divini fecerit? Sed haec prurigo etyma Hebraica ubique inveniendi, Hebraice doctos solicitat, estque in Bocharto, magno cetera viro, insignis: quo si ille morbo caruisset, quid quaeso nobis relicturus laboris spicilegiive erat?

Deinde et hoc obstat illi etymologicae de situ populorum disquisitioni, quod nomina gentibus terrisque tam vario casu, ac tanquam sorte ducuntur, tamque minutis saepe ex caussis, ad posteritatis memoriam non proditis, ut periculosum sit, ex etymo conjecturam in geographia facere. Neque haec ita dico, ut negem, si qua manifesta situs descriptio in nominis significatione insit, ut, si vallis dicatur, aut mons, aut pons, aut portus, posse illo etymo geographum uti: quamquam ne sic quidem soli confidere debebit significationi appellativae, quod saepe coloniae nomen ex metropoli sumunt, situ locique ingenio

 di-

diversissimo. At ubi nominibus istis situm indicantibus caret etymon, quam est ab omni inveniendi veri via remotum, vel tenuissimam ejus in geographica quaestione rationem haberi? Fac post triginta secula aliquem, nec Germanicae linguae indoctum, nescire, ubi hae sitae urbes fuerint, BERLIN, MAGDEBURG, BRANDENBURG, WOLFENBÜTTEL, BRAUNSCHWEIG, sive ut olim limpidius scribebatur, BRUNSVIC, manifesti omnes et indubii etymi, quid quaeso proficiet, si etymo facem praeferente sedem illis quaerat?

Atque etiam ut plus Bocharto concedam, quam concedendum temere videtur, in etymologia Hebraica aliquid opis esse, ad situs populorum alienissimorum suaque utentium lingua indagandos, forte quod Moses nomina barbara non retinuerit, sed Hebraice verterit, (quamquam id Bochartus nolebat, omnes potius omnium populorum majores Hebraice loqui cogens) ne sic quidem sine magno erroris periculo ex גמר Phrygiam combustam fecerit. Plura enim significare nomen orientale potest: namque et *lapilli* his literis dicti Arabibus, et *averruncare*, et alia multa: nec facile expedias, cur ex multis verbi גמר significationibus prunas potius, quam lapillos, aut aliam quamcunque vir doctissimus arripuerit.

Nec quidem universim omne in nominibus propriis damno studium etymologicum, ipse quoque, ubi aliis indiciis certo constat, quae regio aut urbs nomen habuerit Hebraicam originem prae se ferens, nonnunquam de etymo disputaturus. Id unum nego, antequam id constet, ignotae adhuc urbis, regionis, gentis situm ex derivatione Hebraica inveniri et definiri debere.

Re-

Recentiorum plerique גמר Cimmerios intellexerunt: melius illi sane Bocharto, licet hic ne refutationis quidem honore dignatus eos repudiet. In nominibus enim propriis sonum sequi, non significationem appellativam, debemus, nisi ubi constat nomen in aliam linguam conversum esse. Videtur tamen hoc Cimmeriis opponi posse, quod nemo ex antiquis hanc sententiam praeivit, ac tanquam pro ea testis exsurgit. In quaestione enim geographica et historica aegre testibus antiquorumque consensu caremus: ac mirum est, si utique Cimmerii גמר sunt, neminem id veterum intellexisse. Sed dabitur forte huic dubio occurrere, postquam eam, quae mihi verisimilior videtur, sententiam exposuero.

Dixit illam, sed nemini intellectus, ne Gallis quidem et Britannis quorum utrorumque caussa et aliqua gloria agebatur, Josephus. Sic ille: τοὺς νῦν ἀφ' Ἑλλήνων Γαλάτας καλουμένους, Γομαρεῖς δὲ λεγομένους, Γόμαρος ἔκτισε, i. e. *eorum, qui nunc a Graecis Galatae appellantur, Gomari autem vocantur, procreator Gomarus fuit.* Haec licet brevius dicta vix tamen legeris, quin suspiceris, de gente loqui Josephum, cui ejus adhuc tempore *Gomar* nomen fuerit, licet a Graecis aliter vocaretur, verbaque ita intelligenda et circumscriptione pandenda esse: *eorum, qui nunc a Graecis Galatae appellantur, proprie autem ac suo nomine Gomari vocitari solent, Gomarus conditor fuit.* Nec certe deerat eo nomine populus, sed ipsi Celtae, quorum Galatae in Asia minore colonia sunt, sua et antiqua lingua in hunc usque diem Cymr vocantur.

Monendos autem censeo cives meos, Celtas, quos patriae amore cum Germanis confundere solent, suam

gentem fuisse, origine et lingua a Germanis diversissimos; quod quidem peroratum a summo SCHOEPFLINO in Alsatia illustrata, et postquam vocabularium ejus linguae habemus a Pelletierio editum (*), ut notum et concessum sumo. Manent autem linguae veteris reliquiae in peninsula Francici regni Britannia, Armoricorum, inque Wallia, occidentalis Angliae regione. Hujus ergo Walliae incolae sua se lingua KYMR vocant, ut Hiberni, quos Gallos

(*) *Dictionaire de la langue Bretonne, par Louis de Pelletier. à Paris 1752.* Hoc ipsum mihi quidem vocabularium, amicissime mecum de Gallis Celtisque in literis familiaribus disputans, eosque Germaniae vindicaturus, opposuit, cujus post mortem jucundum mihi nomen est, SÜSMILCHIUS. Copiosum ex eo texebat indicem verborum Armoricorum, Germanicis consonantium. Sed pleraque sunt origine latina, ideoque nec Germanis nec Gallis domestica, sed a Romanis accepta, ut *Sach*, Sack, *sal*, salzig, *scaff*, Schiff, *scriva*, schreiben, *Scudell*, Schüssel, *sihel*, Siegel, *sol*, die Sohle: alia peregrina cumque ipsis mercibus ad nos primum ex Oriente advecta; quorum exemplum puto *Saffron*, Saffran, sine dubio Arabicum: non pauca adeo dissimilia sono, ut probare nihil videantur, *soler*, klar, *Soarn*, Ohr, alia. Pauca, quibus nihil ejusmodi opponi potest, non sufficiunt unitati utriusque linguae stabiliendae. Ex omnibus enim linguis Europaeis ejusmodi, nec numero cedentia, colligi verba possunt, Germanicis similia: nec tamen ideo omnes Europaeos Germanicae facimus originis, sed has aut reliquias credimus esse primaevae cujusdam linguae, aut ad vicinitates, commercia, bella et colonias gentium referimus, quae saepe diversissimas linguas quodammodo miscent. Galli non finitimi solum Germanorum, sed et in intima Germania Tacito teste habitarunt populi Gallicae originis: unde pene necesse fuit, multa majores nostros a Celtis, Celtas a Germanis vocabula mutua sumere. Sic nostro tempore multis vocabulis Francicis, quae origine latina sunt, utimur, illisque jus aut civitatis aut certe peregrinitatis, in lingua vernacula concessimus.

los vult et a Celtis adhuc diſtinguit Bütnerus noſter, GALLEC. Haec cum ita ſint, videntur Galatae quoque ii, qui in Aſia minore conſederant, antiquum nomen retinuiſſe, ſuaque barbara lingua CYMR, ſeu, ut latinius dicam, CIMMERII fuiſſe.

Ita jam inter diverſiſſimas primo adſpectu veterum ſententias coibit concordia. Galliae primos incolas, Celtas, ab Oriente per Germaniam adventitaſſe, in qua ipſa, inque remotiore etiam Boruſſia, gentes Gallicam originem linguae ſimilitudine prodentes Tacitus memoravit, cum illis ſumo, qui de hoc argumento egerunt copioſius. Forte ergo ipſi, qui *Boſporo* ſuum nomen *indiderunt*, Cimmerii, ejusdem gentis ſunt, exque illo angulo Aſiae Europaeque effuſi Celtae per Germaniam in Galliam Britanniamque penetrarunt, iterum, cum multitudini eorum occupatae in Gallia, Germania, atque ultra, ſedes non ſufficerent, inde erupturi: unde Cimbri Romanorum hiſtoria celebrati, eaque ipſa colonia, quae Galatiam Aſiae minoris obtinuit. Ergo qui Gomarum Cimmeriorum faciunt progenitorem, antiquum nobis et Aſiaticum populum nominant, ex quo Celtas egreſſos eſſe nomen quodammodo arguit, ac qui forte Moſis jam tempore latius patuit. Joſephus, qui in Galatarum nomine domeſtico, KYMR, Hebraici *Gomer* veſtigia et ſimilitudinem invenerat, Galatas interpretatus eſt: non illos, modo bene de eo ſperes, Galatas intelligens, qui diu poſt Moſen ex Europa in Aſiam trajecerunt (nimis enim pudendus error, ſi hanc recentem coloniam a Moſe nominari putaſſet), ſed eorum progenitores in Europa, a quibus Aſiatici Galatae orti. Hi autem quoniam in Phrygia ſeptentrionali conſederant, vulgatumque apud Judaeos erat, Galatas eſſe Gomeri Moſaici poſteros, hiſtoriae ignari interpretes

Chaldaei ipſam Phrygiam, aut Phryges (אפריקי) pro Gomero nominarunt. Gorionides denique cum traditione acceptum haberet, Gomaritas in Gallia quaerendos eſſe, ex ſui temporis geographia ac nominibus, magno ſane errore ſed cujus fontem jam deteximus, de Gomero, ſeu potius de ejus filio Aſchcenazo ſcripſit, *Francos eſſe, qui in regione Franciae ad fluvium Seina* (סינא) *habitent.*

Meam ſi quis de Gomer ſententiam exquirat, non ſum equidem tam inverecundus, ut certi quid me adferre poſſe ſperem: maxime cum antiquiſſimas ſedes atque hiſtoriam Celtarum antequam Europam ingreſſi ſunt, ignoremus, deque Gomeri filiis, Aſchchenazo, Riphatho et Thogarmo parum conſtet. In tanto tamen errantium etiam conſenſu, quem hucusque expoſui, veriſimile videtur, Celtas antiquiſſimos, quorum et nomen *Kymr* cum Hebraico *Gomer* concinit, intelligendos eſſe. In quaeſtione enim de nominibus propriis geographicis inſtituta, plerumque non etymologias, ut ſupra dixi, ſed vocem ac ſonum ſequi debemus, nec philologia uti et ingenio, ſed auribus. Nec ſane a vero abludit, potuiſſe jam Moſi eam gentem cognitam fuiſſe, quae ſua lingua *Kymr*, a Latinis, poſtquam in Gallia conſederat, Celtae, dicebatur. Populum enim habemus antiquiſſimum, ex Aſia aliquando egreſſum, cui, cum late Europam teneret, Priſco Tarquinio Romae regnante (*) ingentes terrarum tractus jam non ſuffecerunt, tantum multitudine creverat. Mirumne, hujus gentis initia Moſis tempore jam clara atque ab eo commemorata fuiſſe? Quod ſi qui nobis Germanorum potius conditorem in Gomero Aſchcenaſi patre, nimio patriae

(*) Livius L. I. c. 34.

triae amore, quem in inveſtigando vero nullum eſſe velim, oſtentare malunt: eos vero cogitare jubeo, quam ſit veriſimilius, Celtarum antiquiſſimam gentem, idque ſuo proprio nomine, commemorari, quam Germanorum, quorum nomen in hiſtoria multis demum poſt ſeculis auditur, clarum quidem, ſed non aeque, ut Celticum, antiquum. Caeterum ex totius ſcriptionis meae ſerie hoc intellectum iri ſpero, non me Celtas Moſis tempore in ea collocare Gallia, in qua deinde habitarunt, et cujus ſeptentrionalia Moſi incognita praefatus ſum, multoque minus in Phrygia, ſed in antiquis atque orientalibus ſedibus, confiniis forte Europae atque Aſiae, ex quibus occidentem petierunt, Gallia aliquando, ac forte diu poſt Moſem, potituri. De Cimmeriorum lingua, eorumque populorum, qui pro Aſchcenas, Riphath et Thogarma habentur, ſi mihi conſtaret, ac ſi tres mihi populos, lingua Celticae cognata uſos, monſtraret hiſtoria, qui ipſi domeſtico ac vernaculo nomine ab Aſchcenas, Riphath et Thogarma, non magis diſſonante, quam Kymr a Gomer, ſeſe vocitaſſent, depoſita verecundia certi quid adſeverare auderem. Sed haec antiqua et barbara tenebris involuta. Ergo veri non diſſimilibus contentos nos eſſe oportet.

De nominis Hebraici appellatione reſtat ut moneam, Onkeloſum et Maurum interpretem גומר et جومر plene cum Vau habere, quod tamen non puto variae lectionis eſſe, ſed plene ſcribi ab interprete antiquum vocabulum, quod in ejus appellatione errari facile poterat, poſtquam abierat in deſvetudinem. Certe LXX. Graece γαμερ ſcribentes, illam matrem lectionis in ſuo codice non habuiſſe videntur. Joſephus autem, non hos, ſed Hebraicam adpellationem ſequutus, Γόμαρον vocavit, quod ad litem

litem de Josepho, Graecorumne an Hebraicorum bibliorum lectore? quodammodo pertinet.

Mihi quidem consveta adpellatio, punctis Masorethicis et Josepho consentanea, eam quoque ob caussam verior videtur, quod גמר puto Celtas esse, Celtae autem sua se lingua *Kymr* vocarunt, non claram vocalem, I, sed obscuram, U, vel Y, in prima syllaba nominis habentes.

* * *

ומגוג *Et Magog.*

Difficilius nomen, nec quod terram Magog prorsus ignorare mihi videor, sed quia illo in tractu multi populi, uno nomine ab exteris confusi, licet ortu linguaque diversi essent, habitarunt. Nec nego, majoris momenti hanc esse, quam superiorem de Gomaro, quaestionem quod ex ea pendet interpretatio vaticinii Ezechielis de Gogi et Magogi eruptione: ad eorum autem, quae apocalypsis sub iisdem nominibus vaticinatur, explicationem nihil forte geographia confert. Ut enim Babylonis, ut Aegypti, ut Sodomorum nomen, mystice in apocalypsi ponitur, ita fieri potuit, ut Magogi etiam nomine mystice scriptor uteretur, hostes civitatis Dei, Magogi Ezechielis furore et internecione similes, celebrato jam et antiquo nomine indicans.

Antequam autem ad meam sententiam prodendam me conferam, prius de Bocharto dicendum, qui capite XIII. libri tertii de Magogo egit, copiose ille quidem, sed ita, ut multa in illo reprehendenda videantur. *Magog*, ait, *Ambrosio Gothorum, Eusebio Celtarum, auctori chronici Alexandrini Aquitanorum, Chaldaeis Germanorum, Arabibus Tatarorum, Josepho, Eustathio, Hieronymo*

nymo et Theodoreto, Scytharum patrem fuisse. Ex hoc numero jam Germani demendi, ut enim supra perfecisse mihi videor, non Germanos, sed Garamaeos Assyriae, illi intellexerunt, a quibus primo accepta interpretatio ad alios manavit. Curdorum, qui illis in tractibus degunt, incerta adhuc origo, quam, ut alii ad Arabes, ita forte interpres Chaldaeus ad Scythas ab Oriente maris Caspii habitantes, ubi Magogitarum sedes fuisse dicemus, retulit.

Deinde video, omissam esse Svidae explicationem, quae lectori Ezechielis, ingentes diversissimorum populorum exercitus cogitanti, qui Gogo tribuuntur, aliqua se veri specie commendare posset. Persas enim voluit Svidae, tribus modo verbis (utinam copiosius!) edicens: Μάγωγ ὁ Πέρσης. Xerxis aliquem exercitum describere Ezechiel videri possit. Non omittendam ergo hanc duxi interpretationem, licet veram non existimem. Primo enim, quo argumento compertum Svidae fuit, Magog Persas esse? nec enim is est, vir Graecarum literarum doctissimus, cui et in Hebraico nomine sine argumento credi possit. Suspicari si licet, hoc eum spectasse dixerim, quod toti nonnunquam Persarum genti a magis, qui Persice مغ (*Mog*) sunt, nomen ducitur: unde si conjecturam de Magogo fecit, sine dubio errasse censendus est. Nec enim Mosis jam tempore eos a Magis nomen habuisse, verisimile. Quod autem de Gogi apud Ezechielem exercitu dixi, Xerxis copiis non absimili, specie impleti vaticinii nos decipit: obstant enim alia, quo minus de Persis haec vaticinari Ezechiel potuerit, ut, quod Gogus Palaestinam populumque Dei invasurus dicitur, Graecos bello adortus Xerxes est.

Denique ad Scythas quod attinet, a Josepho nominatos, in cujus sed non recte intellecti sententiam Bochartus quoque concessit, digna sunt ipsa, quae hic legantur, historici Judaeorum verba: Μαγώγης τοὺς ἀπ' αὐτοῦ Μαγώγας ὀνομασθέντας ᾤκισε, Σκύθας δὲ ὑπ' αὐτῶν (τῶν Ἑλλήνων) προσαγορευομένους: *Magoges dictos ab ipso Magogos condidit, qui a Graecis Scythae appellantur.* Videtur ergo Josephus de populo loqui, cui in illum usque diem Magogorum nomen proprium, nec ipsi incognitum fuit, licet Graecis, qui de rebus ulterioris Asiae parum curate retulerunt, late patente Scytharum nomine hos quoque Magogos complectentibus, nec suo proprio noscentibus. Ita non sententiam Josephus dixerit, sed testimonium. Hic autem populus, Syris diu post Magogi nomine vocitatus, qua in Scythiae parte sedes habuerit, ubi ad meam sententiam dicendam pervenero, quantum ejus fieri potest expediam. Nunc quidem adhuc de Bocharto.

Hic ergo totus in eo est, ut probet, Magogum Scytharum progenitorem fuisse. Quod quaeso quid habet certae ac definitae sententiae? Tam enim late patet Scytharum nomen, lingua, origine, caelo diversissimas complexum gentes, (nec desunt, qui ipsos Celtas, Germanosque, Scythas faciunt) ut nihil prope dixerit, qui disputat, Magogos Scythas esse. Elusisse quaestionem putandus est, non respondisse, qui de ignoto populo interrogatus id unum nos docet, Scythas esse: nec plus attulisse videtur, quam si Javanem quis conditorem Francorum, (ut loquuntur Turci) id vero est Europaeorum dixerit.

Non jam de argumentis agam, ex Ezechiele fere desumtis, quibus vagam hanc et late fluitantem opinionem Bochartus confirmare conatur: ut, arcum, et equos, et pa-

panopliam, Magogo tribui, quasi vero haec Scytharum modo, non multarum praeter eos gentium sint. Magis tamen displicet, quod iterum etymologia nititur Hebraica, in quaestione quae tota est geographica, multoque ulterioris Orientis. Ad Caucasum enim habitasse Magogitas pervicturus, vult eum, non a Magogo quidem, sed tamen a Gogo dictum, גוג חסן (*Gog Hasan*) *Gogi munimentum:* ne satis quidem grammatice. Hoc enim ipsum, *Gogi munimentum*, inverso vocabulorum ordine Hebraice Chaldaiceve dicendum fuisset, *Hasan Gog* (חסן גוג). Sed totum hoc genus probationis etymologicum cur mihi displiceat, supra exposui. Quod autem ex Plinio (*) de Hierapoli Syris Magog dicta habet, vestigia expeditionis Scytharum ex illo nomine eliciens, manifesti erroris est, sed quem quo vivebat tempore vitare Bochartus non potuit. Post cognitum ex Syrorum monumentis, vitiose scriptum, Magog, ac nomen urbis Mabug esse, his literis Syriace scribendum ܡܒܘܓ. Nec id nostrum observatum, sed detexit arguitque errorem Assemanus in indice geographico urbium episcopalium, quem Tomo secundo bibliothecae Orientalis inseruit. Nos tamen monendum duximus, ne non lecto Assemano, Bocharti, editionumque Plinii errorem, qui de geographia orientali agunt, describere pergant.

Denique in ea Scythiae parte, quam Magogis assignare potissimum videtur, maxime errat. Gogus enim quia princeps Rosch, Meschech et Thubal ab Ezechiele dicitur, Bochartus Rosch jam Araxen, jam Russos, jam caput interpretatus, in Araxis Moschicorumque montium vicinia, id vero est cis mare Caspium ad Caucasum quaerit,

(*) Plin. hist. natur. L. V. c. 23.

rit, non certiore ille indicio, quam quo Kamtſchatcam Petropoli vicinam ſuſpicarere, audiens, Ruſſorum illam imperio ſubjectam eſſe.

Haec quidem de Bocharto: nunc ad id dicendum quod ipſe ſentio progredior. In qua quaeſtione tractanda ſi feliciori mihi eſſe quam Bocharto contigerit, totum id ſeculo imputandum. Quod enim ante quinquaginta annos non potuiſſem non ignorare, nullo me negotio Ebedjeſus Sobenſis, aliique Syri, ab Aſſemano in bibliotheca Orientali T. III. P. II. p. 16. 17. 20. excerpti, docuerunt. Hi enim non in explicandis ſacris literis, ſed in tradenda hiſtoria, nomina Gogi et Magogi ut nota inque geographia recepta ita ponunt, ut manifeſtum ſit, ulteriorem Tatariam qua parte Indiae imminet, latiusque inde verſus Orientem extenditur, Magog vocitatam fuiſſe. Quae terra quousque verſus Occidentem porrecta fuerit, non ita liquet, ut fines ejus linea deſcribere poſſim: id unum video, non ad mare eam Caſpium pertinuiſſe, ſed ingentes terrarum tractus, Choraſanam, Chorasmiam, Mauerennahar, et Balk, partemque Bucariae, eam inter et hoc quod dixi mare fuiſſe. Ebedjeſu quippe, ſeculi XIII ſcriptor, auctor eſt, ab Adaeo chriſtianas eccleſias plantatas eſſe, *per univerſam Perſiam*, *regionesque Aſſyriorum*, *Armeniorum*, *Medorum*, *circumjectaque Babyloni*, *et Huzitas*, (Perſiae meridionalis non procul a Tigri gentem, cujus metropolim Ahvaz in Aſia d'Anvilliana invenies) *et Gelas* (ܓܝܠܝܐ, in tabula d'Anvilliana circa gradum longitudinis 40, longitudinis 85 reperies), *usque ad fines Indorum*, *et usque ad terram Gogi et Magogi* (ܠܐܪܥܐ ܕܒܝܬ ܓܘܓ ܘܡܓܘܓ). Hic quis non ſitum terrae Magog agnoſcat, illo in angulo incipientis, in quem Gilan

Gilan ſeu Kilan et Indiae ſeptentrionalia concurrunt? Similia habet Elias Damaſcenus, qui circa annum Chriſti 893. vixit, cujusque haec Arabica excerpſit Aſſemanus: *Aghaeus*, *Adaei diſcipulus*, *ad diſciplinam Chriſti vocavit*, *atque rexit*, *Gebalam* (i. e. Parthiam, quam in tabula d'Anvilliana ſub longitudine 65 graduum non procul a mari Caſpio invenies) *et Perſiam*, *et Ahvaz*, *usque ad fines Sind* (i. e. Indiae Occidentalis) *et Gogum et Magogum.* Mares, Salomonis filius, circa annum Chriſti 1135 clarus, de eodem Aghaeo Arabicis literis prodidit, *eum iter ſuſcepiſſe in Gebalam*, *et Ahvaz*, *et fines Sind*, (وما قرب اجوج ومجوج) *et quae proxima ſunt Gogo et Magogo.* Amrus denique, qui anno Chriſti 1318. obiit, Adaeum laudans evangelii praeconem, *Aſſyriam* ei *et Niniven*, *et Hazam*, *et Arzan*, *et Perſidem*, *et Gebalam*, *et quae ſita ſunt usque ad Gog et Magog* (والي بلاد ياجوج ومجوج) aſſignavit.

Quae quidem cum Joſephi dictis conferens, qui ſuo tempore aliquam adhuc gentem Magogi nomine noſcitare viſus eſt, intelligere mihi videor, Hebraeos, Syros, Chaldaeos, Arabes, ingentes illos terrarum tractus, qui Indiae et Sinae a ſeptentrione ſunt, quos Graeci Scythiae, nos Tatariae latiſſimo nomine una cum aliis permultis populis terrisque complectimur, Magog appellaſſe. Quae regio quousque ad Occidentem et Septentrionem pertinuerit, dicere non habeo: id unum agnoſcere mihi viſus, non ad mare usque Caſpium exporrectam fuiſſe, alterumque frigoris intolerantia deprecans, ne Moſaicis temporibus, aut omnino Ezechielicis, ad ultimum Septentrionem ejus fines proferantur. Niſi forte et hi ipſi populi Moſis tempore magis fuerunt occidentales, ſuntque ex illa gen-

tium vagina, (quo nomine mediam circa mare Caſpium Aſiam rectius quam borealia Europae dixeris) ut alii in Europam, ita hi in ultimum Orientem evagati. Amo enim quodammodo, ſi non maris Caſpii, certe Gihonis fluminis viciniam, ad quam paradiſum a Moſe collocari memini. Quod niſi eſſet, et niſi illi ad Gihonem tractus in majore olim, quam nunc ſunt, celebritate fuiſſe viderentur, non equidem auderem, in tam remota ad Orientem et mediterranea Aſiae deducere populos a Moſe jam memoratos: ultra autem, quam prorſus neceſſe eſt, atque ad hos qui diu poſt Chriſtum fuerunt Magogorum fines, progredi nolim, ſi propius a loco, in quo Moſes vixit ſcripſitque, conſiſtere detur.

Cujus excerptis hanc Magogi qualemcunque debeo notitiam, Aſſemanus, nuspiam quidem, quod meminerim, quaeſtionem tractavit, aut de ſitu terrae Magog expoſuit. In eadem tamen illum fuiſſe ſententia, ex elegantiſſima et veriſimillima explicatione fabulae Arabum de Gogo ac Magogo colligo. Cum enim Muhammedes, ex Judaeorum, ut puto, commentis, referat, Alexandrum Magnum aliarum gentium precibus permotum, muro ferreo Gogum ac Magogum, ſaevas nationes ac terribiles, coërcuiſſe, quo muro perrupto inque pulverem redacto aliquando prodituri ſint (*), Aſſemanus, *commentum*, inquit (**), *illud de muro aeneo ab Alexandro Magno exſtructo deſumtum videtur ex celeberrimo muro, a Sinarum regibus Tataros inter et Sinas erecto, vel certe de Pylis Caſpiis, quam urbem, ipſius Alexandri, ut ajunt, opus, hodieque portam ferream ſeu Derbent dici, compertum eſt.*

Arabia

(*) Corani Sur. XVIII, v. 93 - 99. XXI, 96.

(**) bibl. Or. T. III. P. 322.

Arabia cum longe majore intervallo ab his terris absit, quam illae regiones, quae lingua Syriaca utebantur, atque Muhammedani ex Corano fere acceptam Gogi et Magogi notitiam habeant, fabulosam illam potius quam geographicam: facile est existimatu, minus ex Arabicis scriptoribus religione Muhammedanis, quam ex Syris christianis certi peti posse. De fabulosa illi gente, et solis Corani mendaciis nobili, loquuntur; Syri de nota, ac propinquiore, et cui nomen Christi ipsi intulerunt, ad Sinensium usque fines propalatum. Qua de re si cui grave est Assemanum interrogare, copiosius in parte secunda tomi tertii bibliothecae de ea agentem, credat Moshemio, in institutionibus historiae ecclesiasticae summa rerum gestarum capita delibanti, aut hujus ipsius Moshemii historiam Tartarorum ecclesiasticam legat.

Arabes quidem, postquam ex patria sua egressi late Asia potiti sunt, exquisivisse feruntur terras *Jagog* et *Magog*: (sic sua eas lingua vocant). Historiam, an fabulam, ex Arabico libro excerptam, refert HERBELOTIUS in bibliotheca Orientali, pag. 470. 471. sub vocabulo *Jagiouge*. Vatheci, noni ex Chalifis jussu, seculo post Christum nono (anno 842) ad septentrionalia profectus dicitur Salamus, murum Alexandri, quo Magogitae includi putabantur, aliaque Corani visurus miracula, et certa de illis relaturus: isque, quod maxime aut fabulam arguit aut mendacium, ea felicitate usus est, ut hujus muri, qui nusquam fuit, ruinas suis oculis usurparet. Nec mendacii crimen diluere murus Sinensium poterit, ad hunc enim Salamus non pervenit, ut ex numero stationem liquet.

Ergo hac ſuſcepta expeditione ab Occidente maris Caſpii iter ingreſſus eſt, perque portas Caſpias, quibus nunc *Derbent* nomen, ad Magogum contendit. Nec id mirum, *portae* enim *ferreae* nomen illis Aſiae clauſtris impoſitum (*), potuit hominem Arabem, fabulis Corani de muro aliquo ferreo imbutum, illuc allicere. Multa in itinere mirabilia ſe vidiſſe narrat, mendaciis, quam ad fidem, propiora. Derbento profectus magis ſeptentrionalia petit, urbes Magogitarum conſpicit, muri etiam ruinas, (non certe Sinenſis, eo tempore nondum diruti) atque inde revertens, unde reverti ſane poterat, qui veram Magogi terram adiiſſet, ab Oriente maris Caſpii. XXVI, et X, et XXVII ſtationes Derbento usque ad ruinas, quas vidiſſe ſe refert, numerantur, quas ſi computes LXIII ſtationes erunt, adeundo Sinici imperii muro vix ſuffecturi. Forte ergo nullum ejusmodi murum vidit, ſed diu ignotis in gentibus fruſtra vagatus, mentiri maluit, quam aut Chaliſae diligentiam non probare, aut Corano contraria referre: niſi totus forte liber fabuloſis annumerandus, nullusque unquam Salamus iter ſuſcepit. Proximam a muri ruinis inveniſſe ſe ferebat urbem *Haſnam*, Salamus: haecne Caſan? an alia urbs mihi ignota? an omnino nulla, ſed quam conſveto Arabibus nomine حصن confinxit? viderint geographiae peritiores, iique maxime, quibus orbis Ruſſicus notus. Utinam, ſi modo haec hiſtoria eſt, non fabula, Chaliſa ſapientior Syrum chriſtianum ad Magogitas proficiſci juſſiſſet!

Alio

(*) Herbelot pag. 291.

Alio Arabe auctore, quem et ipse Herbelotus excerpsit, Jagog et Magog ultra Calmuccos et Slavos in ultimo habitant septentrione. Fabulosum sane, quod ibi terrarum populus quaeritur Mosi jam cognitus, atque ultra Slavos etiam, mari septentrionali imperium terminantes. Ipsi Calmucci melius fungi vice Gogi et Magogi potuissent, illis certe in tractibus habitantes, ubi Syri non fabulosi, sed seria narrantes, Magogum memorant. Sed Tatariam ille Arabs dicere voluit, quam cum parum haberet cognitam, ultra Calmuccos submovit.

Magogum solum Moses ut populum habet: sed adjungi ei fere solet Gogi nomen, ex Ezechiele a Judaeis, a Christianis ex Apocalypsi sumtum, et ab utrisque ad Muhammedanos tralatitium. Quae nomina, Gog et Magog, audienti, nec adcurate lecto Ezechiele ex quo primo manarunt, non potest non in mentem venire nominum simillimorum, Sin et Masin: quorum illud septentrionalem, hoc australem Sinam notare dicitur. Quam conjecturam cum et fecissem aurium svasu, et statim reprobassem, ab HERBELOTO tamen occupatam postea vidi (*). Sed reprobasse me dixi, quia Ezechielem legenti, antiquissimum eorum qui utrumque nomen conjunxerunt, vix dubium videri potest, *Gog* regis nomen esse, *Magog*, populi. Gogum enim principem populorum, Rosch, Meschech et

(*) Biblioth. Orientale pag. 528. *les Arabes, Persans, et Turcs joignent tousjours ce mot* (Magiuge) *à celui de Jagiuge, et ils entendent par ces deux mots, Jagiuge et Magiuge, comme ils entendent par Tschin et Matschin les Chinois septentrionaux et meridionaux, ce que nous entendons par Gog et Magog, c'est à dire, les peuples Septentrionaux.* Vide et que de Tschin et Matschin sub nomine Sin habet pag. 811.

et Thubal adpellat, turmas ei militares circumdat, ac de illo non ut de populo ſed imperatore loquitur. Quare veri plane ſimile videtur, ut reges Aegypti omnes uno nomine Pharaones vocabantur, ita Ezechielis tempore Magogitarum tyrannos hereditario nomine, GOG, ſeu, ut ad morem Orientalium Syrorum, Aſſyriorum et Chaldaeorum, efferam, GAG, vocitatos fuiſſe.

Haec mihi animo volventi in mentem venit nominis communis, quo hiſtorici Orientales earum gentium reges, quae Perſiae a ſeptentrione, mari Caſpio ab Occidente ſunt, commemorant, quod KAK noſtris literis ſcribi ſolet. Conjecturam autem proferre, exiſtimari velim, aliosque interrogare hiſtoriae illarum gentium peritiores, videaturne veriſimilis, non, aliquid aſſeverare aut defendendum ſuſcipere. In hiſtoria ergo Perſica medii aevi, quod a primi ſeculi fine ad Muhammedem Arabumque victorias effluxit, idemtidem Caci, regis ſeptentrionalis, mentio fit, bellum Perſiae inferentis. Hoc autem nomen KAK vix aliud ſonat, quam גוג, Orientalium Syrorum modo GAG pronuntiatum, niſi quod molliorem hoc literam G, illud fortiorem K habet: ſed quis mirabitur, barbarum vocabulum non iisdem literis Hebraice Perſiceque ſcriptum fuiſſe? Exterorum enim nominum ſonos non eadem ſcribendi lege exprimimus, ſed mollius hi, illi durius: unde quem Europaei KAK vocarunt, Chaldaei forte GAG ſcribebant. Aliter etiam Arabes, quibus idem Cacus rex, CHAK, additoque Tatarico nomine, Chan, quod regem ſonat, CHAKAN ſeu REX CHAK eſſe ſolet. Literas Arabicas adſcribo, خاقان, de orthographia, ab Hebraico גוג diverſa, id unum monens, Orientales in domeſticis quidem vocabulis unius orthographiae ſatis tenaces

ces esse, nec ג et ח unquam inter se permutare; at ubi barbara nomina, maxime a Persis accepta, Arabice scribenda sunt, has leges migrari, ac sonum quomodocunque exprimi. Addo etiam, quia non lubet nominis vulgatissimi exempla ex historiis excerpere, quae de Khacane, (sic scribere maluit sonum multarum literarum capacem) habet Herbelotus. Sic ille pagina 898. bibliothecae, de Turcis antiquis agens, quorum Cacos saepe Persiae terribiles fuisse legimus: *le titre ordinaire, que les Roys ont porté parmi ces peuples, est celui de* KHAN, *ou de* KHAKAN. *Les Arabes ont formé de ce dernier mot le pluriel, Khavakin, par lequel ils designent tous les Roys du Turquestan, des Mogols, des Tartares, et des Khataiens.* Idemque pag. 983. KHACAN, *nom general des Roys, qui ont regné dans les Provinces Transoxanes, parmy les Turcs, les Moguls, les Tartares, les Khatajens et les Chinois.* Ergo, si Magogitae his ipsis in terris habitarunt, eorum quoque regi nomen KAK, vel CHAKKAN, commune apud Syros fuit: quem regem cum videamus ab Ezechiele גוג dici, id est, occidentali Syrorum dialecto GOG, orientali GAG, conjicere certe licet, nomen KAK et גוג unum idemque esse.

De vaticinio Ezechielis, sive impleto, sive ultimis remotisque adhuc ecclesiae orbisque temporibus irruptionem Magogitarum minanti, jam non meum est dicere, geographicas quaestiones tractantis. Neminem fugit, illis ipsis ex terris, quas Magogo assignavi, Tataros infinitis copiis erupisse, Asiae, Europae, ipsique illi, de qua Ezechiel loquitur, Palaestinae infestos. Nec defuere famae suae Tatari, formidatos se Muhammedanis populos, Jagog et Magog ferentes, murum quoque aeneum igne

a ſe victum mentiti, quo plus terroris incuterent. Nec tamen ideo Tatarorum eruptione impleta ea videntur, quae Ezechiel praedixit. Palaeſtinam illi, fateor, occuparunt, ſed nulli tum reduces ab exſiliis in Palaeſtina Judaei: nec illas vidimus Tatarorum interneciones, quas Magogo vates praedicit. Denique prophetarum carmina plerumque non illos cecinere, qui id jactant, eorumque praetextu graſſantur, ſed ignorantes fere et inexſpectatos.

Opponi his, quae hactenus diſputavi, poſſe video, quod cum Moſes, verſu capitis noſtri ſexto, tum Ezechiel, capite XXXIX, verſu ſexto, Magogitarum terram inſulis adnumerare videtur, modo Hebraicum nomen איים, ut fere volunt, inſulas ſignificet. Illi enim, quos Magogo adſignavi, Aſiae tractus, non modo non inſulani, ſed ab omni Oceano marique remotiſſimi, et maxime ſunt mediterranei. Huic autem dubio ad verſum ſextum occurram, planum facturus, אי non inſulam eſſe, ſed habitationem.

* * *

ומדי *Et Medus.*

Madai Medos eſſe, res explorata, unde nihil illis addendum, quae hanc in ſententiam libro Phalegi ſui III, capite 14, Bochartus diſputavit. Quibus nunc nominibus vocetur (*), (id enim obſcurum putabat Bochartus, antiquorum peritior quam noſtrorum) ex Aſſemani bibliotheca Orientali, T. III. P. II. p. 424. ſeqq. diſcere licet.

De uno non omnino tacendum nomine *Mahat*, quo reliquorum interpretum tantum conſenſum turbans Arabs uti-

(*) *Schirvan*, et, *Adorbigan*.

utitur, quod illud ſe non capere Bochartus profeſſus eſt: quamquam nec nos expediendum ſuſcipiamus, ſed adgrediamur tentantes.

Ergo مُهَات (*Mahat*) habet Arabica verſio et pentateuchi in polyglottis expreſſa, et chronicorum; vocabulum, lexicographis, utque vidimus, Bocharto quoque ignotum: at interpres Arabicus ab Erpenio editus Hebraicas literas retinens مدى ſcripſit.

Hic vero ante omnia ſciendum, Medorum nomen linguae Arabicae peregrinum eſſe, ut ne in lexicis quidem agnoſcatur. Ante Muhammedem enim ſua clauſi peninſula Medos plerumque ignorabant, aut ſi qui illorum fecerunt mentionem, monumenta interciderunt: at poſtquam fanatico furore audaciam addente magna parte Aſiae potiti ſunt, illam, quae olim Media fuit, accepto a Perſis nomine, *Adorbigan*, ادوربيجان (*), ادربيجان (**), vocarunt, tanquam *ignis regionem* (*,*), quod ibi terrarum et frequentes eſſent ignis cultores, et ipſa tanquam natura templum igni aliquod condidiſſe videretur. Haud procul enim ab urbe Baku naphthae fontes ſunt, quorum exhalationes ignem facile arripiunt, ut ipſum ardere ſolum videatur (*,**). Manſit nomen in hunc usque diem, Perſicis literis آذربيجان ſcribendum, de quo, ſi lubet, Chardinium itinera ſua narrantem lectores conſulent. Hoc autem vulgare regionis nomen Arabicas bibliorum verſiones

(*) Aſſeman bibl. Or. T. III. P. II. p. 424.

(**) ibid. p. 708.

(*,*) Herbelot bibliotheque Orientale, pag. 62.

(*,**) Kaempferi amoenitates exoticae, faſcic. 2. relat. 2. pag. 262. ſeqq.

ſiones uſurpare, non memini. Semel (*) illa, quae in polyglottis legitur, pro Medis *Dailam* (ديلم) ponit, quod nomen eſt hodiernum partis Mediae ad Auſtrum maris Caſpii (**): plerumque autem Medus illis ماهي eſt, unde plurale nomen regulare ماهيون faciunt, ut Dan. V, 28. VI, 1. (al. V, 31.) 8. a quo gentis nomine regio ماهات dicitur. Suſpicor autem in hoc nomine deſcribendo errorem a librariis admiſſum eſſe, qui forte ſenſim in uſum linguae Arabicae apud chriſtianos immigravit, He pro Daleth poſito, quae literae in libris manuſcriptis ſunt, nonnunquam ſimiles. Certe pro ماهي (*Mahi*) Jeſ. XIII, 17. Dan. VI, 12. 15. inque verſione ab Erpenio edita Act. II, 9. مادي (*Madi*), rectius, ut opinor, ſcriptum eſt: idemque et reliquis locis reſcribendum puto. Quae ſi recte conjeci, Arabicis interpretibus cum reliquis coiit concordia, ſola librariorum culpa turbata, pro Medis Mahos ſupponentium.

Particulam ET, ſeu, ut Hebraice eloquar, praefixum Vau ante nomen מדי, in Samaritanis codicibus omitti, non reticendum, licet id minime probem. Ad legem haec aut lectio aut potius correctio referenda, quam Moſi fixiſſe Samaritanus deſcriptor videtur, ut bina ſemper gentium nomina per ET conjungat, ac ſi ſtatutum Moſi eſſet, populos tanquam per paria ex navi Noachi emittere.

(*) Act. II, 9.

(**) Vide Aſſemani Bibl. Or. T. III. P. II. p. 425. Herbelot p. 295. et Aſiam d'Anvillianam ſub gradu longitudinis 69, latitudinis 37. 38.

re. Hoc quidem loco abſurdum prope videtur, Graecos et Medos, disjunctiſſimas gentes, ita comparari atque copulari. Cui quaeſo haec paria placebunt,

Gomer et Magog,
Medi et Graeci?

Cui non potius probetur, *Gomer, et Magog, et Medi, et Graeci?* Haud dubia hic codicis Hebraici victoria, verſionibus etiam antiquis pro illo teſtimonium dicentibus. Nec tamen, quia hic, atque jam ante ſemel aut bis, ab ejus partibus ſteti, ſtabo ſemper, ſed Samaritanam lectionem ubi melior viſa fuerit Hebraicae praeferam.

* * *

וְיָוָן Et Graeci.

Javanis nomine Graecos intelligi, dubio caret, cum et Danieli Alexander Magnus ſit rex Javan (*), et Graeci Syriace ܝܘܢܝܐ (יוניא), Arabiceque يُونَانِيُّون dicantur. *Jonum* nomen facile agnoſcas: nec obſtat, quod ex traditione Graecorum Jones origine barbari, Dores Graeci fuiſſe dicuntur; unam enim in gentem coierunt, quae potuit uno vocabulo יון ab Aſiaticis comprehendi. Sic Gallorum et Francorum, ſedibus permixtorum, regnum communi nomine Franciam vocamus: nec reperias facile vecordem grammaticum, qui regis titulo, *Roy de France et de Navarre*, obſtrepat.

De hoc nomine Bochartus agens (**), in caſſum disputat, non ab Jone aliquo Graecis fabulis celebrato, ſed a Java-

(*) Dan. VIII, 22. (**) L. III. c. 3.

Javano Japhethi filio nomen genti ductum. Atqui forte neuter usquam fuit, gentisque hic nomen (unde acceptum, nescio, quis enim haec etyma investigaverit?) sed tamen gentis nomen, non viri, legimus. Verum Bochartus, tralatitio errore abreptus, singulos Noachi nepotes singulas gentes cognomines condidisse, quem errorem ipse alibi damnat, bellum contra Graecorum historicos suscepit, pie quidem, sed a quo prudentius abstinuisset.

De appellatione literarum Hebraicarum quaeri posse video, יון enim sonare possit, sive יָוָן *Javan*, ut punctorum auctor voluit, sive יוֹן *Jon*, cum Vau quiescente, quod Graeco Jonum nomini melius concinit. Mihi vero posterius praeplacet: nulla enim reddi ratio potest, cur veteres Hebraei Jonum nomen tam a vero detorserint, atque in Javan mutarint. Nec mihi Syros opposueris, in prima syllaba A ponentes, atque ܝܰܘܢܳܝܶܐ (*Jaunoje*) dicentes: quotidianum enim ac pene perpetuum Syris, pro O Hebraeorum (ܘ) *Au* reponere: unde ex ipso Syrorum *Jaunoi* sequi videtur, ut nomen Hebraicum *Jon* pronuntiatum fuerit.

Paulo aliter LXX, O et A simul habentes, Ἰώυαν scribunt, et, qui suus in hac pericopa, non Graecorum assecla esse solet, Josephus, iisdem tamen literis Graecis nomen Hebraicum expressit: ἀπὸ δὲ Ἰωυάνου Ἰώνια καὶ πάντες Ἕλληνες γεγόνασι, *a Jovane autem Jonia et omnes Graeci ortum habent.* Quo quidem argumento discimus, eam vocabuli יון adpellationem, ex qua Vau mobile est, diu ante punctorum natales consvetam

Ju-

Judaeis fuisse: nec tamen ideo veram adfirmaverim. Namque et error antiquus esse potest.

Sed ad varietatem lectionis deveniendum, elegantissimam, et criticorum diligentia integerrimoque judicio inprimis dignam. Graeci enim interpretes in suo Mosis volumine post יון (*Javan*) additum legisse videntur ואלישה (*et Elisa*). Graeca sunt, καὶ Ἰώυαν, καὶ Ἐλισά. Nec ideo Elisam filium Jonis ex versu quarto omittunt, sed duplicem Elisam habent, hunc fratrem Jonis, illum filium.

Verane an falsa sit lectio, uno tantum teste, sed gravi, pro ea dicente, decernere non ausim. Namque et fidissimi interpretes sunt Alexandrini, et bono codice usi, in pentateucho vertendo: licet in reliquis plerisque libris vertendis secus. Solos tamen textui Hebraeo et Samaritano, ac tot versionibus antiquis, eos aut praeferre, aut omnino comparare et committere, quam prope temerarium? De veritate autem lectionis utcunque statuamus, certum est, egregie eam originibus graecis, quales ab Herodoto, libro I, cap. 56. 57. 58. narrantur, convenire. Summa dictorum: Graecos qui Herodoti tempore erant, ex duobus diversis populis, quorum unus Graeciam habitabat, pererrabat alter vagus initio, coiisse. Erant autem hi populi,

1) alter, *Jonum*, Pelasgicae originis, lingua barbara:
2) *Dores*, alteri, Graece loquentes, ideoque proprie Ἕλληνες dicti: ob Ossa et Olympo montibus profecti, Pindi, cui tunc *Macedno* nomen, aliquamdiu incolae, Peloponnesumque tandem ingressi, ubi Dores vocari coeperunt.

Fac, genuinam esse lectionem, ויון ואלישה (*et Jon et Elisa*) utriusque populi, in Graecia habitantis, et vagi,

ſuo adhuc tempore discreti, mentionem Moſes fecerit. יון erunt Jones: אלישה Hellenes ſeu Dores, aut, ſi nomen regionis praeplacet Hebraicis literis conſonantius, Hellas.

Hanc lectionem niſi ex uno haberem Graeco interprete, in quem cadere ſuſpicio poſſit monumentorum Moſis ex Graeca hiſtoria, quam cognitam interpres habebat, interpolatae; veram et genuinam pronuntiarem. Nunc equidem dubito, donec in aliquo aut Hebraico aut Samaritano codice inventa fuerit.

De mercibus quoque dicendum, quas Ezechiel Graeciae ſui temporis attribuit, Tyrum exportatas. In capite ergo XXVII, quod antiquiſſimum eſt hiſtoriae mercatoriae monumentum, Graecos cum Thubal et Meſchech conjungit, canitque, ab his tribus gentibus Tyrios emiſſe mancipia et vaſa aenea. De Meſchech et Thubal poſtea dicam: nunc quidem de Graecia, -- -- nec tamen dicam, ſed potius tota diſputatione una defungar ingenua ignorantiae confeſſione, quod libris Graecorum et hiſtoria deſtituor illuc antiquitatis pertinentibus.

Nempe in Graecia emtos a Tyriis ſervos memorat Ezechiel (*). Eorumne ergo iſto tempore venditrix Graecia? Id quidem expedire adgreſſus Bochartus (**), ſed vix ſuſpicans, quam rem adgrederetur. Erat enim ſuperioris ſeculi, nil ignorare. Atqui, quis noſtri orbis cognitor neſciat, non ſemper eadem in terra et hominum ſuperare, et mancipiorum, quae exteris vendi poſſunt, copiam? Non diu ejusmodi merces exportantur: quae enim nunc hominum dives terra colonos emittit, ea aliquando

(*) Ezech. XXVII, 13. (**) pag. 154.

quando ſupplemento coloniisque opus habebit, ut nunc illo ipſo in tractu terrarum, de quo Ezechiel eodem in verſu loquitur, ſitae regiones, mare inter Caſpium et Pontum Euxinum, vagina olim gentium, colonos ex Germania accipiunt, conquirente illos et ſolicitante Catharina. Quae autem gentes mancipia exteris vendunt, plerumque id faciunt, quod aut rapto et latrociniis vivunt, aut bella cum finitimis diuturna gerunt, in quibus capti a victore auri inope venduntur. Haec aut bella, aut rapinae, aut paupertas, non aeterna.

Jam ea evolve, quae ſcripſit Bochartus. Graecos ſervos memorat laudari, ſed a teſtibus valde recentibus, ſexti etiam poſt Chriſtum ſeculi, et poſtquam jam ultra mille annos literis exculta Graecia eſſet, ſervique Graeci ob venuſtatem, et eruditionem, carius emerentur. Hoc vero quid ad Ezechielis tempora? Tyriine antiqui, etiam antequam Pythagoras philoſophiam furari Aegyptiis auſus eſſet, Graeca mancipia eruditionis cauſſa emebant? Fateamur potius, quam male diſſimulabimus, rerum Graecarum in illa antiquitate ignorantiam: nec poſſe nos ex Graecis Latiniſque ſcriptoribus hariolari, quae terrae ante Nabochodonoſarem mancipiorum fuerint feraces. Nec forte Graeca mancipia Tyrum advecta a Graecis, ſed barbara bello capta. Hoſtes enim vendere, non cives, ſolent, qui mancipiis mercaturam faciunt.

Altera Graeciae merces *vaſa aenea*, (כלי נחשת) de quibus dicturus hoc maxime teneri velim, neglectum ab interpretibus, non de aere, ſed de vaſis aeneis, id eſt, de opere et artificio, non de materia, Ezechielem loqui. Quas inter res in hiſtoria commerciorum multum intereſt: ſaepe enim accidit, ut aeris dives regio artifices non habeat,

beat, ſed rude exportet; alia, metallo carens, manus habeat et ingenia, rudique exterorum metallo formam, et decus, et uſum adcommodet. Ex loco ergo Ezechielis veriſimile, Graeciam, quae paulo poſt aeris fabricandi ſolertia, et ſtatuarum pulcritudine, omnes terrarum gentes ſuperavit, jam ante Nabochodonoſarem ejusdem artificii rudimenta ſuperaſſe, non in ſtatuis quidem, ſed in vaſis et ſuppellectile domeſtica, ut aere pulcre fabricata ab hac potiſſimum gente, Moſchisque et Tibarenis, Tyrii peterent.

* * *

ותבל ומשך *Et Thubal, et Meſchech.*

In ſumma rei, ipſaque vocabulorum explicatione, partibus Bocharti accedo, cui Meſchech et Thubal *Moſchi* ſunt et *Tibareni:* nec eſt, quod peroratae ab illo, in capite XII. libri tertii ſententiae, illuſtrandae aut confirmandae addere poſſim. In minimis modo rebus ſpicilegii occaſionem relictam mihi intelligens, ac reliqua omnia a Bocharto petere lectores jubens, per numeros iſta minuta redigam, quae addi Bocharto, aut pro meo inſtituto, quod non geographicum ſolum ſed et criticum eſt, moneri debent.

1) Pro ותבל Samaritanus codex legit, תובל, duplici varietate. Primo enim Vau praefixum omittit, ex ſuo ille more populos per paria componens, ideoque alternis modo ET praemittens: qua in re ſi errat, duo tamen conjunctiſſimos populos, Moſchos et Tibarenos, eidem pari adſcribens, minus videtur reprehendendus, quam is, qui accentus codici Hebraeo ita adjecit imperite, ut nomina gentium gemel-

mellarum, ubique fere conjuncta, interposito Athnacho a se invicem divelleret, Thubalem Graecis, Moschos Thiraso copulans. Deinde, quod paulo gravius est, Vau quiescens, vocalis U indicium, seu, ut loquuntur grammatici, matrem lectionis, addit: idque paulo dixi gravius, quia ad eam pertinet disputationem, sitne in literis quiescentibus Samaritani codicis an Hebraei orthographia potior.

Nostro ergo in loco plene quidem, ut Samaritanus תובל scribunt, primo tres codices Hebraici Erfurtenses ad biblia Halensia collati; deinde ex interpretibus, Onkelos, Jonathan, Syrus, Arabs Erpenianus, et Persa: sed a versionibus, ignotae suo jam tempore gentis nomen distincte scribentibus, ne prave per ignorantiam appellaretur, ad Mosaicam scriptionem argumentum duci non potest. In libro chronicorum, sed qui ipse sero, et forte postquam nomen gentis ignotum Hebraeis esse coeperat, scriptus est, plene, ut in Samaritano pentateucho, תובל legitur. Aliis in libris promiscua et vacillans scriptio: תובל enim plene habent biblia impressa, Jes. LXVI, 19. Ezech. XXVII, 13. XXXVIII, 2. 3. defective תבל Ezech. XXXII, 26. XXXIX, 1. De Ezechielis tamen loco, c. XXVII, 13. certum est, ante viginti jam secula scripta exemplaria sine Vau תבל habuisse. Verterunt enim Septuaginta, ἡ σύμπασα, *totus orbis*, quo modo alibi תֵּבֵל, orbem habitabilem, interpretari solent, ut Nahum I, 5. Hanc ego tam antiquam sequutus fidem, cui nulli nec Hebraici nec Samaritani codices nobis servati comparari possunt, certum habeo, promiscuam

ſuiſſe orthographiam, ac licuiſſe et תובל et תבל ſcribere, prorſus ut conſvetae edicunt grammaticae leges, ab Houbigantio perperam erroris adcuſatae. Utrum autem Moſes plene ſcripſerit, an defective, cum utrumque liceret? ipſis Hebraicis codicibus diſſonis non definio.

2) Tibarenorum populus ex vicinia Moſchicorum montium, in qua illi ſedes aſſignat Bochartus, verſus occidentem evagatus videtur. Hinc et illi, de quibus Bochartus diſputat, circa Cotyorum Tibareni, vulgo notiores: et Tibareni Ciliciae populus, a quibus obſides ſe accepiſſe Cicero memorat. Vide Cellarii geogr. ant. libr. III. c. 62.

3) Quod Iberos expoſuit Joſephus (*), illos nempe qui inter mare Caſpium Pontumque Euxinum habitabant, forte non contradicit Tibarenis Bocharti: fieri enim potuit, ut Iberi Moſchicorum montium partem habitantes (**), illi ipſi fuerint Tibareni, qui toties in geographia cum Moſchis componuntur.

4) Jure poenas luit Bocharto Hieronymus, qui Hiſpaniae Iberos intellexerit, cum de Aſiaticis loquatur Joſephus. Nec tamen eundem ubique errorem admiſit, ſed ad Ezech. XXVII, 13. dubitans ac ſapientior

(*) Ant. I, c. VI. §. 1. Θώβηλος Θωβήλους, οἵτινες ἐν τοῖς νῦν Ἴβηρες καλοῦνται: *Thobelus conditor fuit Thobelorum, qui noſtro tempore Iberi vocantur.*

(**) Strabo libr. XI. pag. 499. ἡ δ' οὖν Μοσχικὴ τριμερής ἐστι· το μεν γὰρ ἔχουσιν αὐτῆς Κόλχο, τὸ δὲ Ἴβηρες, τὸ δὲ Αρμένιοι. *Moſchica tripartita eſt: partem enim Colchi, aliam Iberi, tertiam Armenii tenent.*

tior adſcripſit: *Thubal, id eſt Iberi Orientales, vel de Occidentis partibus Hiſpani, qui ab Ibero flumine hoc vocabulo nuncupantur.* Quamquam veriſimile videri poteſt, utrosque Iberos origine conjunctos, eosque, qui Hiſpaniam tenuerunt, ex iſta ad Pontum Euxinum et mare Caſpium gentium vagina egreſſos in ultimum Occidentem penetraſſe.

5) Si qui Italiam habent, ac nomina Chaldaica יתניא et אוסיא, pro Thubal et Meſchech poſita, Italiam, ut putat Bochartus, et Auſoniam ſonant, Tibris fluvius, ſono utcunque concinens, occaſionem dediſſe errori videtur. Aliorum de his Chaldaicis nominibus cogitata dedit Matthias Fridericus Beckius, in notis ad 1 Chron. I, 5. cujus verba, quia liber in paucorum manibus eſt, infra deſcribi curo (*). Mihi quidem veriſimillimum, genuinam ſcriptionem Pen-

(*) וְיתָנְיָא] *Jonathan* וְיִתִינְיָא *Rabbi Samuel* filius *Ammi*, הונִיה: *quis horum optime, dicere non poſſum. Taylerus in verſione Thargum Hieroſolymitani Athenas reddidit, Bochartus vero in P. I. Geogr. Sacrae l. III. c. 12. Italiam intelligit. Verum quoniam hic de* ἐπαρχίαις *et integris provinciis, non de urbibus ſermo eſt, et Italia commate ſequente memoratur, hinc neutrius conjectura placet; mihi veriſimile videtur, Gothunniam, Sarmatiae Europaeae regionem a Thargumiſtis ſignificari. J enim et G ob ſoni vicinitatem permutari ſaepe ſolent, et quod majus eſt, in textu Moeſia et Thracia immediate ſubjiciuntur. Accedit, quod Thalmudici quoque in Tr. Joma fol. 10. col. 1. ſcribunt,* תובל זו בית אונייקי *Thubal eſt* ἡ γενεα Ουννιακή, *domus Hunniaca, vel Hunnorum.*

וְאוּסְיָא] Jonath. Geneſ. X, 2. אוֹסְיָא et Pſ. CXX, 5. אוֹסָאֵי Hieroſol. vero אַנְסְיָא, et *R. Samuel filius Ammi,* איסניא, *ubi duae primae lectiones minus diſplicent. Taylero Aſſos, Bocharto Auſonia*

Pentateuchi ſequiorum verſionum Chaldaicarum, et chronicorum, hanc eſſe, והניא ואנסיא, *Hunni et Unni*. Nec ex ſola ita corrigo conjectura, ſed quod pro priore nomine Rabbi Samuel filius Ammi הוניא legit, alterum Thargum Hieroſolymitanum in polyglottis Londinenſibus אנסיא exprimit, *Unnoſoje*, niſi fallor, pronuntiandum. Nempe Hunnorum nomen Syris utroque modo, per He et per Aleph ſcribitur, ܐܘܢܝܐ atque ܗܘܢܝܐ, qua orthographiae duplicitate uſus videtur interpres, ad duas Hunnorum gentes, quas hiſtoria Aſiatica nobilitavit, alborum et nigrorum, deſignandas. Thalmudicos quoque de Hunnis cogitaſſe, cum Thubalem interpretantur בית אונייקי, recte vidit Bochartus, quo in nomine terminatio AK addita Slavonica eſſe videtur, ut in *Oſtiakis*, *Bosniakis* aliisque.

Nec vero haec ita diſputo, ut Thubalem ad Hunnos referam, ſed ut, quid ſenſerint Thalmudici, ſequioresque Chaldaei, quo tempore Oriens Parthicique reges maximo Hunnorum terrore perſtringebantur, explicem. Nempe horum nominum interpretes, ut quisque eſt geographiae imperitior, eas

ſonia eſt, quibus vero neque hic aſſentiri poſſum, quod ille urbem denuo pro provincia obtrudat, hic vero nimis detorquere videatur nomen regionis. Mea conjectura eſt, מוסיא *Moeſia, una permutata litera, legendum eſſe, nam quo imperitiores Judaei in geographia ſunt, eo etiam nomina locorum corruptius deſcribunt. Et juvare poteſt conjecturam, quod Moeſiae vicina terra, Thracia, immediate ſubditur, et Moſchus fluvius, antiquum et obſoletum nomen regionis* משך *adhuc referens, in ea exſiſtat Conſ. Auctor libri* יוחסין *pag. 135. col. 1. et Matth. Aurogallus in libello* סדר שמות עצמים *in voce* משך.

eas gentes arripiunt, Mosique obtrudunt, quae ipsorum tempore victoriis rebusque gestis claruerunt.

6) Quod de nomine Thubalenorum Bochartus habet, ducto a Thubalcaino ferri inventore, quia ferri dives eorum regio fuerit, in morbis grammaticorum numerandum, etymologiae plus quam par est tribuentium. Tibareni si fodinas ferrarias exercuerunt, (quamquam id ipsum falsa nititur interpretatione loci Ezechielis, de qua deinde) non id fecerunt, priusquam populus fierent, sed cum jam diu montes suos habitassent, essentque venas metallorum scrutati: quo illos tempore, cum nomen jam haberent, aliud, idque Hebraicum, ex antiquissima generis humani historia sumsisse, illoque nomine non ab Hebraeis modo, sed ab aliis quoque gentibus, ipsisque Graecis Tibarenos vocatos esse, estne verisimile?

7) Nec vero ullo argumento constat, Moschos et Tibarenos ferri fuisse divites. Excogitavit rem totam, ne quid antiquissimarum rerum ignorare videretur, locoque Ezechielis cap. XXVII, 13. illustrando adhibuit, Bochartus. Exportata ex Meschech et Thubal ad Tyrios dicuntur, *vasa aenea*, (כלי נחשת) id vero est, non aes rude, sed vasa ex aere eleganter fabricata. Aes autem, illud certe quod Hebraeis נחשת dicitur, cuprum est, ut ex alio Ezechielis loco, in quo quatuor ignobiliora metalla antiquis nota nominantur, cap. XXII, 18. manifestum. Argentum enim, cum exploraretur, spurium repertum, et AES, *stannum, ferrum et plumbum fuisse*, dicitur. Hic ergo occu-

 pato

pato jam auro, argento, ſtanno, plumbo et ferro, vocabulo נחשת nihil praeter cuprum relinquitur.

Jam cum Bochartus de cupro ad mare Caſpium exque Moſchicis montibus eruto nihil compertum haberet, puderet autem doctiſſimum virum, ſeculo ſuperiore natum, aliquid non noſſe: aes in ferrum mutare maluit, quam minus copioſe commentari. Gentem ait Chalybum conterminam fuiſſe Moſchis et Tibarenis, de qua quidquid eſt proditum, ad Moſchos idem ac Tibarenos transfert. Haec autem gens cum ferri fodinis chalybisque parandi arte eſſet nobilitata, nihilque de cupro Chalybum proditum legeret: Hebraeum נחשת non aes, ſed chalybem verti juſſit, exempla adferens ſignificationis Judic. XVI, 21. et Thren. III, 7. Quae quidem quid ad rem faciant, non video. Utrobique enim *catenae ex aere* (נחשת) memorantur, ubi proprie accipi poſſe aeris nomen nemo negaverit: poſſunt enim et ex cupro catenae fieri. Chalybem vero quis iſto indicio intellexerit? Certe ex chalybe nemo captivis catenas circumdet, niſi qui eos evadere velit: diſſultu enim rumpitur, mucronibus, non catenis aptum.

Mihi quidem in re tam antiqua ſoli credere Ezechieli lubuerit, Moſchos et Tibarenos ejus tempore aere fundendo et poliendo claruiſſe, ſi vel nihil praeterea de aere illarum regionum ſciam. Sed nec neceſſe eſt, fateri ignorantiam: cupri enim fodinas in hunc usque diem Caucaſus habet, in quo et Kubeſcha, vicus elegantia vaſorum aeneorum nobilitatus (*).

Ar-

(*) Sammlung Rußischer Geschichte, zweiter Band, S. 2. 3. 4.

Arzeri praeterea, quae eſt urbs Armeniae montanae, adeoque in vicinia Moſchicorum montium ſita, plurima vaſa aenea fieri, cuprique fodinas tridui inde itinere abeſſe, auctor eſt Büſchingius (*).

8) Moſchorum nomen, quos Moſchicis montibus, Bocharto praeeunte, aſſigno, ſine Vau in codicibus Hebraicis ſcriptum eſt, משך: at cum Vau, vocalis O indicio in prima ſyllaba, מושך in Samaritanis (**). Hic ut nihil audeam definire, nomen tamen Hebraicum *Moſchoch* appellandum cenſeo, non ut puncta Maſorethica habent *Meſchech*, מֶשֶׁךְ. Namque et populum Moſchchorum habemus, non Meſchchorum, et veteres, qui aliis literis Hebraica expreſſerunt, O vocalem in prima ſyllaba habent: ut LXX ΜΟΣΟΧ, Vulgata MOSOCH, et Syrus (quamquam in hoc minus auctoritatis reſidet, quia appellatio vocabuli ad vocales redit), ܡܫܟ. De Joſepho dubium, variat enim lectio.

9) Dignus erat Joſephus, Cappadociam intelligens, qui non uno verbo a Bocharto commemoraretur, ſed cujus ſententia ipſius concepta verbis legeretur. Μοσοχηνοὶ, inquit, ὑπὸ Μοσόχου κτισθέντες, Καππαδόκαι μὲν ἄρτι κέκληνται. Τῆς δὲ ἀρχαίας ἀυτῶν προσαγορίας σημεῖον δείκνυται· πόλις γάρ ἐστι παρ᾽ ἀυτοῖς ἔτι, καὶ νῦν Μάζακα, δηλοῦσα τοῖς συνιέναι δυναμένοις ὅυτως πότε προσ-

(*) pag. 159. deſcriptionis Aſiae.

(**) ומושוך dupliciter plene habent biblia polyglotta in textu Samaritano: ſed id ad errores typographicos ablegat Houbigantius.

προσαγορευθὲν πᾶν τὸ ἔθνος. i. e. *Mosocheni, a Mosocho conditi, nunc quidem Cappadoces dicuntur. Antiqui autem nominis non obscurum indicium habetur: urbs enim etiam hodie apud eos est* MAZACA, *ex qua colligere argutiores possunt, totam olim gentem ita vocatam fuisse.* Huic credidit, quae ad Ezech. XXVII, 13. adscripsit Hieronymus: *Cappadoces intelligimus, quorum metropolis, quae postea ab Augusto Caesare Caesarea appellata est, usque hodie lingua ipsorum Mazaca dicitur.* Obstare videtur, fateor, orthographiae Hebraicae Graecaeque ratio: cum enim ש semper Graeci per Σ reddant, nunquam per Z, quod Zain Hebraeorum exprimit, videtur משך potius *Μάσακα* futura, *Μάζακα* autem Hebraice מזק scribenda fuisse. Verum ex Mosis Chorenensis historia discimus, nomen urbis apud Armenos MSCHAK fuisse, inditum illi a conditore *Meschaco* Armenorum duce, quod cum indigenae efferre non possent, in Mazacam mutarint. Non inepte ergo urbis nomen cum Hebraico משך contulit, doctiorque, quam videbatur, fuit geographiae Josephus. Ipsa Mosis Chorenensis verba adscribo. Arami, non ejus qui Syrorum dicitur progenitor, sed regis Armenorum antiquissimi, Nino supparis, victorias describens, inter alia et haec habet (*): *in Occidentem igitur progrediens cum quadraginta millibus peditum armatorum, et duobus equitum, in Cappadociae partes devenit, ad locum quendam, qui nunc vocatur Caesarea.* Et

(*) libr. I. c. 13. p. 38.

Et paulo poſt pag. 39. *Ipſe autem, relicto ibi quodam ex ſtirpe ſua Meſchaco* (*), *quem cum decem millibus militum regioni praefecerat, in Armeniam regreditur, cum id mandati ejus regionis incolis dediſſet, ut linguam noſtram Haicanam diſcerent, ob eamque cauſſam tractum eum Graeci adhuc nominant, Armeniam Primam. Caeterum oppidum, quod de ſuo nomine condidit Meſchacus, parvis moenibus circumſeptum, priſci regionis incolae, quia recte pronuntiare nequibant, Mazacam appellabant, donec poſtea inſtauratum et amplificatum Caeſareae nomen accepit.* Qua quidem ex narratione primo diſcitur, urbis nomen initio MESCHAC fuiſſe, deinde conditam eſſe a populo, aut ex ipſis Moſchicis montibus, aut certe ex eorum vicinia egreſſo. Sunt enim hi montes Armeniae contermini, ſeu ut rectius dicam pars Armeniae (**); ejusque regibus, late, ſi Moſi Chorenenſi Armeniorumque traditionibus fides, regnantibus, eo ipſo tempore, quo haec geſta ſunt, paruerunt. Quod ſi ſecus eſt, resque ſuas in majus Armeni augent, potuerunt ſuae genti et Moſchorum expeditiones arrogare, quale quid ſaepe eos facere aliorumque populorum victorias ad ſuam gentem referre,

(*) In verſione Whiſtonorum fratrum nomen per S ſcribitur, *Meſacus*, ſive orthographiae latinae obſequio, ſive alia de cauſſa. Armenice autem per *Scha* ſcribitur, viceſimam tertiam Armenorum literam, cujus ſonum vulgarem Whiſtoni in Alphabeto praemiſſo per Sh Anglicum exprimunt.

(**) Strabo pag. 499. *Moſchica regio tripartita eſt, partem ejus Colchi, Iberes aliam, tertiam Armenii tenent.*

re, Mosen Chorenensem legens deprehendere mihi visus sum.

Forte ergo nec omni ex parte vera, nec prorsus damnanda Josephi conjectura. Cappadoces ipsi, Mosocheni non erunt, urbs enim, cujus ex nomine id probat Josephus, ab exteris condita: et tamen, Mazaca, si Moschorum colonia fuit, et nomen et primos natales populo Mosi משך dicto debebit. Verum haec non Mosi explicando, sed Josepho, scripsisse videri velim: ipsi enim Mosi Moschicorum montium incolae sufficiunt.

10) Non defuerunt, qui ad Moschos a Mose nominatos Moscovitas nostri temporis referrent: eodem, quem in antiquis interpretibus adcusare soleo, errore, prout cujusque tempore populus aliquis armis ac potentia, aut commerciis, inclarescit, illum omnes populum arripientes, nec dubitantes, quin jam Mosis tempore clarus fuerit, idemque quod nunc nomen ante tria annorum millia habuerit. Nempe obliviscuntur, populos et nasci, et obscura esse infantia, et juvenescere: et eos, qui olim erant, consenuisse, ac tandem rerum mortalium vices explere. De Moscovitis quidem, seu ut rectius dicam, Russis, nemo Russicae historiae peritus hic aut cogitavit, aut in posterum cogitaverit. Moscovitarum enim nomen ab urbe habent, quae olim metropolis non fuit, sed rerum vicissitudine emergens sero facta est. Mihi sane illustris MULLERUS, historiographus Russici imperii, hac de re interrogatus, confirmavit, nihil habere Russicam historiam de aliquo Moschorum populo, idque silentium eo esse

esse majoris momenti, quod a seculo nono chronica Russorum lucide et copiose res, quae gestae sunt, tradant, ac populorum multorum nomina commemorent (*). Desinant ergo, qui prophetas interpretantur, ad Gogi et Magogi nomen potentiam horrescere Russorum:

improvisa lethi
Vis rapuit rapietque gentes.

Miror tamen, eos qui in משך Moscovitas vident, non et תובל ad Sibiriam referre, cujus urbs primaria Tobolska, recentior illa quidem, sed ab aeterno flumine Tobol nomen habens, possit sono Thubalem referre, maxime cum Sibiria sit fueritque aeris dives, cupro olim etiam pro ferro usa, cultrosque ex cupro faciens, qui in sepulcris antiquis cum mortuis conditi passim reperiuntur. Verum id non ita scribo, ut verisimile existimem, scriptores sacros de accolis fluvii Tobol loqui, sed quod magnae incogitantiae videtur, Tobolskam ab illis praetermitti, qui in Meschech Moscuam videre sibi videbantur.

* * *

ותירס *Et Thiras.*

De Thiras non habeo, quod addam Bocharto, in capite secundo libri III. satis efficienti verisimile, Thraciam hoc nomine Hebraeis significari: quamquam, si *Tyras* fluvius,

(*) Forte melius, qui Slavos facere Moschos volunt, Moschium, Maesiae fluvium a Ptolemaeo nominatum, in subsidium vocassent: illi enim tractus, ut docuit amicissimus nobis Schloezerus, vera Slavorum patria.

fluvius, noſtris *Nieſter* dictus, quem ipſum hic nominat Bochartus, et cujus vocabulum pleniſſime Hebraicas literas exprimit, ad indicia gentis referendus eſt, non video, cur Thraces potius, quam illius ipſius fluvii accolae, intelligendi ſint. Sed manum de tabula! Non audeo ex ſolo nominum concentu de tam antiquis rebus populisque certi quid ſtatuere, niſi aut teſtes aut alia argumenta accedant.

Si quid obſervavi Bocharto non commemoratum, ſolus eſt, nec is magni momenti locus Judith. III, 13. ubi in Syriaca verſione nomen Thiras legitur. Sic enim Syriace expreſſus verſus eſt: *exſtirparunt Phutaeos, et Ludaeos, et in captivitatem abduxerunt omnes filios Thiras* (ܠܟܠܗܘܢ ܒܢܝ ܬܝܪܣ) *et Raamſes, et filios Ismaelis qui habitant deſertum auſtrale, omnemque terram Chaldaeorum.* Ex hoc tamen loco vix conjecturam facias, qua in parte orbis terrarum fabuloſus ſcriptor, antiqua gentium nomina, forte nec ipſi notarum, utcunque congerens, poſteris Thiraſi ſedes aſſignet. Sed nec lectio Hebraici exempli deperditi certa: pro Thiras enim LXX Ῥαςς̀ις habent, et Vulgata, *Tharſis*, quorum hoc Hebraicis literis תרשיש ſcribendum erat, fuitque forte a Graecis רשיש una litera omiſſa lectum.

Ab hoc autem libri fabuloſi loco ſi diſceſſeris, Thiraſi nulla uspiam mentio, niſi in genealogia filiorum Noachi: unde fit, ut ad quaeſtionem de Thiraſi ſedibus nihil adferri poſſit, praeter aliquam nominum ac ſoni ſimilitudinem. Non ex hiſtoria, non ex mercibus a gente exportatis, non ex ſerie orationis, de ſitu regionis colligi quidquam poteſt: ſapientius ergo, fateri ignorantiam.

GENES. X, 3.

ובני גמר. *Et filii Gomer ſunt* etc.

* * *

Non filios Gomeri ſingulos, ſed gentes a Gomeritis ortas nominari, ita manifeſtum, ut ipſi, qui alias diſſentiunt, id daturi, aut ſibi contradicturi videantur. Solent enim alium Gomero cognominem populum quaerere, alium Ascanazo, Riphato tertium, Thogarmae quartum. Atqui ſi tres modo filios genuit pater Gomarus, fieri quidem potuit, ut ſinguli ſingulos populos filii conderent, patri autem ſuus, quem dare illi ſolent, Gomaritarum populus nuspiam relinquetur. Populum enim a filiis non ortum ex ſe procreatum relinquere non potuit. Vide quae in initio ad verſum primum ſcripſimus. Haec ergo Moſis mens: *Cimbrorum, ſeu Gomaritarum coloniae ſunt, alias in terras deductae, Ascanazeni, et Riphaei, et Thogarmaei.*

His autem in Gomarorum antiquiſſimis coloniis ſi plura etiam, quam in ipſo Gomaro ſunt obſcura, mirari id non debebimus, ſed antiquitatis magnitudine ſolari ignorantiam. Si enim vel certum eſſet, quod ut opinabile poſui, Gomer primos eſſe Celtas, nondum in Europam egreſſos, ſed alicubi Aſiae aborigines, quis tam ſit impudens, ut confidat, eorum nos colonias Aſiaticas, Moſis jam tempore dimiſſas, ex hiſtoria cognitas habere? cum nemo ſcriptorum, qui Celtarum Gallorumque mentionem faciunt, quidquam de iis prodiderit, antequam in Gallia Germaniaeque parte habitarunt. Accedit, quod et linguae indicia, ortum cognationesque gentium prodere ſolita,

lita,

lita, hic nos destituunt. Pauci effluxerunt anni, ex quo linguae Celticae exiguam particulam cognitam habemus: at quae cuique antiquarum gentium, Ascenazo, Riphato et Thogarmae assignatarum, lingua fuerit, utrum cum Celtica cognata, an penitus ab illa dissona, adhuc ignoramus. Posteri de ea quaestione dispiciant. Mihi quidem in toto hoc versu, progeniem Gomeri complectente, non tam est propositum, vera et explorata dicere, aut conjecturas verisimiles tentare, quam ea colligere, quibus forte diu post nos, nova aliunde luce adfulgente, ita uti posteri possint, ut nos quidem Bocharti erroribus, nimis confidenter ab eo perscriptis, uti solemus. Haec praefatus, excusatusque lectoribus, quod plurima ignorare mihi visus, futurus tamen tam loquax sim, ad singulas Gomaritarum colonias pergo.

* * *

אשכנז *Aschkenaz.*

Hujus populi, in posteris Japhethi nomen habentis, non nisi uno adhuc loco, Jeremiae LI, 27. mentio injicitur: unde conjectu difficillimum, quis populus fuerit, et ubi habitaverit. Ex solo, ut jam supra dixi, nomine, ejusque cum aliis urbium, fluminum, marium, regionumque, consonantia, sedem genti assignare, de qua nihil in historia proditum legas, id vero homine sapiente vix dignum. Quid enim, si Aschkenazo Hercynios inter montes et Albim sedes assignarem, quod ibi et urbs *Aschersleben* sita est, et erat olim arx urbi proxima, *Ascania*, medio illa aevo perquam nobilis, quis mihi fidem habendam putaret? In literarum enim, ex quibus sermo humanus componitur, paucitate, necesse prope est, aliqua

qua diverſiſſimarum gentium nomina propria caſu etiam cum *Aſchkenas* conſonare. Incerta ergo pleraque, quae ſolum ſonum ſequuti homines vel erudititiſſimi de Aſchkenazo commentari auſi ſunt.

Ex uno, quem antea laudavi, Jeremiae loco id tamen adparet, Jeremiae tempore Aſchkenaz, regnum fuiſſe, idque non longe a montibus Gordyaeis, qui Hebraeis Ararat dicuntur, diſſitum.

Ergo damnandi recentiores Judaei, quibus Germania *terra Aſchkenas* (*), et Germanus *Aſchkenazita* (**) vocatur: quae interpretatio valde recens eſt, ac ne a ſequioris quidem aevi Chaldaeis prodita. Quis primus eam confinxerit, ignoro. Quod ſi MEDI placet conjectura, exiſtimantis, Joſephum Aſchkenas PHΓINAC interpretatum eſſe (*,*), eoque nomine Rhaetios deſignari, fieri potuit, ut Rabbini, non ex Joſepho certe, quem non legebant, ſed ex traditione avita, quam ille ſequutus eſt, Rhaetiam arripientes, eoque ſcribentes tempore, quo Rhaetia Germaniae pars fuit, nomen Rhaetiae toti facerent Germaniae commune.

Eſt tamen manifeſtus, atque adeo pudendus error, ut aegre feram, eum haud raro a civibus meis nimio patriae amore repeti. Ut enim taceam, nullum nominis veſtigium in antiquis Germaniae populis comparere, nec quemquam antiquorum hanc ſententiam Rabbinis praeiviſſe, ejusve teſtem exſiſtere; nec ea repetam, quae alibi ſcripſi, de gente noſtra Moſis tempore nondum nobili, nec in Germania, ſed forte ad Pontum Euxinum habitante: unus Jeremiae locus certiſſimo indicio eſt, Aſchkenaz Ger-

(*) ארץ אשכנז

(**) אשכנזי

(*,*) vide pag. 60.

Germaniam neutiquam esse. Quis enim tam sit in patriam pius, ut si persvadeat, Jeremiae tempore aliquod in Germania Germanorum regnum fuisse, Germanosque in exercitu Cyri contra Babylonem arma tulisse? Denique si vera sunt, quae supra de Gomaritis Gallorum progenitoribus ut verisimiliora disputavi, non poterunt Gomaro posteri adscribi Germani, gens et lingua et ortu a Gallis Celtisque diversa.

Aliorum sententias a Bocharto commemoratas apud eum legi velim, de solo Josepho dicturus, quem ille expendere aut adeo intelligere non dignatus est. Ἀσχάναξος, inquit, Ἀσχανάξους ᾤκισεν, οἳ νῦν Ῥηγῖνες ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων καλοῦνται: i.e. *Aschanaxus Aschanaxos condidit, qui nunc a Graecis* RHEGINES *appellantur.* Ignotum per ignotius interpretari Josephum, queritur Bochartus, forte iniquior. Vix enim Josephi ea culpa, notum suo tempore usurpatumque a Graecis nomen se ponere professi, sed aut nostrae ignorantiae, aut librariorum male describentium. Quomodo autem corrigendum sit, non liquet. JOSEPHUS quidem MEDUS (*) Ῥητῖνες rescribendum putavit, quo nomine Rhaetos intelligit, Germanicum illos populum vocans. In eo quidem erravit Medus, quod Rhaetos, qui Josephi tempore erant, in Germanis habuit: nec tamen ideo minus probo conjecturam, sed ornari potius et commendari sentio, si abire jussis ex Rhaetia antiqua Germanis, Rhaetiaeque nomine latius sumto Bojos quoque comprehendamus, Galli-

(*) Operum T. I. p. 280. *If I might bee bold with Josephus, I would for* Ῥηγῖνες *read* Ῥητῖνες, *and understand the Rhaetians or Rhaetii, a German People: and so he should agree with te Opinion of the modern Jews, who call the Germans Askenazim.*

Gallicum populum. Cum enim Gomerus Galatarum conditor Joſepho eſſet, aequum ſane erat, ad filium ejus Aſchkenazum Bojos referre, Gallica origine gentem. Obſtare tamen conjecturae videtur, primo quod Rhaetiae incolae Graecis non Ῥητῖνες ſunt, ſed Ῥαιτοὶ: deinde quod Rhaeti ipſi Hetruſci potius ſanguinis ſunt, Bojique, quos dixi, non ad regionem Rhaetiam referuntur, ſed ad latius patentem provinciam, cui a Romanis Rhaetiae nomen inditum eſt. Ampliandum ergo adhuc de Joſepho, meliorque quaerenda emendatio.

A Gorionide, qui ſe Joſephum mentitur, omitti Aſchkenazum putant: quod mihi ſecus videtur. Quae enim de Gomero alii interpretantur, ad Aſchkenazum refero, Francorum, ut ille putat, ad Seynam progenitorem. Sic ille L. I. c. 1. בני גומר הם פרנקוס היושבים בארץ פרנצא על נהר פרנטא נהר סינא ריפת הם ברטונים היושבים בארץ בריטניא על נהר לירא וג׳ *filii Gomer ſunt, Francus, hi habitant in terra Franciae, juxta ejus fluvium, Seynam: Diphath, hi ſunt Britanni in Britannia ad Loiram habitantes* etc. Hic quis non videt, ipſum Aſchkenazum nomine a poſteris indito Francum vocari? Pudendus ſane error, ſi proprie verba Gorionidis accipienda ſunt: Franci enim, nova gens Germanica, ne Tacito quidem nota, Moſis tempore nulli omnino fuerunt. Benevole autem Francos ad Seynam ſi Gallos interpreteris Sequanae adcolas, aliquid non omnino ineptum verove indignum Joſepho Gorionides dixerit. Gomer enim ſi Celtarum pater, poterunt ejus filio Galli ad Sequanam adſignari. Erit ergo error excuſatione dignus; ſed tamen error: quis enim adfirmare audeat, Moſi Sequanae adcolas cognitos fuiſſe? aut quod nominis אשכנז ibi terrarum repertum veſtigium?

In his qui de Aſchkenaz ſententiam dixerunt, atque aliquid videri poſſunt auctoritatis attuliſſe, omitti video Arabicum Jeremiae interpretem (*), pro Graeco, Ἀσχαναζαῖοι, خُزَرِيُّون habentem, id vero eſt, maris Caſpii accolas, ea maxime parte, qua fluvium Wolgam accipit (**). Quam verſionem licet veram dicere non auſim, (eſt enim conjectura ſine argumentis facta) ineptis tamen multum praefero, quod in vicinia Armeniae Aſchkanazaeos ponit.

Ad Bocharti ſententiam quod attinet, in capite IX. libri tertii dictam, fateor, reliquis illam omnibus praeſtare. Phrygiam minorem et Bithyniam Aſchkenazitis aſſignavit, quod his regionibus ſinus olim fuit Aſcanius, lacus Aſcanius, amnis Aſcanius, urbs et regio Aſcania, inſulae denique Aſcaniae, Pontoque Euxino a poëtis aliquando nomen Ἀξείνου datur, quod ex Aſcenaz a Graecis depravatum putat.

Nec tamen omnem mihi concentus hic nominum dubitationem eximit. Primo enim Bocharto quidem proclive erat, Aſchkenazum Phrygibus patrem dare, qui Gomaro Phrygiam Catacaumenen adſignaverat. Haec autem omnia quae de Gomaro ſcripſerat, cum infirmis nitantur etymologiis, multum quoque de veriſimilitudine eorum decedit, quae de Aſchkenazo Phrygum patre habet. Fateor tamen, etiam iſto abdicato errore Aſchkenazi poſteros Phryges haberi poſſe, maxime ſi quis planum

(*) c. LI, 27. ſive ſecundum Graeca et Arabica biblia, cap. XXVIII, 27.

(**) Vide Golium p. 704. ſub خزر, et Bocharti Phalegum p. 199. et 313.

num facere queat, linguam Phrygum Celtarumque cognatam fuiſſe, quod tamen ſi quis tentat, Armorica Celtis vocabula, non Germanica dare debebit.

Deinde ipſe ille nominis Aſchkenaz cum Aſcanio lacu, amne, urbe, concentus, diſcors tamen mihi et diſſonans videtur. In omnibus enim his nominibus Zain finale Hebraicum, Zeta Graece futurum, aut omnino a Bocharto negligitur, aut pejus etiam cum terminatione Latina US, Graeca ΟΣ comparatur. Zain enim nuspiam eſt Sigma Graecorum; Hebraeique et alii Orientales terminationem ΟΣ, non per ז, ſed ſive וס ſive וש ſcribunt. Ergo non *Aſcanio*, ſed *Aſcanzo* lacu, amne, urbe, regione, opus erat.

Denique, ſi quod ex vocabulo quinquelitero אשכנז elementum negligi ſalva Hebraeorum grammatica potuiſſet, Aleph initiale erat, quippe quod Orientales, Syri maxime et Arabes, vocabulis peregrinis a ſibilante ſchvata incipientibus, praeponunt (*). Fac, nomen gentis fuiſſe SCHKANAZ (שְׁכָנָז) vel, ut Latinius ſcribam, SCANAZ, vix ſine Aleph praepoſito efferri ſive ab Arabe ſive ab Syro poterat. Non ergo major vocabuli אשכנז cum Aſcaniis Bocharti concentus, quam cum *Scandia*, Zain, ut ſaepe faciunt Hebraei, pro D Syrorum Arabumque poſito. Nec hoc ita dico, ut Aſchkenazum deportare in Scandinaviam cupiam, Moſi incognitam, nec Cyro contra Babylonios militantem, nec unquam, quantum equidem ſcio, a Celtis occupatam: ſed ne, quae dubia ſunt, certis porro adnumerentur, definamusque verum,

(*) Vide Patris mei Syriasmum, pag. 6. meamque grammaticam Arabicam pag. 24. 25.

rum, pro reperto habitum licet lateat, exquirere. Ex conjecturis fateor meliorem nullam Bochartiana me arbitro eſſe: ſed in conjecturis adhuc eam numero, non in peroratis exploratisque ſententiis.

* * *

וריפת *Et Riphath.*

Duplex aut triplex in his quinque literis lectionis diverſitas, exponenda, atque aut dijudicanda, aut in dubiis rebus relinquenda, antequam ad vocabulum explicandum rite accedi poſſit. Qui enim gentem bis modo nominatam ex ea ſe divinare poſſe lectione putant, quam primam arripiunt, de vero inveniendo omnino non ſoliciti eſſe videntur: ex utraque autem lectione qui eandem gentem efficiunt, plus quam par eſt felices.

Minoris ergo momenti eſt, quod Samaritanus ריפד habet, et Vau copulativo omiſſo, et Daleth pro Thau poſito, molliore nempe litera pro fortiore. Quarum in lectionum altera textui Samaritano verſio quoque conſentit, Vau omittens, in altera eum deſerit, nomen gentis ריפת per Thau ſcribens. Nec tamen vel hac parte omnino ſine ſuffragatore fuit textus Samaritanus: Syrus enim interpres nomen gentis et in Pentateucho et in chronicis DIFOD per D finale ſcripſit, (ܕܝܦܘܕ) quod enim ܕܝܦܘܪ DIFOR habent biblia polyglotta non dubie naevis codicum, ex quibus illa editio facta eſt, accenſendum, cum opinabile non ſit, Th et R (ת et ר) in codicibus Hebraicis permutari inter ſeſe potuiſſe. Promtum autem librariis in vocabulo barbaro ita errare, ut homo Syrus pro RIPHATH ſcriberet RIPHAD, eodem prope manente ſono. Caeterum

rum non magni momenti eſt haec lectionis varietas, in tanto reliquorum omnium conſenſu pro Thau finali.

At plus in prima nominis litera aut laboris, aut dubii: hanc enim non R ſed D alii habent, populi nomine jam non Riphath, ſed DIPHATH (דיפת) futuro. Poſſem ad hos referre Syrum interpretem, ut in bibliis polyglottis legitur: ſed hunc potius neutrarum haberi partium velim, quia diſcrimen inter D et R Syriacum ſolo puncto diacritico abſolvitur, idque, a librariis omitti aut male poni ſolitum, pro editoris lubitu ſaepe expreſſum eſt contra mentem interpretis. At in chronicorum libris *Diphatem* populum habent, primo editiones conſvetae, quibus et Caſſellanum codicem addo, figurae inter Reſch et Daleth ambiguae lineam Raphe imponentem, ut punctator certe eam pro Daleth habuiſſe videatur; deinde Maſora, atque verſio Chaldaica. Nec tamen omnia chronicorum exempla in D initiale conſentiunt, ſed ibi quoque Riphath per R habent, primo editiones in bibliis Halenſibus nominatae (*), deinde verſiones, Graeca et Latina.

Hanc quidem varietatem lectionis ad libertatem revocare orthographicam permutationesque literarum grammaticas, ita ut apud Hebraeos idem populus utrumque nomen Riphath et Diphath habuerit, ab omni abhorret veriſimilitudine. Diverſiſſimus enim eſt literarum R et D ſonus; ſola figura convenientium, et vero magis etiam in codicibus Hebraicis manuſcriptis, quam in impreſſis, ut in Caſſellano multis in locis ר a ד diſtingui nequeat. Reſch ergo ubi pro Daleth, aut Daleth pro Reſch ponitur, non

(*) 1) Roberti Stephani, Paris 1543. 2) biblia Plantiniana. 3) Bragadini, 1614. 4) Bragadini, 1678.

non grammatica id fit licentia, sed errore librariorum. Utra autem lectio alteri praestet, ignorata adhuc gente cui illud nomen proprium fuit, difficile dicta. Numero et auctoritate vincere lectio pentateuchi, ריפת, videtur, unde eam, donec rationes adferantur cur pauciorum testium lectio melior habenda sit, praefero, Riphathemque populum appello.

Is autem ubi habitaverit, multo adhuc obscurius. Paphlagoniam ei assignavit, cujus hucusque plurimam rationem habui, Josephus: Ῥιφάθης, inquit, Ῥιφαθαίους (ὤκισε) τοὺς Παφλαγόνας καλουμένους. Incertum, quo sibi indicio Paphlagoniam agnoscere visus sit: quod si prodidisset, tum vero judicare nobis liceret. Nec de lingua Paphlagonica quidquam compertum habemus, quam Gallicam fuisse oporteret, si constare sibi vult Josephus, Galatarum progenitorem Gomerum faciens. In his ergo tenebris quod sequar non habeo.

Ornandam suscepit Josephi sententiam, hactenus pene ejus contemtor, Bochartus, libro III. c. 10. sed illis usus argumentis, quae vero ac falso sunt communia. Ex utraque enim lectione, *Riphath*, et *Diphath*, Paphlagones efficit; sonum aliquem non omnino abludentem ex Paphlagoniae aut urbibus aut hominibus arripiens, qualem si equidem captare vellem, nulla orbis terrarum regio tuta erit, quin coloniam eo Riphathaeorum deducam. *Diphates* si populus est, (suppetias Bocharto ferunt, consona, ut ille audit, nomina, *Tobata*, urbis Paphlagoniae, quamquam ignobilis, (mihi, si ludendo imitari has magni viri ineptias licet, *Dipholtz*, pars Westphaliae aut *Tobius* Britanniae fluvius) et *Tibius*, nomen proprium hominum in Paphlagonia usitatum: sin aliter tibi de lectione videatur, *Rhebas*

amnis

amnis ſuccurrit. Utcunque Paphlagonia exit. Hoc quid eſt aliud, quam profiteri: *pone diſputaturo, quidquid velis, ut certum: ego vero id quod ego volo inde efficiam.*

De Riphaeis montibus qui cogitarunt, uno unius ſyllabae concentu omnia perficiunt: miror, quid reſponſuri, ſi interrogentur, quis populus, et qua lingua uſus, illos tam a Moſe diſſitos montes incoluerit.

Malo ergo, et hic ignorantiam profeſſus, aliorum ſolicitare diligentiam, quam quidquam de populo, in ſola Noachi genealogia nominato, adfirmare.

* * *

ותגרמה *Et Thogarma.*

Antequam vocabuli expoſitionem adgrediamur, eo magis eſt neceſſarium, de lectionis varietate diſpicere, quo plus ad geographicam quaeſtionem de ſitu hujus regionis ac nomine Europaeo intereſt, utrum *Thogarmorum* ſedes, an *Thorgamorum*, an *Throgmorum* exquiras.

In pentateucho quidem et Hebraico et Samaritano, typis deſcripto, his quinque literis תגרמה nomen exprimitur, ſine Vau ſcriptum, id vero eſt defective, ſi ad puncta vocalia *Thogarma* efferas.

At eodem in pentateuchi loco plene תוגרמה in tribus lectum codicibus Erfurtenſibus, ad biblia Halenſia collatis: verſiones enim plene ſcribentes, ut Chaldaicam Onkeloſi, Syriacam, Arabicam ab Erpenio editam, ne numero quidem; in nominibus enim propriis interpretes non deſcribere ſingulas literas codicis Hebraici ſolent, ſed planioris et certioris appellationis gratia orthographiam clariorem praeferre. Eandem ſequuntur pleniorem ſcri-

ptionem impressa exempla, in Ezechiele, cap. XXVII, 14. XXXVIII, 6. libroque chronicorum, nisi quod Complutensia in chronicis defectivam scriptionem servant. Exigui haec varietas momenti videri poterat, nisi et ad quaestionem pertineret de Samaritano codice, quem nunquam literas וי omittere praedicant (falso, ut hoc quoque exemplo constat), et conjecturam infra tentandam, qua Thau omnino vocabulo demitur, atque בית גרמה pro בית תגרמה in Ezechiele rescribitur, haec maxime premeret plenior orthographia.

Fuerunt denique codices, non nobis quidem illi servati, sed ab antiquis lecti interpretibus, in quibus literae inversa serie תרגמה (*Thorgama*) collocatae erant. Sic certe Graecus Mosis interpres legit, Θόργαμα, seu, ut habet codex Alexandrinus, Θέργαμα reddens: eademque scriptio, licet non sine varietate, in Ezechiele (*), et chronicis (**) recurrit, licet hi libri ab alio interprete Graeca lingua donati sint. In Josepho quoque duplex scriptio, incertumque, utrum Θυγράμμης, an Θοργάμμης ab ejus manu sit. Armeniorum denique historici Thorgomum aliquem nominant, Thirasi filium, Gameri nepotem, a quo se ortos praedicant, qui sine dubio Thogarma est Mosis male intellecti. Vide Mosen Chorenensem, pag. 12.

Est autem in hac scriptione, quod eblandiri suffragia interpretum possit, qui in investigando populo a Mose no-

(*) cap. XXVII, 14. Θόγαρμα, Θέργαμα, Θόργαβα, indeque vetus Latina, *Thorgama*, et Arabs Graeca vertens, ترغام (*Thurgam*). c. XXXVIII, 6. Θόργαμα, Θέργαμα, Θόγαρμα, Θώγαρμα. Scholiastes ibi Graecus Θόργαμα scripsit.

(**) Θόργαμα, Θορρὰμ, Θοργομα, Θόγαρμα.

nominato ſoni maxime ſimilitudinem ſequuntur. R enim ſi ſecunda ſit vocabuli litera, *Thorgoma* (תָּרְגֹמָה), aut *Throgma* (תְּרֹגְמָה) efferre licebit, habebisque jam, ſi velis, *Trocmos*, Gallicum populum, qui in Galatia Aſiatica conſedit, eſtque a Bocharto, nihil de lectione ſuſpicato, nominatus: aut, ſi malis, *Turcos*, antiquiſſimum Aſiae populum, in avitis ad mare Caſpium ſedibus *Turcomannos*, Ruſſis *Truchmenzos* (*) vocatos, quorum utros praeferam infra erit dubitandi locus. Hoc unum, Thogarmaeos ſi quaeras, nullum uſpiam terrarum invenies populum antiquum cognominem: Throgmos, aut Thurgamos ſi circumſpicias (utrumque enim ſonare literae תרגמה poſſunt), ſola laborabis copia offerentium ſe nominum. Quae quidem res multum facit, ad hanc lectionem conſvetae praeferendam. Vide an Moſes ſcripſerit,

תרגמה

ortum inde ſit, Reſch in Vau mutato (**),

תוגמה,

idque cum peritiorum aures offenderet, literam R auditu alias perceptam deſiderantium, inde prodierit tandem

תוגרמה et תגרמה?

Satis de lectione diſputatum, de qua in tanto diſſenſu certi nihil habebimus, niſi quid ex geographia lucis adfulgeat: ſed hanc lucem neglecturi eramus, niſi varietatem lectionis omnem diligenter praenotaſſemus.

Joſe-

(*) Vide Büſchingii Aſiam pag. 27.

(**) Vide, quae ad verſum quartum de דרדנים pro דודנים lecto diſputabo.

Josephum quidem, cujus huc usque plurimam rationem habuimus, dubitare hic videas, quod nec vitio ei vertendum, nec silentio praetermittendum arbitror. Est enim argumento, hominem non temere his tam antiquis de rebus adfirmare quidquam ausum, sicubi in nulla inciderat, satis fida ipsi visa, veri vestigia: unde alia adseveranti major fides. Male ergo Bochartus, tribus verbis: *Josephus explicat Phrygiam.* Atqui Josephus ita scripserat: θυγράμμης δὲ θυγραμμαίους, οἳ ΔΟΞΑΝ Ἕλλησι Φρύγες ὠνομάσθησαν, *Thygrammes Thygrammaeos procreavit, qui*, UT VIDETUR, *a Graecis Phryges vocantur.* Quem ergo hactenus adseverantem audivimus, dubitantem hic, et de eo quod sibi videatur prodentem, habemus: qua in re iniquissimum est, conjecturam quam profitetur a testimonio non sejungere. Sed Bochartus, nimis etymologicus, in quaestione historica testium antiquorum rationem vix unquam habuit, nec integre eos audiens, nec ad eorum singula verba judicis animum et tanquam religionem attendens. Equidem cur Phrygum progenitor Thogarma habendus sit, non video, ideoque conjecturam, cujus indicia ignoro, suo auctori relinquo: sed ea lege, ut nihil de historici fide derogem, majoremque ei potius habeam, quod conjecturas a sententiis distinguit.

Germaniam a Chaldaeo Ezechielis interprete intellectam, dicit et Bochartus, et alii. Male, ut supra demonstravi de Garamaeorum regione, Syris ܒܝܬ ܓܪܡܝ dicta, agens. Garamaeam potius, interiorem Assyriae partem, in qua nunc Curdos reperias, pro Thogarma Chaldaeus habuit. Gentem ibi barbaram habitasse, id vero est, ut planius dicam, gentem lingua Syriaca non uten-

tentem, manifeſtum eſt: alioquin enim tot Chaldaei interpretes, quibus vicina Aſſyria non omnino eſſe potuit incognita, vix Garamaeos Gomero ejusve poſteris transſcribendos, cenſendosque in Japhethitis, conſenſuri fuiſſe videntur. Suntne, qui interiora Aſſyriae habitant, Curdique vocantur, Turci? Turcica enim lingua, quamquam et aliis, uti dicuntur (*). Quod ſi ita ſe haberet, videri poſſit interpres Chaldaeus תרגמה (*Thurgema*) legiſſe, atque illo in ſono jam tum Turcos et Turcomannos agnoviſſe.

Nec reticendam puto conjecturam, quae Chaldaeum interpretem legenti ipſa ſe offerebat, licet vera mihi non ſit viſa: eſt enim ita certe veriſimilis, ut lectorum forte aliqui in conſilium ituri, aliamque de ea dicturi ſint ſententiam. Garamaeorum regio Syris eſt, בית גרמי (**), pro quo Hebraice diceres, בית גרמה (***). Jam quod in utroque Ezechielis loco legitur, בית תגרמה, (*domus*, ſeu, *regio Thogarmae*) ita vicinum eſt nomini בית גרמה (*domus*, ſeu, *regio Garamaeae*) uniusque modo literae aut omiſſione aut duplicatione diverſum, ut in alterutram incidere locus ſuſpicionem poſſit, ſive veram ſcriptionem בית גרמה (*regio Garamaea*) nec ullos omnino Thogarmaeos, ſed modo Garamaeos eſſe; ſive Chaldaicum Ezechielis interpretem omiſſo per vitium librarii Thau altero ita legiſſe. Non multas ex criticis emendationibus dixeris aeque veriſimiles. Sed hoc utcunque ſit, obſtare tamen videtur, primo, quod in pentateucho et chronicorum libro nomen בית, cujus Thau finale errore librariorum ſequenti nomini גרמה adhaeſiſſe ſuſpicabar, non praecedit, ſed unum voca-

(*) Vide Büſchingii Aſiam p. 12.

(**) *Beth Garmai.*

(***) *Beth Garma.*

vocabulum תגרמה legitur: deinde quod in utroque Ezechielis loco תוגרמה plene ſcriptum eſt. Ex בית גרמה, ſine interſtitio vocum ſcripto, errore librarii facile fieri potuit בית תגרמה, non בית תוגרמה. Hanc ergo conjecturam deſperans, ad Turcos, quos ſupra dixi, redeo.

Hos quidem, nobiliſſimum jam olim Aſiae populum, quem Perſae Indique a promogenito Japhethi filio ortum arbitrantur (*), nomen תרגמה (*Thorgoma* vel *Throgma*) ſcriptum prodere videtur, maxime ſi *Turcomannos*, atque a Ruſſis *Truchmenzos* vocari cogites, quae nomina Hebraico ſatis concinunt. Nec ab hac me ſententia Bocharti dimoveret objectio, *Tartariam et Scythiam remotiores eſſe, quam ut inde quisquam veniret ad nundinas Tyriorum: nec in Scythia eſſe mulas, propter aëris intemperiem, teſte Herodoto.* Euſalis certe, nunc Sanaa, Arabiae Felicis metropolis, quam eodem in capite memorat Ezechiel ut Tyro commerciis junctam, non minus remota, quam antiquae Turcorum ad mare Caſpium ſedes: eſtque illud ipſum, quod nominavi, Caspium mare, eique oppoſitus Pontus Euxinus, commodiſſima mercatorum via, merces Indicas et Aſiaticas cum Europaeis permutantium. Scythiae nomen, quo Bochartus utitur, mulos Turcorum patriae abjudicaturus, latius patet, quam ut ex eo effici quidquam poſſit. Quae enim ad Orientem ſunt maris Caſpii, a Turcomannis habitata, ſi Scythiae accenſere velis, nec potius alio nomine vocare, non magis tamen ſunt ſeptentrionalia, quam pars Italiae, mulorum praeſtantiſſimorum feracis, mitique caelo ſubjecta. Quod ſi ergo mulorum cura illi populo olim fuit, dubium non eſt, quin abundare hac quoque merce, quam in Thogarmaeis Ezechiel laudat, potuerit.

Sunt

(*) Vide ALEXANDRY DOW *Hiſtory of Hindoſtan*, T. I. p. 8.

Sunt tamen alia, quae Turcis obstant. Primo enim fac antiquam ad mare Caspium Turciam equis mulisque abundasse, Tyriosque cum ejus incolis commercia exercuisse: tamen verisimile non est, ex tam dissita regione, ultra viginti latitudinis gradus, equos et mulos septuagenis ac pluribus stationibus diurnis venum actos Tyrum esse. Ut enim facile concesserim, ex nostro tempore conjecturam de commerciis antiquorum faciens, nobiliores equos, et certaminum equestrium, et sobolis procreandae caussa, ex terris longinquis petere Tyrios potuisse, vix tamen eo adducor, ut magnos equorum atque adeo mulorum greges, qui in mercibus breviter enarratis nominari digni sint, Tyrum a litore inde Orientali maris Caspii deductos autumem: eosque, id quod maximum est, nullis aliis mercibus onustos. Nullae enim praeter equos mulosque ex Thogarma advectae ab Ezechiele memorantur. Vicinior vero erat Aegyptus, ex qua, Salomonis exemplo (*), equos emere potuissent. Mulos vero magis etiam mirer, si ex Turcia antiqua, quam ex Aegypto Syriaque emere Tyrii maluerint. Deinde, si quid recte conjicio, ne lingua quidem Turcorum coloniae Gomeritarum convenit, si modo Gomer Celtarum nomen est. Quantum enim aut ex aliis audivi, Armoricae Turcicaeque linguae peritis, aut ex vocabulariis judicare ipse possum, nulla utrique linguae cognatio intercedit.

Cappodociam, a Graeco scholiaste ad Ezechielem nominatam, veram Thogarmaeam censuit Bochartus, quam sententiam L. III. c. XI. ea ornavit eruditione ac copia, equis et mulis nobilioribus abundasse Cappadociam dispu-

(*) 1 Reg. X, 28. 29.

disputans, ut pene in ſuas me partes trahat. Et ſunt tamen, quae ſuſpenſum adhuc et dubium tenent: primum quod uno anonymo teſte contra tantum utitur veterum conſenſum, Cappadoces ad Caphthoraeos, verſu 14. nominatos, referentium: alterum, quod nominis Thogarma nullum hucusque veſtigium in Cappadocia demonſtrari potuit. Quod enim *Trocmos* in ſubſidium Bochartus vocat (*), populum Cappadociae vicinum, id nimio fit opinionis in clientelam ſuſceptae ſtudio. Sunt Trocmi origine quidem illi Gallica, quod mihi eos commendare poterat, Gallos ad Gomerum referenti: ſed nec Cappadoces ſunt, nec antiqui Cappadociae incolae, ut regio ab illis Moſis jam tempore nomen accipere potuerit. Gallorum enim, qui diu poſt Moſen et Ezechielem ex Europa in Aſiam irruperunt, pars eſſe dicuntur a *Plinio* his quidem verbis (**): *Qui, partem eam inſedere Gallorum Toliſtobogi, et Voturi, et Ambitui vocantur; qui Maeoniae et Paphlagoniae regionem, Trocmi.* Ergo nihil hi Trocmi ad Cappadociam, ac ſi recte תֹּגַרְמָה vel potius תְּרֹגְמָה cum Trocmorum nomine comparatur, extra Cappadociam Moſis Ezechielisque tempore Thogarmaei quaerendi ſunt.

Equidem Trocmos non refugio, nec dum dimitto: ſi enim Gomer Gallorum nomen apud Hebraeos eſt, veri non diſſimile, Trocmos, Gallicam gentem, *Throgmam* (תרגמה) eſſe poſſe, a Moſe in Gomeri filiis numeratum. In Graeco etiam Scholiaſte cum Thogarmam eſſe lego, *κατὰ μέν τινας, Ἀρμενίους καὶ Ἴβέρας, κατὰ δ' ἑτέρους, Καππαδόκας καὶ Γαλάτας*, ex quibus unam Bochar-

(*) pag. 178. (**) libr. V. c. 32. §. 42.

chartus arripuit Cappadociam, mihi illud de Galatis dictum paulo videtur probabilius: non quasi putem, Galatas qui ex Europa in Asiam remigrarunt a Mose aut Ezechiele describi, (quo turpior parachronismus vix cogitari potest) sed ut auctores a Scholiaste excerptos id suspicer voluisse, Thogarmam ad gentes Gallicas, quae in Asia Galatae vocari solebant, referendum esse: quibus in Galatis cum sint Trocmi, verisimile habeo, de his ipsis Trocmis eos quos Scholiastes consuluit interpretes cogitasse. Forte ergo et Borades, quos habet chronicon Alexandrinum, ad eosdem Gallos pertinent: licet enim Gallia nobis sit meridionalis regio, Hyperborei tamen Graecorum, ut a Gesnero me discere memini (*), in Gallia Hispaniaque habitabant, quibus Graeci asinos attribuebant, ut Thogarmaeis Ezechiel mulos, utrumque animal septentrionalibus a natura non datum. Sed haec disputans parum profeci. Si quis enim concesserit, Throgmam Mosis Trocmos esse, Gallicam gentem: qua illi in parte terrarum Mosis tempore habitaverint, haud expediam, certe nec Galatiam illis assignabo, quam diu post Europa extorres occuparunt, nec in Gallia aut Germania quaeram, regionibus nimis a Mose remotis, et ex quibus mulos aut equos Tyrum advectos dum sapiam non arbitrabor.

His omnibus dubitatis, cum de Thogarma inveniendo prope desperarem, mallemque eum una cum fratribus Aschkenazo et Riphatho ignorare, obtulit se ultro Mosen Chorenensem perlegenti, aut vera aut verisimillima

(*) Cum mense Majo anni 1757. in Societate Regia scientiarum de Hyperboreis disputaret. Summam dictorum excerpsi in nostro diario, Göttingische Anzeigen von gelehrten Sachen, 1757. pag. 593. seqq.

lima ſententia, pridem ab antiquis prodita, ſed Bocharto, aliisque qui de geographia ſacra commentari ſuſceperunt, ignota. Meminerimus autem ante omnia, Graecum Ezechielis ſcholiaſten referre (*), Thogarmaeos a nonnullis pro Armeniis habitos eſſe. Haec vero opinio non exteris modo, ſed ipſis Armeniis ſedet, traditione multiplici accepta. Primo enim genus ſuum ad aliquem *Thorgomum* referunt, quem quartum a Japhetho faciunt, hoc ſtemmate (**):

Japhetus
|
Gamer
|
Thiras
|
Thorgom
|
Haic
|
Armenac
|
Aramaeis.

Leve hoc videri poterat, ob confuſionem genealogiae Moſaicae, ac Thiraſum alieno loco inter Gamerum ac Thorgomum interpoſitum, niſi et alias communi vocabulo *ſtirpem* ſe *Thorgomi* antiquitus Armenii appellaſſent. Quam in rem inſignis eſt antiquiſſimi eorum ſcriptoris, Maribae Catinenſis, locus, a Moſe Chorenenſi excerptus (***): *Haicus*, inquit, *cum alia turba inter occidentem ſolem et ſeptentrionem progreditur*, *ac ſedem poſuit*

(*) pag. 74.
(**) Vide Moſen Chorenenſem L. I. c. IV. p. 12.
(***) pag. 26.

fuit in excelsa quadam planitie montuosa, cujus nomen appellavit Harchiam (*), *quippe cum illic* STIRPS THORGOMI *habitaret* etc. Ergo circa montem Harchiam Thorgomi posteros habitasse, tralatitium apud Armenios erat. Monent autem in nota subjecta Whistoni fratres, Armenios ipsos saepe se *stirpem* vel *domum Thorgomi* vocare, atque haec ipsa verba, quibus hic Chorenensis utitur, in versione quoque Armenica Ezech. XXVII, 14. XXXVII, 6. pro Hebraicis בית תגרמה poni. Addunt, rem sibi verisimiliorem videri, quod Armeniam equorum proventu claram fuisse, Xenophon, libro IV. expeditionum Cyri, et Strabo libr. XI. pag. 529. prodiderint. Ὀύτως, inquit Strabo, *ἐστὶν ἱππόβοτος σφόδρα ἡ χώρα, καὶ ὀυχ ἧττον τῆς Μηδίας, ὥς τε οἱ Νισαῖοι ἵπποι καὶ ἐνταῦθα γίνονται, οἷσπερ οἱ Πέρσων βασιλεῖς ἐχρῶντο, καὶ ὁ Σατράπης τῆς Ἀρμενίας τῷ Πέρσῃ κατ' ἔτος δισμυρίους πώλους τοῖς μιθρακίνοις ἔπεμπεν. Ἀρτοουάσδης δὲ Ἀντωνίῳ χωρὶς τῆς ἄλλης ἱππείας, αὐτὴν τὴν κατάφρακτον ἑξακισχιλίαν ἵππων ἐκτάξας ἐπέδειξεν, ἡνίκα ἐις τὴν Μηδίαν ἀνέβαλε σὺν αὐτῷ.*

Huic equidem sententiae hac quoque de caussa accedo, quod situs locorum egregie concinit. Ezechieli enim, ad Chaboram fluvium Mesopotamiae habitanti, Thogarmaei *remota septentrionis* (ירכתי צפון) colere dicuntur, c. XXXVIII, 6. quod non ita intelligendum, ut zonae frigidae adscribantur, aut in ejus collocentur vicinia. Mulorum enim a copia et praestantia Thogarmaeam cum laudet Ezechiel, vix borealior gradu latitudinis 45 fuisse videtur. Solae enim calidae regiones mulorum pro-

(*) Mons est Armeniae majoris.

lima ſententia, pridem ab antiquis prodita, ſed Bocharto, aliisque qui de geographia ſacra commentari ſuſceperunt, ignota. Meminerimus autem ante omnia, Graecum Ezechielis ſcholiaſten referre (*), Thogarmaeos a nonnullis pro Armeniis habitos eſſe. Haec vero opinio non exteris modo, ſed ipſis Armeniis ſedet, traditione multiplici accepta. Primo enim genus ſuum ad aliquem *Thorgomum* referunt, quem quartum a Japhetho faciunt, hoc ſtemmate (**):

Japhetus
|
Gamer
|
Thiras
|
Thorgom
|
Haic
|
Armenac
|
Aramaeis.

Leve hoc videri poterat, ob confuſionem genealogiae Moſaicae, ac Thiraſum alieno loco inter Gamerum ac Thorgomum interpoſitum, niſi et alias communi vocabulo *ſtirpem* ſe *Thorgomi* antiquitus Armenii appellaſſent. Quam in rem inſignis eſt antiquiſſimi eorum ſcriptoris, Maribae Catinenſis, locus, a Moſe Chorenenſi excerptus (***): *Haicus*, inquit, *cum alia turba inter occidentem ſolem et ſeptentrionem progreditur, ac ſedem poſuit*

(*) pag. 74.

(**) Vide Moſen Chorenenſem L. I. c. IV. p. 12.

(***) pag. 26.

ſuit in excelſa quadam planitie montuoſa, cujus nomen appellavit Harchiam (*), *quippe cum illic* STIRPS THORGOMI *habitaret* etc. Ergo circa montem Harchiam Thorgomi poſteros habitaſſe, tralatitium apud Armenios erat. Monent autem in nota ſubjecta Whiſtoni fratres, Armenios ipſos ſaepe ſe *ſtirpem* vel *domum Thorgomi* vocare, atque haec ipſa verba, quibus hic Chorenenſis utitur, in verſione quoque Armenica Ezech. XXVII, 14. XXXVII, 6. pro Hebraicis בית תגרמה poni. Addunt, rem ſibi veriſimiliorem videri, quod Armeniam equorum proventu claram fuiſſe, Xenophon, libro IV. expeditionum Cyri, et Strabo libr. XI. pag. 529. prodiderint. Ὀύτως, inquit Strabo, *ἐστὶν ἱππόβοτος σφόδρα ἡ χώρα, καὶ ὀυχ ἧττον τῆς Μηδίας, ὥς τε ὁι Νισαῖοι ἵπποι καὶ ἐνταῦθα γίνονται, ὅισπερ ὁι Πέρσων βασιλεῖς ἐχρῶντο, καὶ ὁ Σατράπης τῆς Ἀρμενίας τῷ Πέρσῃ κατ' ἔτος δισμυρίους πώλους τοῖς μιθρακίνοις ἔπεμπεν. Ἀρτοουάσδης δὲ Ἀντωνίῳ χωρὶς τῆς ἄλλης ἱππείας, ἀυτὴν τὴν κατάφρακτον ἑξακισχιλίαν ἵππων ἐκτάξας ἐπέδειξεν, ἡνίκα ἐις τὴν Μηδίαν ἀνέβαλε σὺν ἀυτῷ.*

Huic equidem ſententiae hac quoque de cauſſa accedo, quod ſitus locorum egregie concinit. Ezechieli enim, ad Chaboram fluvium Meſopotamiae habitanti, Thogarmaei *remota ſeptentrionis* (ירכתי צפון) colere dicuntur, c. XXXVIII, 6. quod non ita intelligendum, ut zonae frigidae adſcribantur, aut in ejus collocentur vicinia. Mulorum enim a copia et praeſtantia Thogarmaeam cum laudet Ezechiel, vix borealior gradu latitudinis 45 fuiſſe videtur. Solae enim calidae regiones mulorum pro-

(*) Mons eſt Armeniae majoris.

proventu clarae, nec ultra hunc, quem dixi, gradum: ipfique afini non in ultimo folum feptentrione, fed et fere circa gradum 55 definunt. Jam a Chabora fluvio fi recta feptentrionem fpectes, illo ipfo in climate obviam habebis Armeniam, miti partim fub caelo, et mulis gignendis aptam, fed verfus feptentrionem ita frigidam, nivalesque in montes definentem, ut Mefopotamiae incolis borealior etiam, quam eft, videri debuerit, remotique feptentrionis nomine digna.

Non diffimulabo, fi Thorgomaei funt Armenii, ea laborare, quae de Gomero Celtarum progenitore dixi, quod nulla linguae Armeniae cum vetere Celtica, Armorica noftra, cognatio intercedit. Nec equidem ut certum, fed ut verifimile utrumque difputavi, cum, Gomer Celtas, tum Thorgama Armenos effe: quae fi verifimilia fecum invicem confiftere nequeunt, non aegre feram, alterum falfum judicari. Meo quidem arbitrio, exploratius eft, Thorgomaeos in Armenia habitaffe, quam Gomerum Celtas effe.

GENES. X, 4.

ובני יון אלישה ותרשיש כתים ודדנים

Et filii Javanis funt, Elifa, et Tharfchifch, Chittaei et Dodonaei.

* * *

אלישה ELISA.

De fcriptione nominis *Elifcha* vel *Elifa* monendum, terminatione illud feminina in codice Samaritano deftitui, atque

que esse אליש. Habent autem illam, praeter Hebraicos pentateuchi codices, LXX, Vulgata, Syrus, interpretes Chaldaici, liber chronicorum, et Ezechiel c. XXVII, 7.

De significatione mihi id verisimillimum, quod repudiavit Bochartus, Graeciae nomen, HELLAS, esse. Nempe in eo est Moses, ut gentes a יון ortas memoret, in quibus recte primum locum ipsius Graeciae incolis dedit. Praeiverunt hanc ex antiquis sententiam, praeter Pseudojonathanem, quem solum Bochartus nominavit, Chaldaicus (*) chronicorum interpres, et Syrus Ezechielis, ܐܠܝܫܐ scribens.

Merces Elisaeorum ab Ezechiele laudatae, hyacinthinae sunt purpureaeque vestes, (c. XXVII, 7.) de quibus quidquid, licet אלישה Hebraicum cum Helladis nomine comparari vetans, Bochartus congessit, in meam illud rem vertere possum. Peloponnesum enim, in qua sibi *Elisam* Mosis sub Elidis nomine reperisse videtur, aliaque Graeciae et vicinarum insularum litora, concham purpuream habuisse, locupletibus testibus efficit. Nec equidem Peloponnesum excludo, in qua ipsi proprie sic dicti Hellenes, id vero est, Dores Graeca lingua primum usi, peragrata inde ab Olympo et Pindo Graecia, consedisse ibique primum Dores vocari coepisse, dicuntur ab Herodoto: sed non intra eam solam coërceri populum velim, Mosi

(*) Vide omnino BECKII notas, Chaldaicae versioni Paralipomenorum subjectas, in quibus docet, inconditum, quod in codicibus manuscriptis legitur, vocabulum, ארסונורסוס, distinguendum, atque ita corrigendum esse, אלס ותרסוס, *Hellas et Tharsus.* Hinc et emendandum, quod in Wilkinsiane editione legitur, אלסר et אלם, utrumque ex אלס depravatum.

Moſi et Ezechieli אלישה dictum. De mercibus ſi quid ſupereſt dubitationis, non eo valet, ut ullam regionem pro Eliſa habitam, repudiemus, non Peloponneſum, non inſulas Archipelagi, non Graeciam univerſam, non Italiam; ſed ut miremur, quomodo contigerit, ut purpureas veſtes ab exteris emerint Tyrii, non illis vendiderint: Tyrium enim muricem, purpuram Tyriam, a Graecis Latinisque laudari, vel pueri meminimus. Ergo Ezechielis tempore aut prima illa et antiqua Tyrus ſui maris divitias ignoravit, emitque ab exteris quod ipſa habebat: aut, ſi id veri diſſimile eſt, quod nulla lingua muricis purpurei formam elegantius ſcitiusque expreſſit Hebraica (*), anguſta Tyriorum litora luxui urbis et mercaturae non ſuppetebant, unde neceſſe fuit, ab exteris quoque purpureas hyacinthinasque veſtes emere.

Jam ad eos venio, a quibus mihi, ſi modo ſana eſt verſus ſecundi lectio Hebraica, diſſentiendum exiſtimo. Solam Bochartus Peloponneſum intellexit, in qua *Elis* urbs, et *Aliſium* Homeri. Equidem ſi quis ſecundum noſtri capitis verſum ex Graecis bibliis corrigat, duplicem.

(*) רגם in bibliis Hebraicis eſt, *lapidibus obruere*, nec vero vivum, ſed ex lapidatione jam mortuum, *ita ut ex conjectis lapidibus tumulus conſiſtat, ſupplicii infamiam ſervans.* Vide Patris mei diſſertationem de ſuppliciis capitalibus Hebraeorum. Sed ejusmodi tumulus apud troglodytas vicinos conſvetum fuit et honeſtum monumentum ſepulcrale, teſte Diodoro Siculo, L. III. c. 33. unde evenit, ut apud Arabes *tumulus cippusve ſepulcralis* رَجْم et رِجَام; ipſumque *ſepulcrum* رُجْمَة diceretur. Monumenti autem ſepulcralis paulo ornatioris formam cochlea purpurea, altera ſua extremitate erecta, eleganter refert, unde eam ארגמן dictam arbitror.

cemque ita faciat populum אלישה, alterum Jonum fratrem, alterum filium, non intercedam, quin אלישה filium intra Peloponnesum coarctet, in qua finito diuturno errore consederunt Hellenes, ibique demum Dores vocari coeperunt. Ita Jones, Graeciae aborigines, patrem Moses vocaverit, populum Doricum Graece loquentem eorum in patria primo vagum, deinde incolam, filium. Sed Bochartus tantum abest a lectione versus 2 mutanda, ut potius haec omnia Herodoti neget, historiam non antiquis credere, sed comminisci ex etymologiis solitus.

Aeoliam, Asiae partem, in quam perantiquae deductae sunt ex Graecia coloniae, Josephus intellexit. Ἐλισᾶς μεν, inquit, Ἐλισαίους ἐκάλεσεν, ὧν ἦρχεν, Αἰολεῖς δὲ νῦν εἰσι: *Elisas Elisaeos habuit cognomines, quibus ortum dedit. Nunc autem Aeoles sunt.* Conjectura esse videtur aegre ferentis, ipsam Graeciam Javano filium tribui, ideoque extra Graeciam Elisam Mosis duarum literarum א et ל indicio quaerentis. Sic illi *Aeolis* Hebraicum אלישה, licet dissimillime sonans, utcunque referre videbatur.

Praetermisit Bochartus Chaldaeum Ezechielis interpretem, qui Italiam intellexit. Certe et haec purpuram a natura habet, et pars ejus, de qua interpretem intelligere fas est, ab antiquissimis Graecorum coloniis in illam deductis *Magnae Graeciae* nomen accepit. Quod si ergo aut nefas videtur, ipsius Graeciae incolas Javano filios dare, oporteteque omnino, coloniam ex Graecia dimissam filium Javani interpretari; aut si duplex est אלישה, frater hic, ille filius Javani: posset sane Magna Graecia, et cum Peloponneso Bocharti, et Josephi Aeolide contendere, atque haud scio, an utrique praetulerim.

ותרשיש *Et Tharſchiſch.*

Hujus regionis veram Bocharto notitiam debemus, qui poſt multos aliorum errores in libri tertii capite quinto Tarteſſum nobis Hiſpaniae indicavit. Hunc ab omnibus, qui noſtra legunt, legi cupimus, et in ſumma rei ſequemur, ea, quorum ſpicilegium nobis reliquit, addituri.

Plurima Tharſchiſchae in ſacris literis mentio, ex qua diligenter animadverſa haec fere ignoratae diu gentis colligas indicia.

1) Portum habere videtur, navigationibus Phoenicum nobiliſſimum, ut vel a poëtis naves Tharſchiſch pro omnibus navibus nominentur, exemplo pro toto genere poſito. Vide Jeſ. II, 16. XXIII, 1. 4. Pſ. XXXXVIII, 8. In pſalmi quidem, quem citavi, verſu, cum non parum ſit obſcuritatis, (Hieroſolymam enim nemo mari navibusque oppugnare poteſt) ſententiam latinis verbis interpretari lubet: *ita reges intremuerunt conſpecta Hieroſolyma, ut nautae, cum vento contrario naves Tharſchiſch quaſſantur.*

2) Argenti ditiſſimam regionem fuiſſe ex Jerem. X, 9. Ez. XXVII, 12. liquet. Jeremiae locus eo quoque pertinet, ut tanquam propria argenti patria fuiſſe Tharſchiſch videatur, auro aut caruiſſe, aut non valde fuiſſe dives. *Argentum* enim *ex Tharſchiſch, aurum ex Uphaz advehi* dicitur. Eſt hoc eo notandum diligentius, quod eorum, qui de Tharſchiſch ſcripſerunt, aliqui ita rem inſtituerunt, ac ſi auro illud litus abundaverit, unde jam Indiam, jam Africae auriferas regiones ſomniarunt, ubi inops auri, argenti dives terra quaerenda erat.

3) Ex

3) Ex eodem Ezechielis loco paret, ferrum, plumbum et stannum ex Tharschisch Tyrios petiisse.

4) Fuit illud litus et remotissimum, et occidentale. Joppe enim illuc navigaturis portus, eoque fugere voluisse Jonam legimus, ne impetu prophetico, cui aegre resistebat, abripi in Assyriam posset. Jon. I, 3. Orientalibus quoque populis, Sabaeis, Tharschisch tanquam ultima aliqua Occidentis ora opponi in psalmo LXXII, 10. videtur: componi enim ut vicina Sabaeis non existimanda est, quia qui ex Palaestina illuc navigant Joppe naves conscendunt.

5) Fuerunt Tharschischenses Graecorum colonia, quod eo pertinet, ut in intima Asia, Africaeque incognitis terris quaerendi non videantur. Utrum vero Graeca usi lingua sint, an Pelasgica, id est, barbara, non liquet.

His indiciis, mirum sit, si Tharschisch regionem non investigemus, si vel nomen apud Romanos Graecosque scriptores prorsus interiisset.

Fuerunt, quibus Tarsus, Ciliciae urbs nobilissima, Pauli patria, תרשיש esse videretur. In hac quidem sententia Josephus fuit, cujus verba eam ob caussam adscribo, quod ipse fatetur, literam initialem Hebraici nominis a Graeca scriptione dissonare: Θάρσος δὲ (ἔκτιζε) Θαρσεῖς, οὕτω γὰρ ἐκαλεῖτο τὸ παλαιὸν ἡ Κιλικία. Σημεῖον δὲ, Τάρσος γὰρ παρ' αὐτοῖς τῶν πόλεων ἀξιολογώτατη καλεῖται, μητρόπολις οὖσα, τὸ Ταῦ πρὸς τὴν κλῆσιν ἀντὶ τοῦ Θῆτα μεταβαλλόντων: i. e. *Tharsus Tharsenses ex se genitos reliquit, quod olim nomen Ciliciae fuit. Argumento autem est, quod prima-*

ria gentis urbs, totiusque regionis metropolis, Tarſus dicitur, mollioris appellationis cauſſa Tau pro Theta poſito. Agnoſcebat ergo Joſephus, ת Hebraicum Graece per Θ ſcribendum fuiſſe: contrariam enim vim apud Graecos Hebraeosque Tau et Theta habent, ut moneri a grammaticis ſolet. Hoc ergo grammaticorum ſcitum, aliud agens, antiquiſſimus ſcriptor confirmat.

Nec ſolus ex antiquis de Tarſo, urbe, cogitavit Joſephus, ſed jam ante illum in eadem fuiſſe ſententia auctor libri Judithae videtur, ſi, textu Hebraico dudum amiſſo, Vulgatam verſionem ſequaris. Haec enim capitis ſecundi verſum 12. 13. ita reddidit: *venit Holofernes ad montes Ange, qui ſunt a ſiniſtra Ciliciae, aſcenditque omnia caſtella eorum, et obtinuit omnem munitionem. Effregit autem civitatem opinatiſſimam Melothi, praedavitque omnes filios Tharſis.* Haec ſi ſcripſit libri auctor, Tharſis cujus mentionem cum Cilicia conjunxit, ſine dubio Tarſus eſt. Tanta tamen lectionis varietas, alia omnia habentibus Syro interprete atque Graecis (*), ut de ſententia verbisque libri Hebraici, qui nobis dudum periit, nihil aſſeverare auſim.

Chaldaicus denique paraphraſtes libri chronicorum, cujus veram ſcriptionem, ותרסוס, Beckius reſtituit, ac Pſeudojonathan, טרסוס ſcribens, Tarſum intellexerunt. Recentiores, maxime ex chriſtianis, idem ſentientes, non nomino, id unum monens, Hieronymo Tarſum pro תרשיש poſitam valde diſplicuiſſe (**).

Mihi

(*) Vide quae pagina 56. ſcripſimus, ubi et lapſus calami, III pro II ponentis, corrigendus.

(**) in epiſtola ad Marcellam, Operum Tomo II. pag. 622. *Nuper, cum Rheticii, Auguſtodunenſis epiſcopi*

Mihi quidem Tarſus, urbs licet antiquiſſima, neutiquam intelligi poſſe videtur. Primo enim ne portum quidem habuit, nec ad mare ſita fuit, qua de re Cellarium diſputantem conſulant lectores (*): deinde argenti venis illa regio nunquam ita fuit nobilitata, ut tanquam propria hujus metalli patria nominari Tarſus a Jeremia, aut argentum in mercibus ejus numerari ab Ezechiele potuiſſet. Stannum vero, ab eodem memoratum Ezechiele quis ex Cilicia arceſſat? Quae autem 2 Paral. IX, 21. XX, 36. 1 Reg. XXII, 49. de Salomonis et Joſaphati narrantur navigationibus, Tarſum omnino excludunt: ex Palaeſtina enim quis per ſinum Arabicum in Ciliciam naviget? aut qui fieri potuiſſet, ut naves tertio demum anno redirent, ſi tam propinqua commercia, ut ſunt Palaeſtinae et Ciliciae, exercebant. Nec Jonas propheta, mittentem ad Aſſyrios Deum fugiens, Tarſum petiturus fuiſſe videtur, propinquior ita Aſſyriorum metropoli, quam in ipſa Palaeſtina, futurus. Non denique ille vocabulorum, *Tarſus* et תרשיש concentus, tantus tamque perfectus eſt, ut eo ſolo contra tot argumenta pugnare liceat. *Thau* enim Hebraicum, ut ipſe agnovit Joſephus, Graece per *Theta* exprimi ſolet: urbis autem nomen non Tharſus (ΘΑΡΣΟΣ) eſt, ſed Tarſus (ΤΑΡΣΟΣ), ex quo Graeca adhuc terminatio, ΟΣ, demenda, ac ſolae literae ΤΑΡΣ (TARS) relinquendae ſunt, Hebraicum תרשיש legitime comparaturo. Graecam enim terminationem ΟΣ, per יש a Moſe exprimi, inverecundum dictu:

ſcopi - - commentarios in canticum canticorum perlegiſſem, vehementer miratus ſum, virum eloquentem praeter ineptias ſenſuum caeterorum, Tharſis urbem, putaſſe Tarſum, in qua Paulus apoſtolus natus ſit.

(*) Geogr. ant. T. II. p. 255.

ctu: nec recentiores quidem codicis sacri scriptores, quorum exemplo utendum foret, ש׳ sed שׁ ita usurpant.

Quam indicavi elementorum diversitatem, eo quoque valet, ne LXX interpretes, ubi nomen Hebraicum retinent Graecisque literis Θάρσις vel Θάρσεις scribunt, de Tarso cogitasse putemus. Tarsus enim a nemine Graecorum Latinorumque unquam *Tharsis* vocata est. Utuntur autem LXX hoc nomine, ut indeclinabili, quod ipsum peregrinitatis indicium est, ut, Ps. LXXII, 10. βασιλεῖς Θαρσίς, Jes. LX, 9. πλοῖα Θαρσεῖς, Jerem. X, 9. ἐκ Θαρσεΐς, Jon. I, 3. φυγεῖν εἰς Θαρσεΐς. Ita nemo Tarsi nomen positurus erat.

Multo minus admittenda conjectura, quae in Arabia Tharschischam quaerit. Tentavit illam LE GRAND, in dissertatione de mari rubro et navigationibus Salomonis, quam HIERONYMI LUPI commentariis itineris Aethiopici subjunxit (*): eodem loco historiae Judithae, cap. II, 13. quem supra pro Tarso adferebam, suam in rem utcunque usus. Nempe Vulgata post haec, quae citaveram, cumque praecedente Cilicia conjunxeram, *praedavitque filios Tharsis*, statim subjungit, *et filios Ismael:* quod unum le Grandius arripiens, *ergo*, inquit, *Tharsis in Arabia: ac credo equidem, Tharsidem ac Sabaeam in psalmo LXXII. nominatas, partes Arabiae fuisse.* Mirum vero errorem aut incogitantiam! Non meminerat, opinor, *Tharschisch* a Mose in coloniis Graecorum numerari,

(*) *Voyage historique d'Abessinie du R. P. Jerome Lobo, traduit du Portugais, et augmenté de plusieurs dissertations, par Mr. le Grand.* T. I. p. 335. 336.

rari, quae illo ſane tempore nullae in Arabia fuerunt: ac Jonam eo navigaturum Joppenſi ex portu ſolviſſe. Jon. I, 3. Nec quidquam ex Jeremiae decimo capite de argento addo, cujus divitem Arabiam fuiſſe nuspiam legimus.

Ad eos pergo, qui Carthaginem interpretati ſunt. Nimis conciſe Bochartus, *Graecis*, inquit, *Vulgato interpreti*, *Hieronymo*, *Theodoreto*, *Carthago eſt: Arabi geographo Tunis*. Atqui jam ſupra, aliud agens, monui, Graecos et Vulgatum haud raro vocabulum Hebraicum retinere, quod quidem in hoc ipſo Moſis commate, in quo explicando verſamur, fecerunt. Diſtinctius ergo de LXX interpretibus exponi oportuiſſet, maxime cum diverſorum librorum non iidem ſed alii ſint interpretes, quos a ſe invicem diſſentientes, uno nomine complecti; ejusdemque erroris arguere, non aequum erat. Sic potius de Carthagine habeamus. Carthaginem pro תרשיש ponunt,

1) LXX interpretes, Jeſ. XXIII, 1. 10. 14. Ezech. XXVII, 12. XXXVIII, 13. Solus ergo id fecit prophetarum interpres Graecus, ab illis, qui Moſen, pſalmos, aliosque libros, Graece verterunt, probe diſtinguendus.

2) Arabicus prophetarum interpres, qui et ipſe ſola Graeca vertit, Hebraicis ne quidem inſpectis. Jeſ. XXIII, 1. 10. 14. habet كَرْسِدُونِيَة, quae non eſt Chalcedonia, ut aliqui putarunt, ignari Graeca ab Arabe verti, ſed Καρχηδὼν, Carthago. Imprimendum fuiſſet كرشدونية per Schin, quod χ Graecorum exprimit cum ſibilo pronuntiatum. Clarius

idem

idem Arabs Carthaginienſes, خركيدونيون nominatos habet Ezech. XXVII, 12, 25. (*) XXXVIII, 13.

3) Vulgata denique in unico prophetarum loco, Ez. XXVII, 12. Carthaginienſes habet, ſervatos, credo, ex Graeca verſione, cum alibi Hieronymus eos expunxiſſet.

Uni ergo prophetarum interpreti Graeco, reliquorum indoctiſſimo, תרשיש Carthago fuit, ex quo illam Arabs et Vulgata ſumſerunt. Pudendus ſane error, ſi de Carthagine loqui potuiſſe Moſen cenſuit, urbemque a Tyriis conditam Graecis aſſignavit. Sed forte ab hac tanti erroris culpa abſolvi poſſe, ſententiamque non omnino falſam incommode dixiſſe videbitur. Quid enim, ſi Hiſpaniam intellexerit, ejusque nobiliſſimum portum, Carthaginem novam, non antiquo, quod ignorabat, ſed ſui temporis nomine appellaverit.

Quid ſpectens Africam reddiderit Chaldaeus interpres, 1 Reg. XXII, 49. 2 Paral. IX, 21. Jerem. X, 9. non expedio. In duobus locis librorum hiſtoricorum, ubi de Salomonis et Joſaphati navigatione refertur, de circumnavigata Africa cogitare interpres potuit: Jeremiam, laminas argenti ex Tharſchiſch adferri narrantem, de Africa exponere non debuiſſet.

Indiae regionem intellexit Hieronymus in epiſtola ad Marcellam, *ὁμώνυμον eſſe* ſcribens *vocabulum, quod et*

(*) Hoc in verſu editiones conſvetae bibliorum non niſi πλοῖα habent, omiſſo Carthaginis nomine: pro quibus in codice Alexandrino, et editione Aldina Καρχηδόνιοι ἔμποροι leguntur. Arabicus ergo interpres bibliorum Graecum codicem habuit, cum Alexandrino concinentem, Carthaginienſiumque nomen exprimentem.

et Indiae regio sic adpelletur, et alia plura (*). Eandem sententiam ornandam suscepit, navigationum Salomonis rationem redditurus, Joachimus Christianus Jehring, in bibliothecae Bremensis fasciculo VIII. pag. 78. seqq. Ea vero sententia, certe ut Jehringius eam dixit, soli Indiae Tharschischae nomen vindicans, una omnium videtur veri dissimillima. Nec enim Joppe, ubi navem conscendisse Jonam legimus, is portus est, ex quo in Indiam navigari possit: nec Mosis tempore in Indiae ullae Graecorum coloniae. Suspicari etiam audeo, ne cognitam quidem Mosis tempore Indiam Israëlitis fuisse, cujus nomen, הדו, in nullo libro ante exsilium Babylonicum scripto, sed demum in Estherae historia obvium. Argumenta, quibus Jehringius utitur, vix relatu digna, ut, *Tharschischam Ps. LXXII, 10. cum Sabaea componi*, quasi non potius opponi dici possit: et, *Indiam multas habere insulas*, quod totum perit, si, ut infra ostendam, איים non insulas significat.

Naves Tharschischae per metonymiam poëticam pro omnibus poni navibus longinquam exercentibus mercaturam, supra monuimus, exemplisque Jes. II, 16. XXIII, 1. 14. Ps. XXXXVIII, 8. confirmavimus: quae loca si quis velit omni demta figura interpretari, non obnitor, quin Tharschisch quemvis portum valde remotum significare dicat. Nollem tamen, *pelagus*, verti, aut pro אניות תרשיש *naves pelagi*, languide ut arbitror, reponi, licet id multi faciant. Semel LXX cum sequace suo Arabe, Jes. II, 16. eodemque in loco Aquila: saepius Vulgata, Jes. XXIII, 1. 10. 14. LX, 9. Ezech. XXVII, 25. frequentissime Jonathan, ut fere suspicer, inscitia illum

(*) T. II. pag. 623.

lum geographiae, ejusque figurae, quae res universas in singulis exemplis ponit, Tharschischam, quam nuspiam reperiebat, in mare mutasse. Vide Chaldaicam ejus versionem, Jes. II, 16. XXIII, 1. 10. 14. LX, 9. Ezech. XXVII, 12. XXXVIII, 13. Jon. I, 3. Forte hoc auctore, propagatus error, תרשיש appellativum maris nomen esse. Sic passim Judaei, exque illis vocabularia; sic et, edoctus credo a magistro Judaeo, Hieronymus. Namque et I Reg. XXII, 49. vertit, *classes in mari*, et ad Jes. II, 16. adscripsit: *Hebraei putant, lingua propria sua mare* THARSIS *appellari, quando autem dicitur* JAM, *non Hebraico sermone appellari, sed Syriaco*: et ad Jerem. X, 9. *Tharsis vel regio Indiae est, ut vult Josephus, vel certe omne pelagus appellatur.* Denique in epistola ad Marcellam, T. II. p. 623. *et Indiae regio ita appellatur, et ipsum mare, quia caeruleum est, et saepe solis radiis percussum colorem supradictorum lapidum* (chrysolithorum et hyacinthorum) *trahit, a colore nomen accepit.* Nempe hyacinthi veterum, nobis amethysti, caeruleo colore mare imitari videntur: unde et suspicari possis, eos veterum, qui gemmam תרשיש hyacinthum vertunt, a maris similitudine etymon duxisse.

Huic tamen magno, fateor, multorum consensui nondum adducor ut credam תרשיש adpellative maris nomen esse. In omnibus enim locis, pro hac significatione allatis, nullus est, quin nominis proprii significationem admittat, nullus ergo, qui hanc novam significationem probet. Reliquae autem Orientis linguae תרשיש omnino ignorant, quod mirum, si adpellativum sit. Sola ergo conjectura, seu potius figurae poëticae inscitia, ex regione aut portu in mare mutatur, nullo indicio, nullo linguarum Orientalium concentu. Id quidem certum, ut-

cun-

cunque haec cadat diſputatio, Moſen non de mari, ſed de Graecorum loqui colonia, et, quod recte monuit Hillerus, a libri regum auctore, libr. I. c. X, 22. Tharſchiſch a mari diſtingui.

De Tharſchiſcha nemo melius Bocharto, cui Hiſpania eſt, a Tarteſſo, nobiliſſimo olim portu et inſula in Baetis oſtio, dicta. Nempe et ſonus concinit, ש primo pro more Chaldaeorum ac Syrorum in ת mutato, et litus illud, ſervata etiam ſibilante, Ταρδήιον dictum Bochartus demonſtrat, et auctoritatem adfert Euſebii, ex Tharſis Iberes ortos dicentis (Θαρσεὶς, ἐξ οὗ Ἴβηρες). Nec quidquam eorum in Hiſpania deſideres, quibus tanquam indiciis prodi Tharſchiſcham Hebraeorum monui. Ultimus illa ſimulque nobiliſſimus Phoeniciae navigationis, quatenus inveſtigari olim ab exteris et reſciri poterat, terminus, ulteriora enim diſſimulabant. Argenti eadem tanquam patria antiquis habita, ejusque ad Plinii tempus fuit inexhauſta: ferri quoque abundantia et praeſtantia nobilis. Stannum autem, cujus patria Britannia fuit, maximeque Caſſiterides inſulae, ex Hiſpania Tyrum advehi oportuit. Eandem nos in Hiſpaniam Jonae prophetae longinqua fuga, Joppenſi nave conſcenſa, deducit, ultimum occidentem petentis, quo remotior ab Aſſyria degeret. Quae omnia ita ſunt comparata, ut ſi vel nullum nominis adpareret veſtigium, tamen alia praeter Hiſpaniam regio Tharſchiſchae nomine intelligi vix poſſet, locusque Ezechielis, in quo merces Tharſchiſchae enumerantur, aliquam tanquam definitionem regionis ex hiſtoria naturae petitam contineat. Sed haec cum Bochartus copioſe peroraverit, in ipſius immortali libro legi velim, ad ea pergens, quae addi ſtabiliendae et ornandae ſententiae poſſe exiſtimo.

Primo ergo opponi quodammodo Hiſpaniae video poſſe, quod gens, de qua anquirimus, Graecorum dicitur fuiſſe colonia, a quibus Hiſpani ob linguae diverſitatem ac barbariem orti eſſe haud videantur. Sed hic nodus facile ſolvetur, modo recordemur, alteram ex illis gentibus, quae Graeciam habitarunt, Pelasgicam Jonum, non Graeca lingua, ſed barbara uſam fuiſſe: hi ergo, non Dores, coloniam dimiſiſſe in Hiſpaniam dicendi erunt. Nec enim in meam rem abuti duobus monumentis Hiſpanicis velim, Celtibericis literis ſcriptis, quae Graeca eſſe Ludovico Joſepho Velazquez viſa ſunt (*), ex quo conſequi poſſe videretur, ut Graeca lingua aliqui Hiſpaniae populi pro vernacula uſi ſint. Diffido enim interpretationi, non literarum, ſed verborum, quae barbara, incognitaeque nobis linguae eſſe, exiſtimo (**).

Sed ſupereſt alius, longe intricatior ac difficilior nodus, infeliciter a plerisque tractatus, quod Iſraëlitae ex mari Ery-

(*) *Enſayo ſobre los Alphabetos de las letras desconocidas, que ſe encuentran en las mas antiguas Medallas y Monumentos de Eſpaña, par Don Luis Joſeph Velazquez.* (Madrid 1752.) p. 125. 128.

(**) Literae Celtibericae, ſi Graece deſcribas hae ſunt, vaſis argentei, ΑΝΑΝΝΕΚΣΟΡΖΦΑΝ, et lapidis, ΝΕΟΝΥΛΕΝΥΕΝΕΝΑΔΩΛΕΜΕΙΝ. Has inſcriptiones Hiſpanica vetere lingua conceptas eſſe, recte opinatur Velazquius, ita argumentatus: *eſta Inſcripcion eſtà concebida en el Lenguage antiguo de Eſpaña, como lo demueſtran ſus letras Celtibéricas.* Putat autem, literas modo initiales poſitas, reliquas autem ita ſupplendas eſſe: ΑΝΑΝεωσωμενκις ΝΕΚυων ΣΘΡακος ΖΦΑΝγαις, *renovandis manium vas victimis:* et ὑπερ ΝΕΟΝ ΥΛΕΝ ΥΕΝ ΕΝ ΑΔΩ ΛΕΜΕΙΝΑ *ſuper novam ſilvam pluit; ibi ſatio pratum.* Malim vero verba, quae Graeca facit, barbara putare, eorumque vim et ſententiam ignorare, quam hac uti interpretatione.

Erythraeo navigationem in Tharſchiſcham ſuſcepiſſe leguntur. Primum tale quid factum ſub Salomone, utroque hiſtorico conſentiente, unde errori librariorum imputari nihil poteſt: 1 Reg. IX, 26. X, 22. 2 Paral. IX, 21. Quos teſtes audiens, vix ſuſpicaberis, aliud eos dicere, quam: *Iſraëlitas et Tyrios Aelana et Esiongabara, qui portus ſunt ſinus Arabici, ſolviſſe, atque Tharſchiſcham mercaturae cauſſa petiiſſe: triennium illi navigationi datum, aurumque, et argentum, ebur, pſittacos, et ſimias, merces fuiſſe in Palaeſtinam ea ex navigatione reportatas.* Nec vero hoc mare navigaturo in Hiſpaniam convenire videtur, nec ex Hiſpania aurum, ebur, ſimias, pſittacos exſpectaveris.

Enſe hunc nodum ſecare poſſis, ſi naves Tharſchiſcham ituras, ab his, quae ex ſinu Arabico navigabant, diſtinguas, de illis 1 Reg. X, 22. 2 Paral. IX, 21. de his 1 Reg. IX, 26. X, 11. 2 Paral. IX, 10. explicans: quamquam vel ſic manebit, aurum, ebur, ſimias et pſittacos, res Hiſpaniae a natura non datas, ex Tharſchiſcha advehi. Sed hoc artificio eludere non licet eosdem teſtes de Joſaphati navigatione referentes (*), *naves Tharſchiſchae, easque Ophiram ſimul petituras, in ipſo Esiongabarae portu vento fractas eſſe.* Ergo ex illo portu, qui ſinus eſt Arabici, Tharſchiſcham navigabatur: eaedemque naves ad auriferae Ophirae, quae Arabiae abjudicari nequit, portus adpellebant, auro ex illis, ut ex Tharſchiſcha argento onuſtae rediturae.

In diverſa hic abeunt interpretes. Sunt qui naves Esiongabarae fabricatas putant, non quod inde ſoluturae eſſent,

(*) 1 Reg. XXII, 49. 2 Paral. XX, 36.

essent, sed ob ligni copiam, indeque terra transportatas ad aliquem maris mediterranei portum, ex quo in Hispaniam potuerit navigari. Hi vero et valde adferunt incredibilia, cum Arabia, qua parte mari Erythraeo imminet, silvis destituatur: nec expediunt, quod habet uterque testis, fractas quoque in illo portu maris Erythraei naves esse, ex quo adparet, non solum ibi fabricatas fuisse, sed et in mari stetisse: nec rationem reddunt, quo modo Tartesso, aut ex ullo omnino Europae portu, aurum reportari et ebur, simiaeque et psittaci potuerint.

Duplicem alii Tharschischam faciunt, (fere ut nobis duplex est India, haec ab illa nomen nacta) occidentalem et orientalem. Sic Bochartus, pag. 171. *alia fuit Tharsis in Oceano Indico, forte ad promontorium Cory, quod Hispanicam Calpen utcunque refert. Quae potuit esse caussa, cur eodem nomine a Phoenicibus appellaretur, praeterquam quod uterque locus fuit a Tyro valde remotus, et propter metalla quaesitus.* Similia habet HILLERUS, de origine gentium Celticarum in *syntagmate hermeneutico* disputans, pagina 144, nisi quod aliquos de suo errores addit, in quos Bochartus multo doctior incidere non poterat, ut, dictam ita Indiam, *quod exhausta auro caeterisque metallis Hispania, vicem illius praestaret.* Atqui nec exhausta Hispania, Plinii adhuc tempore ditissima venarum argenti: nec illa unquam ab auri copia laudata. Aurum et argentum, metalla natali solo diversissima, confundunt philologi, quod utroque pro pecunia uti possunt, de natura metallorum minus quam de usu soliciti.

Hanc et ego, ut a Bocharto prodita est, interpretationem meam facerem, si necesse esset, nec fieri omnino

pot-

potuiſſet, ut ex rubro mari in Hiſpaniam mercaturae cauſſa navigaretur. Sed hac de re poſtea videbimus: nunc in aliorum ſententiis expendendis pergamus.

Sunt, qui in hac navigationum hiſtoria תרשיש non certam aliquam regionem, ſed ſimpliciter *mare* intelligunt: qua et in ſententia Hieronymum fuiſſe tum puto, cum 1 Reg. XXII, 49. verteret: *fecerat claſſes in mari*. Ut autem non repetam, quae ſupra (*) diſputavi, nullo certo exemplo, reliquarumve linguarum Orientalium uſu, hanc vocabuli adpellativam ſignificationem firmari, illo in loco ubi de navigatione Salomonis agit hiſtoricus, 1 Reg. X, 22. תרשיש a mari diſtinguitur. En verba, אני תרשיש בים, *navis Tharſchiſchae erat in mari*: quae fac aliquem vertere, *navis maris erat in mari*, quid quaeſo dici magis languide et ſuperflue poterat? Quaſi vero aliae eſſent naves agrorum, montium, coeli, ſcriptorique opus videretur, lectorem monere, non ejusmodi navibus, ſed navibus maris in mari navigatum eſſe! Quodſi haec, quantumvis frigida, *navis maris in mari erat*, dormitanti ſcriptori excidiſſent, eodem tamen utrobique uſurus vocabulo, ſcripturusque fuiſſe videtur, אני ים בים.

Antequam meam de utraque navigatione ſententiam dicam, quaeri oportere video, quid de ea JOSEPHUS prodiderit, cui cum Tharſchiſch Cilicia eſſet, non minus in Salomonis Joſaphatique hiſtoria difficultatis, quam mihi, aut Bocharto. Fluctuaſſe autem in interpretando, nec parum laboraſſe videtur, ab his, qui ejus opera ediderunt

(*) p. 90.

derunt notisque illuſtrarunt, non intellectus. De Salomone quidem ita (*): *πολλαὶ γὰρ ἦσαν ναῦς, ἃς ὁ βασιλεὺς ἐν τῇ Ταρσικῇ λεγομένῃ θαλάττῃ κατέστησε*, quae vereor ut recte reddi ſoleant: *nam magna erat claſſis, quam rex in mari, quod vocatur Tarſicum, conſtituerat.* Hoc mare Tarſicum, quod, et ubi fuerit, non adparet: de Cilicio quidem cogitare Joſephus non potuit, triennium navigatione abſumtum, atque Aethiopica mancipia, et ſimias, in reportatis mercibus, memorans. Suſpicor potius, et Joſepho תרשיש nomen appellativum Oceani viſum fuiſſe, verbaque in hunc modum accipienda: *magnam in Oceano, qui* TARSICUM *Hebraeis dicitur, claſſem comparavit.* Non mirum, Joſephum idem ſenſiſſe, quod ante Jonathan conjecerat, et poſt eum Hieronymus ut Judaeorum opinionem retulit, תרשיש appellative maris magni nomen eſſe.

Nec tamen hujus interpretationis in mentem venit Joſepho, cum de navigatione Joſaphati referendum eſſet: utrum oblivione, et quod eorum non facile recordamur, quae artificioſe nimis commenti eramus, an quod alia lectione utebatur, pro certo non adſeveraverim. Haec quidem, quae 1 Reg. XXII, 49. verbis Hebraicis ita concepta ſunt, *Joſaphatus exſtruxit navigia Tarteſſi, ut irent in Ophiram, auri adportandi cauſſa, ſed non iverunt, quia naves fractae ſunt Esiongabarae*, יהושפט עשה אניות תרשיש ללכת אופירה לזהב ולא הלך כי נשברו אניות בעציון גבר, Graece ſic ediſſerit (**): *πρὸς ὃν κοινωνήσας ἐπὶ παρασκευῇ νηῶν, εἰς τε Πόντον πλευσῶν, καὶ τὰ ἐπὶ Θράκης ἐμπόρια, διήμαρτε τοῦ κτήματος.* Ὑπὸ

(*) Ant. L. VIII. c. VII. §. 2. (**) Antiqu. L. IX. c. I. §. 4.

Ὑπὸ γὰρ μεγέθους ἀπώλετο τὰ σκάφη· i. e. *juncta ergo cum Ababo opera naves construens, quae Pontum et Thraciae emporia peterent, votis excidit. Nimia enim magnitudine fractae sunt.* Haec legens, quis non videt, Esiongeberae nomen, qui portus erat sinus Arabici, dissimulari, quod Josephus non expediret, quomodo inde in eam, quam volebat, regionem navigari potuerit? Et tamen hoc ita fugit aciem doctorum hominum, qui Josephum illustrandum sibi sumserunt, ut ne in Havercampiana quidem editione, notas variorum habente, quidquam ea de re dubitatum adnotatumque sit. Ne tamen, qui ex sacris se literis historiam scribere profitetur, Josephus, mala fide egisse, atque omisisse videatur, quae in libris Hebraicis legebat, ad illa attendendum, quae in ejus narratione Hebraicis monumentis comparata redundant. Nimia magnitudine fractas naves scribit, puto, quod in vadosa inciderent (*), Oceano aut alto mari aptae, non Ponto, in quem eas Josephus deduxit, Euxino. Hoc ergo ipsum, quod plus habet, ex nomine portus aliter sumto effecit: בעצין גבר interpretatus, *ob magnitudinem molis*, seu, *ob ligni multitudinem;* non sane grammatice, sed quod omnino illius portus nomen habere nollet. Hoc ergo vitaturus, primam ejus partem עצין cum עץ *ligno* contulit, alteram cum verbo גבר, *for-*

(*) Mirum, ne hoc quidem intellexisse doctissimos viros. SPANHEMIUS: *navigia ob magnitudinem absorpta:* quasi vero id unquam contingere aut soleat aut possit? Quo majores naves sunt, eo majore ex spatio aquam specifice graviorem pellant necesse est, antequam mergantur. HAVERCAMPIUS: *quod regi non poterant.* Non cogitabant, quo in mari Josephus navigatum fuisse scribebat. Pontus Euxinus vadosus est, in quo majora navigia vadis aut scopulis illiduntur.

fortitudinis, *copiae*, *multitudinis* notionem habente contulit. Hoc metu portus alienissimi liberatus, non tamen in suam Ciliciam navigari voluit, sed in Thraciam ac Pontum, illum nempe, nisi omnia me fallunt, qui Thraciae vicinus est, et ex quo Ovidius epistolas scripsit. Qua in re iterum fluctuationem historici Judaei noscimus. Thraciam volebat, aut תירס legens, [meminerimus enim, utrumque nomen alibi quoque a librariis confundi (*)] aut suspicans, ita sive legendum sive interpretandum esse. Sed huic aut lectioni aut conjecturae non confidens, Pontum addebat: credo, quod aliqui Rabbinorum תרשיש appellativum maris nomen faciebant, unde putabat, regionem exteris Pontum dictam potuisse ab homine Hebraeo תרשיש vocari. Interdum enim nomina propria et alias in linguas vertuntur: ut cum nos pro *Belgrad* dicimus, *Griechischweissenburg*, idque saepius etiam cum Graeci tum Orientales audent.

Jam nemine eorum neglecto, quos consuli fas erat, meam promo sententiam. Circumnavigatam a Salomone existimo Africam, idemque iterum tentasse Josaphatum: nec id incredibile cuiquam videri debet, postquam Herodoto teste perfecit Gesnerus, Phoenices Africam circumnavigasse. Hi autem Salomonis in navigatione socii fuerunt. Locum Herodoti integrum adscribo, cum quia postea illo utar, tum quod nondum edita est Gesneri disputatio. Libro IV, c. 42. Λιβύη, inquit, *δηλοῖ ἑωυτὴν, ἐοῦσα περίῤῥυτος, πλὴν ὅσον αὐτῆς πρὸς τὴν Ἀσίαν οὐρίζει, Νεκῶ τοῦ Αἰγυπτίων βασιλῆος πρώτου τῶν ἡμεῖς ἴδμεν καταδέξαντος· ὃς ἐπεί τε τὴν διώ-*

(*) Vide pag. 64.

διώρυχα ἐπαύσατο ὀρύσσων τὴν ἐκ τοῦ Νείλου ἔχουσαν ἐς τὸν Ἀράβιον κόλπον, ἀπέπεμψε Φοίνικας ἄνδρας πλοίοισι, ἐντειλάμενος, ἐς τὸ ὀπίσω δι' Ἡρακληΐων στηλέων ἐκπλέειν ἕως ἐς τὴν βορηΐην θάλασσαν, καὶ οὕτω εἰς Αἴγυπτον ἀπικνέεσθαι. Ὁρμηθέντες ὦν οἱ Φοίνικες ἐκ τῆς ἐρυθρῆς θαλάσσης, ἔπλεον τὴν νοτίην θάλασσαν· ὅκως δὲ γένοιτο φθινόπωρον προσχόντες ἂν σπείρεσκον τὴν γῆν, ἵνα ἑκάστοτε τῆς Λιβύης πλέοντες γενοίατο, καὶ μένεσκον τὸν ἀμητόν· θερίσαντες δ' ἂν τὸν σῖτον, ἔπλεον. Ὥστε δύο ἔτεων διεξελθόντων, τρίτῳ ἔτεϊ κάμψαντες Ἡρακληΐας στήλας, ἀπίκοντο ἐς Αἴγυπτον. Καὶ ἔλεγον, ἐμοί μεν οὐ πιστὰ, ἄλλῳ δὲ δὴ τέῳ, ὡς περιπλώοντες τὴν Λιβύην τὸν ἥλιον ἔσχον ἐς τὰ δεξιά: i. e. *Africa a reliquo terrarum orbe satis distincta, quippe circumflua ea parte excepta, qua est Asiae contermina. Primus id, quantum novimus, Neco Aegyptiorum rex ad certum perduxit, cum consilium abjiciens fossam a Nilo ad sinum Arabicum ducendi, Phoenices navibus misit, illisque in mandatis dedit, ut superatis columnis Herculis in mare etiam boreale pergerent, atque deinde in Aegyptum reverterentur. Hi ergo Phoenices ex rubro mari solventes versus Austrum navigarunt, autumno ad terram appellentes et serentes, ibique messem opperientes, qua peracta iterum solvebant. Ita biennio elapso, tertio anno cursum ad columnas Herculis reflectentes redierunt in Aegyptum. Retulerunt autem, quod mihi videtur incredibile, (aliis forte secus) Africam circumnavigantes solem se ad dextram habuisse.*

Id quod incredibile visum Herodoto, de eo nunc nemo dubitabit, estque id indicio, non confictam historiam, sed Phoenices, ut Africam navigaturo necesse est, eo penetrasse, ubi ab Oriente ad Occidentem proficiscens solem a dextra habet, id est, ultra lineam.

Quod ergo Phoenices Necone regnante fecerunt, id diu jam ante sub Salomone ab Israëlitis Tyriisque factum arbitror. Itineri longinquo et australi omnia conveniunt ab historicis sacris narrata, triennium illi destinatum, merces, quae Salomoni advectae dicuntur, Africanae, ut psittaci, simiae, ebur, situs denique portuum et locorum. Sic ergo rationes navigationis instituo. Circumnavigaturi Africam, nec uno cursu, sed plures ad portus adpulsuri, nundinisque interfuturi, Aelana aut Esiongabara, qui portus sunt sinus Arabici Aelanitici, solvebant. Petebant hinc primo Ophiram, in qua magno lucro argentum, quod ex Hispania aliae naves reduces attulerant, auro permutabant, fere ut Batavi nunc Europae Americaeque argentum in Japoniam devehunt, eoque aurum, minoris Japonensibus quam nobis aestimatum, redimunt. Est enim diversis in populis diversa auri ad argentum ratio, ex qua ingens perito mercatori lucrum. Hispania olim argento abundabat: auro Arabia, sive proprio, sive ex India advecto, quod ita in majus auxere Graeci, ut vel mentirentur, aequali ibi pondere aurum ferro permutari. Sed de hoc aut mendacio aut credulitate alius infra erit dicendi locus: nunc naves Salomonis sequamur. Hae ergo auro Ophiritico potitae jam litora Africae et insulas, pro antiqua navigationis infantia, legebant; si qua culta atque habitata, adpellebant, suasque exigui pretii merces stupentibus vendebant barbaris: aurum, quo Africa abundat, non certe spernebant, si

modo

modo tunc jam detectum erat, sed et ebur praeterea, animaliumque Africanorum miracula coëmebant, multorumque in portuum nundinis magno suo lucro merces saepius permutabant. Tandem Tartessum advectae, auro, mercibusque Africae, argentum aliasque Hispaniae divitias emebant, indeque solventes, longinquae navigationis spolia, aurum, argentum, stannum, ebur, et quidquid aliud Africae habebant Hispaniaeque litora, patriae inferebant. Triennio non ad navigationem, sed ad nundinas opus: nisi velis, eos quoque, ut de Tyriis Neconis narrat Herodotus, per hiemem a navigando destitisse, agrosque conseruisse. Sed de hoc utcunque statuas, eidem navigationi circa Africam Herodotus quoque triennium dedit.

Tertium contra Tartessum dubium necti ex Herodoto possit, quod intellecturus non eram, nisi familiari me colloquio de eo cogitare jussisset, Magnificus hoc tempore academiae nostrae Prorector, Gattererus. Nempe Samios refert Herodotus, L. IV. cap. 152, vento ultra Herculeas columnas abreptos et Tartessum delatos esse, additque: *τὸ δὲ ἐμπόριον τοῦτο ἦν ἀκήρατον τοῦτον τὸν χρόνον, ὥστε ἀπονοστήσαντες ὀπίσω, μέγιστα δὲ Ἑλλήνων πάντων, τῶν ἡμεῖς ἀτρεκίην ἴσμεν, ἐκ φορτίων ἐκέρδησαν*: i. e. *erat ea tempestate id emporium intactum, unde maximum omnium quos novimus Graecorum hi domum revertentes ex mercibus lucrum fecerunt.* Ergo si Tartessus incognita Samiis fuit, quomodo Mosis jam tempore colonia fuisse Graecorum potest?

Facilis, ut opinor, responsio. Ante Mosen incolas ex Graecia haec pars Hispaniae accipere potuit, qui sen-

fenfim remotae patriae, ut haec illorum, obliviſcebantur, maxime ſi Pelasgi fuerunt, barbare loquentes. In illa enim navigationis, ipſiusque Graeciae infantia, quam Herodoti ea quoque narratio arguit, non mirum, ex Graecia illuc non navigatum eſſe. Ignoti ergo per plura ſecula Graecis mercatura tamen non caruerunt, emporium enim habuiſſe dicuntur, quod qui alii quam Phoenices adierint? Per hos Moſi innotuerunt; multis poſt ſeculis a Samiis caſu inveniendi, ac forte, quod barbara Pelasgorum lingua uterentur, non pro Graecis agniti, ſed adnumerati barbaris.

Gemmam ſibi cognominem Tarteſſus habuit, תרשיש Exod. XXVIII, 20. XXXIX, 13. Ezech. I, 16. X, 9. XXVIII, 13. Dan. X, 6. Cant. V, 14. commemoratam: de qua nec liquet ſatis, nec eſt hic dicendi locus, niſi quantum ad geographiam pertinet. Hyacinthum plerique veterum verterunt, gemmam materia cryſtallinam, ſeu, ut nomine artis utar, quarzeam, colore caeruleo, quam noſtri amethyſtum nominant (*). Hoc quam recte fiat, nunc non diſputo, ſupra (**) ſuſpicatus, qui ita verterunt a caeruleo colore marisque ſimilitudine hyacinthum dictum putaſſe.

Mihi vero a patria potius gemmae nomen arceſſere placeret, ut nos Bohemicas gemmas (*Boehmiſche Steine*) a natali ſolo nominamus. Nec vel ideo hyacinthum excludo, quae gemma Hiſpanica recte dici poſſit: ex Pyrenaeis enim jugis, maxime ex Cataloniae *monte Sigismundi*, amethyſti, id vero eſt veterum hyacinthi, effodiuntur (*.*). Ergo ſi recte veteres תרשיש hyacinthum inter-

(*) HILL *hiſtory of foſſils* p. 593.

(**) pag. 90.

(*.*) Vide BÜSCHINGII *geographiam* P. II. Vol. I. p. 112.

interpretati sunt, novus tanquam numerus veritatis ei sententiae accedit, quam ornandam suscepimus, Tharschischam Hispaniam esse.

* * *

כתים *Citthim.*

Hoc de nomine vere iterum et erudite disputavit Bochartus, L. III. cap. V. illis argumentis perficiens, Citthim nomen Italiae et vero mediae circa Romam esse, ut hac quidem parte non habeam, quod addere possim. Nemo certe Danielis vaticinium c. XI, 29. 30. leget, quin statim intelligat, non de Cypro, quam Josephus voluit, nec de Macedonia, sed de ea Italia prophetam loqui, in qua nobis Bochartus *Cetiam*, antiquam Latii urbem, *Cetum*, fluvium circa Cumas, et *Cetios* (Κητίους) populum demonstravit, qui a Latino demum rege Latinus dici coepit. Etymologica autem, quae de Latio Bochartus habet, facile ipsi relinquo, quaestiones geographicas his crepundiis carere cupiens.

Hoc quoque recte conjecisse puto Bochartum, aliquando has literas כתים, non כִּתִּים (*Kitthim*) sed כֻּתִּים (*Kuthim*) adpellandas esse, aliumque omnino populum, *Cuthaeos*, significare. Quis autem hic sit *Cuthaeus* populus, a *Citthaeo* diversissimus, non recte assequutus videtur Bochartus, estque ea quaestio hic omnino tractanda, quod Cuthaeis ignoratis ne ratio quidem reddi potest eorum, quae Josephus, *Citthim* et *Cuthim* literarum similitudine confundens, de nostris Citthaeis scripsit.

In

In illis ergo regionibus, ex quibus Salmanasser Assyriae rex colonias in subactum a se regnum Samaritanum deduxit, nominatur quoque כותה, *Cuthaea*, 2 Reg. XVII, 24. Qua de Cuthaea nolo jam aliorum conjecturas repetere, in Perside eam, in Media, in Colchide quaerentium: sed meam potius lectorum judicio permittere.

Cuthaea, ex qua Samaria colonos accepit, toti deinde Samaritanorum genti nomen datura, ut Judaeis Samaritani Cuthaei dicerentur (*), regio esse videtur circa Sidonem. In hac ipsa, quam explico, gentium genealogia, versu 19, Pseudojonathan Hebraicum מצידון, *a Sidone inde*, Chaldaice vertit, מן כותניים, *a Chuthanaeis*, et 1 Paral. I, 13. Chaldaicus libri interpres pro, *Canaan genuit Sidonem*, habet: *Canaan genuit Chuthanium* (ית כותניאס) *qui Sidonem condidit, fuitque Canaanis primogenitus.* Quo quidem de loco, a Beckio non intellecto, infra ad versum 15 plura: nunc id unum ex utroque Chaldaeo interprete sumo, nomen proprium regionis circa Sidonem *Chutha*, seu adjecta terminatione Persica *Chuthan* fuisse (**). Ad hanc autem originem Sama-

(*) Josephus Ant. L. IX. c. 14. §. 3. οἱ κατὰ τὴν Ἑβραίων τὴν γλῶτταν Χουθαῖοι, κατὰ δὲ τὴν Ἑλλήνων Σαμαρεῖται. Magistros Judaeorum eodem nomine Samaritanos designare, nemo ignorat, qui scripta eorum attigit.

(**) Die 18. Martii 1768, *Josephum Abassi*, Emirum Transjordanensem, qui patria a Turcis pulsus me convenerat, interrogavi, Sidone fuisset? Ille vero, etiam! Perrexi: memoriamne subiret aliquid hujus nominis in ea vicinia? Alia, quae interrogabam, negans, tertio a Sidone milliari sitam dicebat urbem *Cuthin*, nec tamen quibus literis scriberetur certum habebat. Haec ut audita refero, atque ab eo audita, qui illis in locis versatus nun-

Samaritanos non dubio indicio refero: namque et ipsi Sidonios prae se natales tulerunt, si quando Judaeis accenseri nolebant, et, ut apud Judaeos Cuthaei, ita sua lingua Sidonii proprio nomine dicti sunt. En illustria Josephi loca, quae miror ab interpretibus neglecta: sed id fere accidere Josepho solet! Antiqu. L. XI, c. 8. §. 6. Samaritani, qui, Alexandro Magno Judaeis propitio, jam malebant Israëlitica quam Phoenicia origine gloriari, petebantque ab eo immunitatem a tributis, quam septimo quoque anno Judaeis concesserat, *esse se*, ajunt, *Hebraeos, licet Sidonii Sicimenses vocari soleant:* Ἑβραῖοι μὲν εἶναι, χρηματίζειν δὲ, ΟΙ ΕΝ ΣΙΚΙΜΟΙΣ ΣΙΔΩΝΙΟΙ. Ergo hoc eo tempore consvetum Samaritanorum nomen, quod ne tunc quidem celare victorem poterant, cum maxime e re ipsorum esset, Sidoniam originem inficiari. Iidem, cum alio omnino rerum statu ad Antiochum Epiphanem, Judaeis infensum, literas darent, haec inscripserunt, ut Josephus L. XII. c. 5. §. 5. retulit: *βασιλεῖ Ἀντιόχῳ θεῷ ἐπιφανεῖ, ὑπόμνημα παρὰ τῶν ἐν Σικίμοις Σιδωνίων, ad regem Antiochum, Deum praesentissimum, supplices literae Sidoniorum qui Sichemi habitant.* His in literis de suae gentis origine ita produnt: *cum ortu simus Sidonii, idque ex tabulis civitatum nostrarum manifestum sit:* ὄντων ἡμῶν τὸ ἀνέκαθεν Σιδωνίων, (καὶ τοῦτο φανερόν ἐστιν ἐκ τῶν πολιτικῶν ἀναγραφῶν.) Zachariae quoque, vatis interpretatu difficilioris, extrema oratio, (cap. XIV, 21.) quantumvis obscura, hoc tamen prodere videtur, eo tempore

nunquam putaverat, quemquam his de rebus interrogaturum. Inquirant curiosius, si quibus erit occasio.

In illis ergo regionibus, ex quibus Salmanaſſer, Aſſyriae rex colonias in ſubactum a ſe regnum Samaritanum deduxit, nominatur quoque כּוּתָה, *Cuthaea*, 2 Reg. XVII, 24. Qua de Cuthaea nolo jam aliorum conjecturas repetere, in Perſide eam, in Media, in Colchide quaerentium: ſed meam potius lectorum judicio permittere.

Cuthaea, ex qua Samaria colonos accepit, toti deinde Samaritanorum genti nomen datura, ut Judaeis Samaritani Cuthaei dicerentur (*), regio eſſe videtur circa Sidonem. In hac ipſa, quam explico, gentium genealogia, verſu 19, Pſeudojonathan Hebraicum מצידן, *a Sidone inde*, Chaldaice vertit, מן כותניים, *a Chuthanaeis*, et 1 Paral. I, 13. Chaldaicus libri interpres pro, *Canaan genuit Sidonem*, habet: *Canaan genuit Chuthanium* (ית כותניאס) *qui Sidonem condidit, fuitque Canaanis primogenitus*. Quo quidem de loco, a Beckio non intellecto, infra ad verſum 15 plura: nunc id unum ex utroque Chaldaeo interprete ſumo, nomen proprium regionis circa Sidonem *Chutha*, ſeu adjecta terminatione Perſica *Chuthan* fuiſſe (**). Ad hanc autem originem Sama-

(*) Joſephus Ant. L. IX. c. 14. §. 3. οἱ κατὰ τὴν Ἑβραίων τὴν γλῶτταν Χουθαῖοι, κατὰ δὲ τὴν Ἑλλήνων Σαμαρεῖται. Magiſtros Judaeorum eodem nomine Samaritanos deſignare, nemo ignorat, qui ſcripta eorum attigit.

(**) Die 18. Martii 1768, *Joſephum Abaſſi*, Emirum Transjordanenſem, qui patria a Turcis pulſus me convenerat, interrogavi, Sidone fuiſſet? Ille vero, etiam! Perrexi: memoriamne ſubiret aliquid hujus nominis in ea vicinia? Alia, quae interrogabam, negans, tertio a Sidone milliari ſitam dicebat urbem *Cuthin*, nec tamen quibus literis ſcriberetur certum habebat. Haec ut audita refero, atque ab eo audita, qui illis in locis verſatus nun-

Samaritanos non dubio indicio refero: namque et ipsi Sidonios prae se natales tulerunt, si quando Judaeis accenseri nolebant, et, ut apud Judaeos Cuthaei, ita sua lingua Sidonii proprio nomine dicti sunt. En illustria Josephi loca, quae miror ab interpretibus neglecta: sed id fere accidere Josepho solet! Antiqu. L. XI, c. 8. §. 6. Samaritani, qui, Alexandro Magno Judaeis propitio, jam malebant Israëlitica quam Phoenicia origine gloriari, petebantque ab eo immunitatem a tributis, quam septimo quoque anno Judaeis concesserat, *esse se*, ajunt, *Hebraeos, licet Sidonii Sicimenses vocari soleant:* Ἑβραῖοι μὲν εἶναι, χρηματίζειν δὲ, ΟΙ ΕΝ ΣΙΚΙΜΟΙΣ ΣΙΔΩΝΙΟΙ. Ergo hoc eo tempore consvetum Samaritanorum nomen, quod ne tunc quidem celare victorem poterant, cum maxime e re ipsorum esset, Sidoniam originem inficiari. Iidem, cum alio omnino rerum statu ad Antiochum Epiphanem, Judaeis infensum, literas darent, haec inscripserunt, ut Josephus L. XII. c. 5. §. 5. retulit: *βασιλεῖ Ἀντιόχῳ θεῷ ἐπιφανεῖ, ὑπόμνημα παρὰ τῶν ἐν Σικίμοις Σιδωνίων, ad regem Antiochum, Deum praesentissimum, supplices literae Sidoniorum qui Sichemi habitant.* His in literis de suae gentis origine ita produnt: *cum ortu simus Sidonii, idque ex tabulis civitatum nostrarum manifestum sit:* ὄντων ἡμῶν τὸ ἀνέκαθεν Σιδωνίων, (καὶ τοῦτο φανερόν ἐστιν ἐκ τῶν πολιτικῶν ἀναγραφῶν.) Zachariae quoque, vatis interpretatu difficilioris, extrema oratio, (cap. XIV, 21.) quantumvis obscura, hoc tamen prodere videtur, eo tempore

nunquam putaverat, quemquam his de rebus interrogaturum. Inquirant curiosius, si quibus erit occasio.

pore Cananaeos societatem templi Hierosolymitani adfectasse: haec enim promittit: *nec erit porro Cananaeus in aede Jehovae.* Hi autem Cananaei qui alii esse poterant, quam Samaritani? haec enim una gens, cum sociam se et fraternam Ezrae tempore Judaeis obtruderet, templique communionem peteret, repulsam tulit, acerbissimi et aeterni odii caussam.

Jam ergo distinguendi, quos uno Latino nomine complecti nequeo, duplices כתים

1) alteri כִּתִּים (*Citthim*) origine Graeci, qui in Latio habitarunt. De his quidem Moses loquitur et Daniel.

2) alteri כֻּתִים, aut plenius scripto vocabulo כותים, *Cuthaei*, gens Phoenicia, circa Sidonem habitans, sed quae, si defective nomen omisso Vau scriberetur, facile cum altera confundi poterat, ac forte sequiore tempore ne vocali quidem distincta mansit.

Utramque ergo gentem ut aliquo tanquam vocabulo artis distinctius nominare possim, illos deinceps *Cetios*, aut כתים *Graecae originis*, hos *Cuthaeos*, aut כתים *Phoeniciae originis*, adpellabo.

His praemissis Josephum, qui utrumque populum confudisse mihi videtur, explicandum suscipio: Sic ille: *χέθιμος δὲ χεθιμὰ τὴν νῆσον ἔσχεν· Κύπρος αὕτη νῦν καλεῖται, καὶ ἀπ' αὐτῆς νῆσοί τε πᾶσαι, καὶ τὰ πλείω τῶν παρὰ θάλασσαν, χεθὶμ ὑπὸ Ἑβραίων ὀνομάζεται. Μάρτυς δέ μου τοῦ λόγου μία τῶν ἐν Κύπρῳ πόλεων, ἰσχυσασα τὴν προσαγορίαν φυλάξαι.*

Κίτιος

Κίτιος γὰρ ὑπὸ τῶν ἐξελληνιασάντων αὐτὴν καλεῖται, μὴ δὲ οὕτως διαφυγοῦσα τοῦ χεθίμου τὸ ὄνομα: i. e. *Chethimus insulam Chethim occupavit, quae nunc Cyprus vocatur, unde Hebraei translato nomine omnes insulas ac maritima pleraque Chethim dicunt. Indicium meae explicationis in una Cypri urbe superat, quae sola nomen servavit. Citium* (Κίτιος) *enim ab his, qui ad Graecismum nomen detorserunt, vocatur, ne sic quidem multum a Chethimo abludens.* Haec quidem ita comparata sunt, ut, si Danielem legas, vix quidquam dici absurdius posse exclames; nec enim Cyprii sed Romani Syrum regem omni jusserunt Aegypto excedere. Nec quisquam Bileamum, de Citthaeis Assyriorum et Hebraeorum victoribus vaticinantem audiens (*), Cyprios vel somniet. Et tamen aliqua ratio sit, necesse est, qua ductus Josephus, non contemnendus alias scriptor, de Cypro cogitavit. Hanc ergo reddere jam audeo.

De primis Cypri incolis utcunque statuamus, id vero certum est, insulam a Phoenicibus aliquando in potestatem redactam, eorumque coloniis habitatam fuisse, quarum celeberrima Citium. Neque hic Bochartum sequor, idem sentientem (**), ubique enim Phoenices reperienti parum tuta fides: sed marmora testor Citiensia, Phoeniciis literis inscripta, quorum primus specimen dedit Pocokius (*,*), duarumque inscriptionem, explicationem, Swintonus (†). Adscribo, quae idem de Citii historia prae-

(*) Num. XXIV, 24.

(**) Geogr. P. II. libr. I. c. 3.

(*,*) Tomo II. itinerum orientalium pag. 213.

(†) *Inscriptiones Citieae, sive in binas inscriptiones Phoenicias, inter rudera Citii nuper repertas, conjecturae, autore* JOANNE SWINTON. *Oxon.* 1750.

praefatus est (*): *Citium, indigenis hodie Larnica vel Larnaka, in ora Cypri australi a Ptolemaeo positum, Phoenices condidere* (**). *Belum Citii conditorem, Didonis et Pygmalionis patrem, totam insulam tenuisse, docet Alexander Ephesius apud Stephanum, in Λάπηθος. Beli filium, Pygmalionem, in Cypro etiam regnasse, discimus ex Eante vel Neanthe Cyziceno* (*,*), *pariter ac commentariis Asclepiadis Cyprii, quos citant Porphyrius Tyrius* (†), *et Hieronymus* (††). *Pygmalione recentior Elulaeus annis fere 150, classe vectus in Cyprum, Citieos, ab imperio Phoenicum cum defecissent, ad obsequium reduxit* (†††). Unum adhuc adscribo Svidae locum, qui sub Zenonis Stoici nomine, *Phoenicius*, inquit, *cognominatus est, quia Phoenices ea in urbe* (Citii) *habitarunt.* (ὅτι Φοίνικες ἔποικοι τοῦ πολιόυχνου ἐγένοντο.)

Ergo qui hanc insulam incolebant, sua potuerunt lingua כותים *Cuthaei*, dici, nec id solum fieri potuisse, sed et factum esse, cum ex Josephi loco, tum Menandri, paulo post describendo, colligo: quod vocabulum cum defective כתים exararetur, ac forte, ut facilis in vocalibus mutatio, *Chitthim* per I a non paucis appellaretur: nomen arripuit Josephus, opinatus, Cyprios, in quibus nomen כתים haeserat, eosdem esse, quos hoc nomine Moses memoriae prodiderat. Qua in re sine dubio erravit;

(*) pag. 9. libri, cujus titulum vix dum posui.

(**) Claud. Ptol. geogr. lib. V. c. 14. pag. 157. Ed. Bert. Lugd. Bat. 1618.

(*,*) apud Porphyrium περὶ ἀπωχῆς ἐμψύχων, libr. IV.

(†) ibidem.

(††) Hieron. in Jovinianum lib. II. c. 9.

(†††) Menand. Ephes. apud Joseph. Antiqu. lib. IX. c. 14.

vit: nec enim de Phoenicum Mosi, sed de Graecorum colonia sermo.

Jam non dubito, quin insignis Menandri locus, a Josepho nobis in libro IX. Antiquitatum, cap. XIV, §. 2. servatus, a Menandro autem ex ipsis decerptus Tyriorum annalibus, de Cypro agat. Narrat quippe scriptor, cui ad tabulas atque archiva Tyriorum aditus fuit, Elulaeum, Tyri regem, Salmanasseri Assyrio coaevum, *Cittaeis rebellantibus, ad eos navigasse, gentemque sibi iterum subjecisse.* (ἀποστάντων Κιτταίων ἀναπλεύσας, προσηγάγετο αὐτοὺς πάλιν.)

Duo cum populi sint, Hebraeis כתים dicti, Graecus hic, ille Phoenicius, in vaticinio Jesaiae de Tyro evertenda, cap. XXIII, 1. hoc nomen legens, suspicor, (definire enim nondum aliquid audeo) de Cuthaeis Phoenicibus prophetam loqui, eorumque aliquam in metropolim Tyrum perfidiam, aut, si נגלה cum LXX interpretibus de exsilio accipias, exsilium vaticinari. Nec tamen hos de quibus Jesaias loquitur Citthaeos aut Cuthaeos, in Cypro insula quaesiverim, sed in ora maritima circa Sidonem: *terra* enim, non insula, non litus eorum memoratur.

Est hoc quoque ex illis, in quibus a Bocharto dissentio, eos כתים, de quibus hic Jesaias loquitur, ultra Babylonem in Susiana quaerente. Quod cum auctore faciat Josepho, eo scriptore, cujus ne errores quidem negligere soleo, integra verba adscribo. De illa nempe Cuthaea (כותה) ex qua Salmanasser colonias in Samariam deduxit, loquens, *Cuthaea*, inquit, *in Persia est, et fluvius illo nomine.* (αὕτη δὲ ἐστὶν ἐν Περσίδι, καὶ ποταμὸς τοῦτο ἔχων ὄνομα. Antiqu. IX. c. 14. §. 3.) Adsensi non pauci, invenisse sibi hujus Cuthaeae vestigia

 visi

visi in *Chusistan*, quod nomen est partis Persiae ad Tigrim in mare exiturum. Sic quidem Huetius in dissertatione de situ paradisi, Chusistan cum כוש conferens, ac Schin Chaldaeorum more in Thau mutari jubens. Male ille quidem, aliis enim omnino literis nomen scribitur, חוז, Arabibus quidem اهوز, Syris ܒܝܬ ܗܘܙܝܐ. Sunt tamen fateor, in vicinia (*) כוסניא (ܟܘܫܢܝܐ) qui paulo melius conferri possent, nisi quod nec ש in ת mutari solet, nec ad permutationes literarum sine necessitate recurrendum videtur.

Equidem hactenus assentior Josepho, ut Cuthaeos, nec adliteratione effectos, sed his ipsis literis כותה scriptum nomen habentes, Persiae non negem: nec tamen indigenas eos puto, sed ex Phoenicia advenas. Insulas enim aliquas sinus Persici, *Tyri* et *Aradi* nomine, fuisse, auctor est Strabo, templa Phoeniciis similia habentes, et quarum incolae Phoenicum se progenitores jactabant (**). Mentitos credo, nisi forte sinum Arabicum, veram Phoenicum patriam (*_*), cum Persico geographia hic, ut alias, confudit: id tamen certum videtur, qui se Phoenicum metropolim ferebant lingua usos Phoenicia fuisse. Coloniae ergo Phoenicum fuerint, commerciorum opportunitate allectae, ut his in insulis faucibusque sinus Persici considerent. Hi ergo et sua lingua כותים dici, et Josepho

(*) Assemani Bibl. Or. T. III. P. II. p. 419. 420.

(**) Libr. XVI. p. 1110. 1111. edit. Almeloven. al. p. 766. item pag. 1131. al. 784.

(*_*) Vide commentationem nostram de *troglodytis Seiritis* §. 4. 5. 6. et de *Nomadibus Palaestinae* §. 5. Invenies haec scripta in parte prima *syntagmatis commentationum*.

sepho ea quae scripsit sentiendi occasionem dare potuerunt.

Praeter hos autem duplices כתים Graecae et Phoeniciae originis, tertius forte populus, Mosi incognitus, et ab Ezechiele demum memoratus, nomen habuisse videtur iisdem literis Hebraice scriptum. In luxu Tyriorum ebur propheta refert, ex כתים allatum, cap. XXVII, 6. Erit alius illo de argumento agendi locus, cum ad caput Ezechielis vicesimum septimum illustrandum accessero. Hic modo pauca praecerpo.

Tuguria Tyriorum describuntur, animi caussa expansa, sive in hortis, sive, nam et hoc fieri solet, in navibus. Horum asseres (קרשים) quales et in tabernaculo conventus a Mose describuntur, aulaea sustinentes, ex ebore erant. Haec materia dubio caret. Addit בת אשרים, quod Bochartus, conjuncta utraque voce, et בתאשרים lecta, *buxum* interpretatur, ex Italia advectam: sic dilui posse nodum sperans, ut non ebur, quod Italia non habet, sed buxum, cujus illa dives, Tyrii ex Italia petierint. Vereor, ut recte! תאשרים enim, arborem, non opus erat Tyriis tam longinquo adferri, cum in ipso Libano frequens fuisse videatur, a Jesaia, c. LX, 13. ut propria Libano memorata (*). Duo ergo potius vocabula בת אשרים relinquenda, mutatisque modo vocalibus appellandum puto, בַּת אֲשֻׁרִים, *filia*

luco-

(*) Hoc quidem de תאשור, arbore Libani indigena, observatum debeo, auditori meo cum Ezechielis caput XXVII, critice interpretarer, HASSENCAMPIO, nunc Rintelensium professori, meam explicationem, quam timide et sub conjecturae nomine exposueram, cum Bocharti libro comparanti, et potiorem existimanti.

lucorum. Argumento qualicunque eſt, quod אשרים ſine Vau, non אשורים ſcripſit Ezechiel, qua litera, nec Aſſyriorum nomen, ab uno dubio exemplo 1 Paral. V, 6. ſi diſceſſeris, nec vocabulum arboris תאשור, deſtitui ſolet. Filiam autem ſilvarum poëtice dici elephantum putem, quod ſilvas pererrare Indicas ſolet, verbaque Ezechielis ſic vertenda: *aſſeres tui dens ſunt filiae nemorum ex Citthim*: id eſt, *aſſeres tui ebore elephantino ex Citthim allato confecti ſunt.*

Jam vero nec ex Italia ebur, nec ex Cypro, nec ex Phoenice aut Sidone ſperaveris, unde tertia aliqua regio eodem nomine ab Hebraeis inſignita fuiſſe videtur, vocabulus forte et appellatione diſtincta. Nec defuerunt ex interpretibus Ezechielis, qui novam hic conjecturam tentarent. Arabs quidem Graecum χετιάμ vertit, *ex inſulis Indiae*, in his enim ebur eſſe noverat. Nec Chaldaeum interpretem, ממדינת אפוליא (*ex provinciis Afulia*) ſcribentem, de Apulia intellexerim Italiae, ut a Bocharto editoribusque polyglottorum factum eſt, ſed de *elephantorum regione.* פיל Hebraeis Arabibusque, *elephas*, unde Chaldaeus ignotae regioni, quae elephantos haberet, eſſetque eboris dives, nomen אפוליא fecit, incertum, utrum Africam an Indiam intelligens. Apulia nec elephantos nec ebur habet.

Mihi variae ſubnatae conjecturae, ut, Tyrum et Aradum maris Perſici intelligi poſſe, a Phoenicibus habitatas (*), unde ebur Indicum matri Tyro allatum ſit. In Syriaca autem verſione ܟܬܐ legenti, quod et ܟܬܝܐ (*Chet-*

(*) Vide ſupra pag. 110.

(*Chetthoje*) i. e. Citthaei appellari potest, et ܟܬܝܐ, *Cataja*, conjectura non improbabilis constitit, Ezechieli, scriptori magis Orientali et trans Euphratem colenti, כתיים *Catajae* incolas esse, quod nomen olim Sinae septentrionalis fuisse, nemo jam geographiae modice peritus ignorat (*). Eodem scriptores Syriaci medii aevi utuntur, quin ipsissimum ܟܬܘܝܐ (Chettoje) iisdem quibus nostrum vocalibus scriptum, Abulpharagio nomen gentis est alias ܨܝܢܝܐ (*Sinoje*) dictae. Hujus autem Sinae seu Catajae elephantos laudant, qui eam descripserunt (**), et, si borealior videtur, quam ut illis abundare ubique possit, eboris tamen artificio clara est. Ergone Catajenses, ut Romanorum tempore Seres, in maris Caspii vicinia merces cum Syris, ipsisque Tyriis permutarunt? Nihil adfirmo, sed tamen suspicari licet, atque ab eruditis petere, ut hanc conjecturam aut confirment aut refellant. Deguingium arbitrum optem, cujus prope sola etiam sine argumentis sententia suffecerit.

Id quidem monitu vix opus, Mosen de Cataja non loqui, quae certe Graecorum colonias accepisse nemini vide-

(*) Vide HERBELOTUM pag. 991. MÜLLERI *disquisitionem de Chataja*, et, si nomen quaeris Syriacis Arabicisque literis ܟܛܝܐ, ܟܬܝܐ, خطا, et ختا scriptum, ASSEMANI *bibliothecam Orientalem* T. III. P. II. p. 504. De nominis etymo quae habet Müllerus dubia esse audio: sed in geographica quaestione etymologica minoris momenti sunt, sufficit, de situ Catajae constare.

(**) DAPPIER Beschreibung des Kaysertbums Sina, ins Hochdeutsche übersetzt, p. 138. "an verschiedenen Orten in Sina hat man „Elephanten, welche aber mehrentheils aus der Landschaft Junnan „und Quangsi dahin gebracht sind." Meminerimus etiam, tempus esse, quo latius Sina versus Austrum patuit.

videbitur, nec de ea Danielem cap. XI, 30. intelligi posse. Neminem ex Hebraeis Ezechieli antiquiorem mentionem puto Catajae facere. Eo ergo tempore, quod Mosen inter et Ezechielem effluxit, Cataja Tyriis cognita esse coeperit, eorumque commerciis celebrari.

Quae Cataja si displiceat, aliam adfero conjecturam, non meam, sed commilitonis quem collegio critico in Ezechielem interfuisse dixi, HASSENCAMPII. Suspicabatur, Ezechielem non ארץ כתיים scripsisse, sed ארץ תכיים, *terram psittacorum*, eoque nomine litora dicta Hebraeis fuisse, ex quibus Salomoni psittacos (תכיים) adlatos historia sacra testatur, 1 Reg. X, 22. id est, sive Africae sive Indiae.

Sed hoc argumentum plenius forte tractabo, ubi ad Ezechielis caput XXVII. pervenero. Hic solum occupanda objectio fuit, et cavendum, ne cui Ezechielem legenti ea viderentur veri dissimillima, quae de כתיים Latii nomine Bochartus disputavit, nosque ei assensimus.

* * *

ודדנים *Et Dodonaei.*

Ante omnia multiplex indicanda lectionis varietas, in qua dijudicanda nimis certam sine argumentis dixisse sententiam Bochartus videtur. *Prisca*, inquit (*), *lectio habet* ורודנים *Rhodanim*, *per Resch*, *non per Daleth.* Quod ut adpareat, quam sit incertum, atque, testibus nec comparatis nec auditis, nec omnino admissis, amori

(*) L. III. c. 6.

amori ejus explicationis datum, quam ornandam vir magnus ſuſceperat, ſuos cuivis lectioni teſtes ſubjiciam.

I) דדנים per Daleth habent, in Pentateucho textus maſorethicus, cui conſentientem codicem Caſſellanum (Raphe enim figurae ambiguae imponit), nuper contuli: et ex interpretibus, tres Chaldaei, Syrus, Latinus, Arabs Erpenii: alter quippe Arabs in Polyglottis neutrarum eſt partium.

In Paralipomenis quoque Daleth habent editiones in bibliis JOH. HENRICI MICHAELIS indicatae

1) Bombergianae, annis 1517. 1518. 1521. factae.
2) Roberti Stephani, an. 1543.
3) Plantiniana.
4) Eliae Hutteri.
5) Ariae Montani.
6) Bragadini 1614.
7) Hartmanniana 1595.

quibus et polyglotta Anglicana addenda fuiſſent. In margine autem habet editio Vatabli anni 1587.

Nec ſoli ita editi libri, ſed et codices manuſcripti chronicorum, invita licet Maſora, דדנים per D habent. Sic laudatus ab Houbigantio codex 53. Oratorii: eandemque lectionem in codice longe vetuſtiſſimo, Caſſellano, reperi. Fateor, in illo Daleth aegre diſcerni, ob magnam utriusque literae ſimilitudinem: is tamen, qui puncta codici adjecit, perantiquus ſcriptor, et Maſorethica manu antiquior, pro Daleth habuit, Raphe ſuperimponens דֿוֹדָנִים

Ex versionibus in ipso chronicorum libro Masorae obstrepunt, ac D initiale habent,

1) Vulgata, *Dodanim.*

2) Syra, ܕܘܕܢܝܡ

3) Chaldaica, דודניא

4) Quin in Graecis bibliis, Rhodios fere habentibus, diversa tamen in chronicis scriptio. Δωδαναμ enim invenio in bibliis Complutensibus, quibus nuper admodum bibliotheca nostra academica aucta fuit, diu desideratis, inque polyglottis Parisiensibus. Δωδαναν Aldina exhibet.

His vero testibus firmata lectio non ita temere nulloque argumento damnanda erat, ut pro lubitu fecit Bochartus: atque adeo potior caeteris videtur omnibus.

II) Ex his qui DODANIM per D habent, aliqui plene cum Vau quiescente scribunt דודנים. De libro chronicorum, vocabulum in impressis pleniore orthographia habente, dicere non attinet: in Genesi autem Onkelos et Syrus, Thargumque Hierosolymitanum, idem faciunt. Minoris momenti lectionem, et de qua postea sub רודנים, praetermittere potuissem, nisi viam ad aliam, sensu quoque diversam, munivisse librariis videretur.

III) Nempe cum proclive sit, Vau in Resch mutare, Pseudojonathanis versio דרדניא habet, ac si דרדנים legisset. Arripuerunt hoc aliqui, Dardanosque intellexerunt, veriusque habuit Beckius in notis ad chronicorum versionem Chaldaicam. Mihi vero qui unus ita habet sequioris aevi scriptor non

non audiendus, ſed aut ipſe, aut ejus librarii, in manifeſto errore teneri videntur. Frequens enim hic librariorum lapſus in literis Vau et Reſch, ſola lineae ſuperioris magnitudine diſtinctis. Sic Damaſci nomen דומשק (*) et דרמשק ſcribitur: atque, ut aliis utar exemplis, LXX interpretes pro ירשיע I Sam. XIV, 27. יושיע, et Jeſ. XXIV, I. pro עוה legerunt ערה (*denudavit*).

IV) Ad alteram jam claſſem lectionum progredior, *Rhodanim* per Reſch, quae et plerumque Vau quieſcens habere ſolet, רודנים. Sic quidem in Geneſi habet textus Samaritanus, ורודנים, et LXX, ſed Vau copulativo non expreſſo, ac ſi eſſet רודנים, Ῥόδιοι.

In chronicorum libro ita ſcribi jubet Maſora, (de qua vide biblia Halenſia) habentque editiones impreſſae, quamquam demtis illis non paucis, quas ſupra ſub lectione *Dodanim* nominavi. Secutae quoque eam lectionem ſunt pleraeque editiones verſionis Graecae chronicorum, ῥοδίους habentes. Sed id forte ex Pentateucho translatum, jam enim ſupra monui, alias editiones Δωδανειμ in chronicis habere.

En fragiles pro hac lectione et paucas auctoritates! nec decebat Bochartum, his teſtibus contra plures ita de lectione decernere, ut ne dubitandi quidem occaſionem lectori relinqueret.

V) Fuerunt denique codices, qui nomine דדנים aut רודנים omnino carebant, cujusmodi exemplo uſum fuiſſe

(*) 2 Reg. XVI, 10.

fuiſſe Joſephum certo mihi, alias in aſſeverando timidiusculo, conſtare videtur. In eo enim capite, in quo reliqua gentium a Noacho ortarum nomina interpretatus eſt, ſexto libri primi, non modo nihil omnino de דדנים aut רדנים habet, ſed et tres modo numerat Javanis filios, qui quatuor futuri erant, noſtro nomine computato. Ἰωυάνου, inquit §. 1., τοῦ Ἰαφέθου ΤΡΙΩΝ μεν ἀυτοῦ παίδων γενομένων, Ελισᾶς μὲν Ἐλισαίους ἐκάλεσεν, - - - Θαρσὸς δὲ Θαρσᾶς - - -, χέθιμος δὲ χεθιμὰ τῆν νῆσον ἔσχεν: id eſt, *Jovano Japhethi filio cum* TRES *filii eſſent, Eliſas Eliſaeis nomen dedit*, - - - *Tharſus Tharſicis*, - - - *Chethimus autem Chethima inſulam occupavit*. Atque etiam inde adparet, nullum eum in hoc verſu gentis nomen poſt כתים legiſſe, quod cum hoc, ut putat, Cypriorum nomine verſum quintum conſtruxit. Quae enim habet, *a Cypro nomen Chetthim latius manaſſe*, *ut Hebraei inſulas quasvis et omnia litora Chethim nominarent*, his verbis concepta, καὶ ἀπ' ἀυτῆς νῆσοί τε πᾶσαι καὶ τὰ πλέω τῶν παρὰ τὴν θάλασσαν χεθὶμ ὑπὸ Ἑβραίων ὀνομάζεται, nec vera ſunt uſuive linguae Hebraicae conſentanea, nec potuit illa niſi ex verſu quinto ſumere, ſic intellecto: *ab his cognominatae ſunt inſulae gentium*: quem cum ad *Chethim* referat, manifeſtum, eum in fine verſus praecedentis non *Rodanim* aut *Dodanim*, ſed *Chethim* inveniſſe.

Ergo id certum videtur, non modo Joſephum codicem habuiſſe, qui illo nomine דדנים vel רדנים careret, ſed et omiſſionem ei veram, receptaque lectio-

lectione meliorem visam fuisse. Nec enim imprudens codicem, quem forte in manibus habebat, sequutus videtur historicus, qui, quod multis exemplis confirmare possum, Graeca biblia cum Hebraicis, Paralipomena cum reliquis libris historicis comparare solebat. Ut ergo taceam, sacerdotem ex lectione superioris vitae eorum meminisse videri, quae Moses scripserat, non verisimile est, cum Josephus Hebraicum et Graecum Pentateuchum, ac Paralipomena Hebraica atque Graeca consuleret, haec, ut modeste dicam, quatuor exempla, casu et errore librariorum in nomine, de quo disputamus, omittendo omnia consensisse. Unde sequitur, ut non imprudens ex sua historia gentem omiserit, in uno forte codice non nominatam, sed ut quaestione instituta eam expungendam duxerit. Jure? an injuria? id me ignorare profiteor.

Biblia Complutensia, quae vix dum bibliothecae nostrae publicae illata dixi, evolvens, suspicari incepi, רודנים vel דדנים interpretationem marginalem nominis כתים aut fuisse, aut visam Josepho esse. Sic enim in illa editione LXX interpretes (*): καὶ υἱοὶ Ἰωυνάν ἐλισσά, καὶ Θαρσσῖς, Κίτοι, οἱ Ῥόδιοι. Aspera sane constructio verborum, ut accentus posuerunt editores, redundat enim articulus οἱ ante

(*) Hanc lectionis varietatem nec FLAMINIUS NOBILIUS indicavit, nec BRIANUS WALTONUS in *collatione editionis Romanae cum Veneta et Complutensi.* Quo exemplo statim monitus non supervacaneum me laborem suscipere intelligo, in Complutensi editione legenda et curiosius conferenda.

ante Ῥόδιοι. Sed expedita ſententia, ſi mutato accentu, qui aut editorum eſt aut codicum recentium, Κίτοι, οἱ Ῥόδιοι, efferas, i. e. *filii Javani, Eliſſa, Tharſis, Citi, qui ſunt Rhodii.* Sic tres modo filios Javano dederit Moſes, Citthaeique Rhodo in inſula habitaverint. Fac Moſen ſcripſiſſe, ובני יון אלישה תרשיש כתים, poterat aliquis in margine addere רודנים, illaque interpretatio in textum irrepere. Sic ſane Joſepho videbatur: utrum jure an injuria? lectorum eſto judicium.

Arabem Polyglottorum neutrarum eſſe partium eos inter, qui *Rodanim* et *Dodanim* legunt, ſupra monui. Habet enim cum in Pentateucho tum in Paralipomenis, وَادَنَةُ, vel وادنه (ואדנה) ea litera, de qua ambigitur, prorſus omiſſa(*). Incertum, utrum interpreti tribuendum, an librario, qui forte cum in alio exemplo دودنه inveniret, ورودنه in alio, dubiam literam omittere potuit.

De hac mihi gente, in tanta lectionum discordia, ſi ſententia dicenda, verecunde id faciam ac dubitanter neceſſe eſt. Ergo ſi *Dodanim* Moſes nominavit, de antiquiſſimo Epiri oraculo et urbe, Dodona, non inepte cogitaverimus, de qua, ſi priſcos noſcere incolas lubet, Strabo, libr. VII. pag. 504 - 507. editionis Almeloveenianae

(*) Si nullam literam librarii omiſerunt, atque Arabicus interpres, ut fere putant, ſcribere et intelligi voluit, ET ADANA, ne ſic quidem alterutri lectioni patrocinabitur. Ciliciae urbs eſt et regio, Adana, de qua Büſchingii Aſiam p. 99. conſules, ac nomen his ipſis literis اَذَنَةُ ſcribi, ex ABULFEDAE Syriae p. 29. diſces. Quo autem ductus indicio ſive רודנים ſive דדנים de Adana Ciliciae accipere interpres potuerit, non adparet.

nianae consulendus. Nec video, quid in antiquissimo Graecorum pago aut oppido tantopere displicere Bocharto potuerit, ut hanc explicationem vel sine argumentis una severa voce damnaret. Lectio sane *Dodanim* testium numero et auctoritate alteri praestat: cumque Moses Graecorum colonias enarret, mirum videri nemini debet, si et Dodonae mentionem faciat.

Altera si lectio, *Rodanim*, placeat, facile Bocharto assentior, Rhodios, quos LXX nominarunt, intelligendos non esse. Ac forte non fuit quidem Mosis tempore, aut habitata non fuit, Rhodus insula, si vera sunt, quae antiqui tradunt, ex mari illam exstitisse, quod ignibus subterraneis potius, quam maris decremento tribuendum existimem. Montes enim cum satis altos habeat, non potuit maris decremento nudari, nisi antea pleraque alia vicina, et vero humilem Aegyptum, una cum Rhodo sub mari latuisse dicas. Verba PLINII adscribere lubet, ex L. II. c. 86. 87. *nascuntur et alio modo terrae, ac repente in aliquo mari emergunt, velut paria secum faciente natura, quaeque hauserit hiatus alio loco reddente. Clarae jam pridem insulae, memoriae produntur enatae.* PHILO Judaeus, in libro de mundi incorruptibilitate (*) ex Theophrasti aliorumque philosophorum placitis disputans, mundum non aeternum esse, Μάρτυρες, inquit, *αἱ νήσων ἐυδοκιμωτάται*, Ῥόδος τε καὶ Δῆλος. *Ἅυται γὰρ τό μεν παλαιὸν ἠφανισμέναι κατὰ τῆς θαλάσσης ἐδεδύκεσαν ἐπικλυζόμεναι, χρόνῳ δ' ὕστερον ἐλαττουμένης ἠρέμα, κατ' ὀλίγον ἀνίσχουσαι διεφάνησαν, ὡς αἱ περὶ αὐτῶν ἀναγραφεῖσαι μνημονεύουσιν ἱστορίαι*, i. e. *testantur id Rhodus et Delus, insularum clarissi-*

(*) T. II. Mangeyanae editionis pag. 510.

rissimae. Cum enim olim mari superstagnante laterent, illudque sensim decresceret, destitutae ab illo emerserunt, ut historiae his de insulis scriptae memorant. Ut testem, audita referentem, hunc adduxi; de caussa aliter sentiens. Nihil tamen certi statuere ausim, qui Rhodum nunquam vidi, aliaque de ea apud alios relata legens (*), consentanea partim, partim adversa. Id unum hypothetice edicere liceat, si Rhodus Graecorum etiam memoria e mari emersit, vix illam videri Mosis tempore habitatam fuisse.

Ergo et hoc Bocharto adsentior, si רדנים legendum, de Galliae Rhodanensis accolis Mosen loqui. Nec me movet, quod obvertit Houbigantius, nimis remotam esse Galliam, quam ut Moses de ea intelligi possit. Tartessum qui habebat, multo ulteriorem, sed navigationibus cognitam Phoenicum, quidni et Galliae maritima nominare potuit? Unum displicet, quod fere semper in Bocharto, nimium etymologiae studium. Vult enim Gallos sibi ab Arabico رادني, (*rubrum flavo permixtum* significat) nomen duxisse, quod, ut poëta habet, *aurea caesaries illis:* a gente autem fluvium nomen accepisse: quod alienissimum, alioque ex orbe petitum etymon ut quodammodo adprobare lectoribus posset, sumsit, *Gallorum linguam fuisse semihebraeam.* Qua adsumtione nihil falsius: ex Pelletierii enim vocabulario Armorico constat, linguam Gallicam ab Hebraea fuisse diversissimam. Illo quidem vocabulario uti non potuit Bochartus: debebat tamen Gallus, antequam de sua gente aliquid statueret, Armoricum aliquem consulere, veterem Gallorum linguam a matre edoctum, exque eo illius linguae rationem et vocabula discere. Sed Bochartus, mortuos Grae-

(*) Vide DIODORUM SICULUM L. V. c. 55. 56.

Graecos, Latinos, Arabes, diligenter consulens, sui autem temporis res non eodem studio exquirens, id neglexit; atque ea, quae nimis adamabat, Hebraica, ubique sibi invenire visus est. Taceo, vix verisimile videri, gentem sibi ipsam nomen a colore crinium indidisse. Exteri forte id fecerint, non hi qui flavo crine sunt, in advenis potius nigredinem ut insolitum quid notaturi. Atque ne hac quidem excusatione uti potest etymi sui: Gallos, Rhodanumque, a Phoenicibus ita adpellatos ob crinis flavedinem esse: Rhodani enim nomen non exterum, sed ipsi illum Galli sua vetere lingua, ut *Pelletierius* habet, RHODWYN vocant, unde Latini Rhodanum dixerunt.

GENES. X, 5.

וּמֵאֵלֶּה נִפְרְדוּ אִיֵּי הַגּוֹיִם בְּאַרְצֹתָם אִישׁ לִלְשֹׁנוֹ לְמִשְׁפְּחֹתָם בְּגוֹיֵהֶם

Ab his divisae sunt insulae gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam, et familias suas, in nationibus suis.

* * *

In hujus versus explicatione cum contra omnes mihi interpretes disputandum esse videam, איים magno, sed antiquo errore INSULAS vertentes, non meam ejus sed Vulgatam versionem adscripsi. Utar ea in disputando, insulasque ponam, non ex mea, sed ex consveta sententia, ne semper opus habeam, barbaro vocabulo איים Latina abrumpere. Multa autem ambigua sunt et incerta, quae numeris distinguam.

I) מאלה AB HIS.

Statim in initio versus dubitandum, ad quos pronomen אלה, HI, referendum sit? Triplex video sententiarum divergium.

1) Nihil dubitanti, sed verba ut scripta sunt perlegenti, certum prope videbitur, HOS (אלה) omnes esse Japhethi posteros, versu 2. 3. 4. nominatos: sed ea gentium nomina, quae supra posuimus, recogitanti, incredibile videri incipiet, tot populos in terra continente habitantes INSULIS adsignari. Solvi et hoc dubium videtur posse, si איים latius de omni ora maritima intelligas; Cimmerii enim, Graeci, Thraces, Itali, Hispani, Rhodanenses Galli, non insulas illi quidem, sed tamen maritima habitarunt. At de Medis quid facias, quorum nomen praecessit? Hos quoque si calumnia interpretationis maritimos esse jubeas, quod ad mare Caspium exporrecta Media fuit, quid de Moschis et Magogitis statues, intimam Asiam atque a mari remotissimam, partim et montana, habitantibus? Quos si ex numero eorum populorum, qui insulas habitarunt, demere, atque ad solas Jonum colonias versu quarto nominatas, nostrum versum referre tentes, Ezechielis turbabit auctoritas. Huic enim cap. XXXIX, 6. ipsi illi Asiae intimi ac maxime mediterranei Magogitae, sunt, ישבי איים, *insularum? an, litorum habitatores?*

Horum aliquid, quae jam scripsi, si perferri ad inferos Dalino posset, quam ille me amaturus, huncque et Mosis et Ezechielis locum suam in rem versurus

ſurus eſſet! Moſchos enim, licet ſummis in montibus habitantes, et Medos, et quae ab Oriente maris Caſpii ſunt, jam maxime mediterranea Aſiae, maritima et litora dici contenderet, quod eo usque Moſis tempore Oceanus ſeptentrionalis, altior quam nunc, et maximae Scythiae parti ſuperfuſus, pertinuerit. In ea quippe erat vir elegantis ingenii, et Rudbekianarum fabularum hoſtis, ſententia: maria ſeptentrionalia altius olim, quam nunc, ſtagnaſſe, ſingulis ſeculis ultra binorum cubitorum modum ($2\frac{1}{4}$) ſubſidentia, ex quo efficiebat, eo tempore quod diluvium inter et Chriſti nativitatem fuit, campeſtria pleraque Scandinaviae et Scythiae mare fuiſſe, ſolis ex illo Oceano montibus inſularum in modum exſiſtentibus.

Hic vero mihi in eum incidiſſe locum videor, in quo haud liceat, de Dalini hypotheſi ſententiam non dicere. Moſen enim et Ezechielem ſuffragari Dalino, et tanquam ab inferis teſtes late per Scythiam refuſi olim maris, exſurgere, modo אים maritima ſignificent, audio videoque: nec excitatos a Dalino, ſed ſua ſponte teſtimonium dicentes: *Moſchicos montes, Mediam, et intima Aſiae, aut inſulas olim, aut, ſi hoc nimis incredibile, litora Oceani fuiſſe.* Quam diſputationem, geographicam et geographiae Moſis intextam, cum vitare non detur, id primum profiteor: non me quaerere, aquaene copia ſenſim minuatur, innumeris quotidie particulis fluidis, quae vegetabilia et animalia nutriunt, ſolideſcentibus? Hanc enim totam diſputationem, a geographia ſejunctam, phyſicis relinquo. Id unum jam anquiritur: *mariſne ſuperficies depri-*

matur quotannis et ſubſidat? Nec hae quaeſtiones ita conjunctae, ut dividere ſententiam, hancque ab illa ſejungere, nequeas. Minui enim aquae copia poteſt, neutiquam ſubſidente mari, ſi fundus maris altius quotannis ſurgat, innumerisque fluviis ac rivis ſordes terrae, lapidesque et arenas, in mare devehentibus, aut conchis oſtreisque a mari nutritis in eodem morientibus, ex quarum teſtis ſeculorum decurſu ſcopuli montesque conſiſtunt, compleri potius mare incipiat, quam ſubſidere. Deinde non de modico diſputo aquae decremento, ut, cum vult Mailletus per dena ſecula ad ternos pedes ſuperficiem maris ſubſidere. Nihil illud ad noſtram quaeſtionem de plerisque Aſiae ſeptentrionalis Moſis tempore aqua merſis. Denique nec nego, totum aliquando terrarum orbem ſub undis latuiſſe, quam opinionem periculoſam et ſacris literis inimicam theologorum non paucis viſam fuiſſe, eſt quod mireris: Moſes enim ipſe Geneſ. I, 2. profitetur, initio ejus, quam deſcribit, creationis terram nil niſi Oceanum fuiſſe caligine tectum; juſſu autem Dei ex illo Oceano eam, quam nunc habitamus, tellurem emerſiſſe, forte quod igne ſubterraneo attolleretur. De ſola loquor Daliniana hypotheſi, ex qua ſingulis ſeculis duo cubiti Svecici mari decreſcunt et decreverunt.

Atque etiam hoc ſcire velim lectores, pauca me modo de hac quaeſtione promere, et mea; non quaſi illa mihi priva exiſtimem, ſed quod meam ſententiam dicturo his ſolis uti lubet argumentis, quorum mea mihi ſponte in mentem venerat, antequam alios legerem. Copioſiorem autem ſi quis tractationem

nem deſideret, adeat JOANNIS BROWALLII, *epiſcopi Aboënſis*, *disquiſitionem de aquae decremento incrementoque terrae*, qui liber Svecice ſcriptus utinam peritiorem linguae Germanicae nactus eſſet interpretem! Nam *Carolus Erneſtus Klein*, qui eum vertendum ſuſcepit, cum taedio legitur ac ſaepe non intelligitur, Svecicas conſtructiones, ſignificationes, phraſes, ubique immiſcens, nec conformatione periodorum germanica utens. Sed tamen contenti ſimus interprete, neceſſe eſt, moleſtiamque lectionis ſententiis et doctrina libri ſolemur.

Sic ergo exiſtimo, Dalinianam opinionem, nec cum hiſtoria antiqua regionum ad mare mediterraneum ſitarum conciliari, nec ex ea noſtrum verſum explicari poſſe. Cum enim aqua mutua communicatione ponderis ad libellam ſit, ſumi nullo modo poteſt, marium ſeptentrionalium aequor altius olim exſtitiſſe, planisque Scandinaviae et Scythiae innataſſe, niſi et hoc addas, aequali altitudine mare mediterraneum fuiſſe. Mare enim et Balticum et Septentrionale, Germanico, hoc Atlantico, Atlanticum mediterraneo continuantur. Jam faciamus, ante XVII ſecula mediterraneum mare, 38 cubitos Svecicos (*) ſupra eam, quae nunc eſt, ſuperficiem exſtitiſſe, Moſis autem tempore, id eſt ex Uſſerii computatione ante XXXII ſecula, LXXII cubitos (**): ſequetur, ut campeſtria Hiſpaniae, Mauretaniae, Africae, Galliae, Italiae, Graeciae, Thraciae,

(*) $2\frac{1}{4}$
17
———
$38\frac{1}{4}$

(**) 32
$2\frac{1}{4}$
———
8
64
———
72

ciae, Ponti, Aſiae minoris, ac Syriae, mare fuerint, ex quo edita modo et montes inſularum in modum eminerent. Et habemus tamen Graecos ac Romanos libros, ante XV et plura ſecula ſcriptos, ex quibus conſtat, eandem fere quae nunc eſt harum terrarum figuram, eosdem portus, eadem prope litora fuiſſe. Aegyptum autem, humilem illam ac planam, antiquiſſima monumenta, pyramides, Alexandriamque ab Alexandro ante XXI ſecula conditam, urbemque Tanin, quam Moſes jam ut ſuo tempore perantiquam memorat (*), habentem, totam pene ponto merſam fuiſſe in tanto maris mediterranei tumore neceſſe erit. In hac igitur qui vixit Moſes, quique in eam diu antea conceſſiſſe Abrahamum prodidit, non poteſt teſtis citari maris olim altioris, et ad Moſchicos montes Magogique terras pertinentis.

Ad haec quid reſponderi poſſit, ſitque a Dalino reſponſum, video: *aliam forte olim fuiſſe terrae conglobationem*, *nec figuram* (**) *ejus perpetuam, ſed indies mutabilem eſſe. Cum enim nunc ſub aequatore tumeſcat, depreſſa ſub polo: fuiſſe forte tempus, quo, alio gravium verſus centrum niſu, aliaque aequorum complanatione, perfectam habebat orbis figuram, a qua ignotis de cauſſis ſenſim de-*

(*) Num. XIII, 22.

(**) Si qui Dalinum non legerunt, ſciant, non de phyſica terrae figura, montibus vallibusque irregulari, ſermonem eſſe, ſed de mathematica, quae libella aequorum, ac lapſu perpendiculari gravium efficitur; et quam habiturus orbis noſter erat, ſi nuspiam montes, colles, adclivia, ſed ubique planum, ſive adeo ubique Oceanus.

desciscat. Potuisse ergo olim maria septentrionalia altius tumere, terrisque jam exstantibus superfundi, nulla majore, quam nunc est, maris mediterranei altitudine.

Ita vero nodus non solvitur, sed mutatur, tentandoque alius nectitur. Si enim perfecta marium, quae terram ambiunt, conglobatione, magna pars Oceani, qui nunc sub aequatore tumescit, septentrionalibus terris incubabat: consequitur maria sub aequatore, atque adeo usque ad gradum ab aequatore quadragesimum quintum, multo olim quam nunc sunt fuisse humiliora, quod tantum illis aquae decedebat. Aliis verbis dicam quae mathematum expers facilius intelligat: *quod aquae olim sub polis minus erat, id plus fuisse sub aequatore et usque ad gradum 45, ex Daliniana hypothesi consequetur.* Quod si mare mediterraneum, qua parte circa 31 aut 32 gradum Aegyptum alluit, multo olim humilius quam nunc fuisset, non poterat non multo altius supra mare Aegyptus eminere, nec maritima ejus futura erant palustria: quod toti contradicit historiae antiquae. Quin alia fuisse oporteret, non Aegypti unius, sed et totius, qua mari mediterraneo adjacet, Africae et Syriae litora, altius in mare procurrentia, sinus, portus alios, qui enim nunc sunt portus, vadosi ante XX aut XXV secula fuissent aequore humiliori. In tanto autem geographiae antiquae cum hodierna consensu, in quo litora, portus, sinus, facile agnoscas, certum videtur, maris mediterranei superficiem non ita fuisse XX aut XXV seculorum decursu auctam, ut eam augeri mutata terrarum conglobatione oportuisset.

2) Poſſit et HI ad ſolas referri Graecorum colonias, verſu praecedente nominatas. Facturus id eram, ne opus eſſet, Magogi terram in inſulis numerare: verum non licet hoc artificio nodum eludere. Utcunque enim de Moſe ſtatuas, Ezechiel ſine dubio Magogitas inſulis, ſi modo איים inſulae ſunt, adſcripſit, cap. XXXIX, 6.

3) Quid Joſephus tentarit, non lecto nomine *Dodanim* ad ſolos *Chitthim* verſum quintum referens, ſupra expoſui, et ſtatim pluribus dicam, hoc unum praefatus, niſi lectione codicis Hebraici et Samaritani mutata, omniumque verſionum teſtimonio repudiato, hanc Joſephi explicationem ſtare non poſſe.

* * *

II) נפרדו *Diviſae ſunt.*

Hoc ergo verbum Joſephus, in cujus ſententia illuſtranda pergere lubet, ne nimis res divellamus, vertendum putabat, *nominatae ſunt*, vel, *nomen acceperunt.* Verba ejus ſupra pag. 118. deſcripſi. Eſt haec ignota et lexicographis Hebraeorum, et caeteris linguis Orientalibus, ſignificatio, nec conjicio unde illam hauſerit: niſi forte ſic ratiocinabatur, *diſtingui*, idem eſſe ac, *nominari, vocabulo indito diſtingui.* Vult autem, *Chitthim*, quod proprie nomen Cypri ſit, adpellative pro omnibus inſulis ab Hebraeis poni conſveviſſe. Quod ipſum quoque falſum eſt, atque nec Hebraicis exemplis, nec reliquarum linguarum Orientalium uſu confirmatur: ſed commodum videbatur Joſepho, qui hac ſe arte ex difficili nodo extricabat. Pleriſque enim in locis ſacrae ſcripturae, in quibus כתים legitur, ac vero inprimis Ezech. XXVII,

XXVII, Dan. XI, Cyprus intelligi nequit, quibus quodammodo consuli putabat posse, si duplicem haberet significationem, propriam et adpellativam. Hanc ergo interpretationem lubentes ei, cujus est, Josepho, relinquimus, ingeniosam certe, et quae indicio est, non obiter ab illo, cum historiam scriberet, codicem Hebraicum inspectum.

Nobis vero consveta versio, *divisae sunt*, probatur, hac praditura sententia: eos omnes populos, qui antea memorati erant, a Japhetho oriundos, illam sibi partem orbis terrarum divisisse, quae proprio nomine Hebraeis איי הגוים dicitur. Sed de hoc jam nomine, difficili sane, atque tantum non ab omnibus male intellecto, anquirendum: quam vitare disputationem quodammodo liceret, si נפרדו verteremus, *separatae sunt*, hoc sensu: *ab his gentibus colonias separatas esse, id vero est, exiisse, quae insulas maris mediterranei occupaverint.* Ita enim non gentes antea memoratae, sed earum coloniae, insulas habitaverint, terra continente Cimmeriis, Graecis, Thracibus, relicta. Videntur tale quid voluisse LXX, qui vertunt, ἀφωρίσθησαν. Sed, ut candide agam, dura phrasis, *separatae sunt insulae*, pro, *separatae sunt coloniae, et ingressae in insulas.* Nec si vel hoc loco disputationem de אי fugiamus, reliqua ea carere potest geographia biblica.

* * *

III) איים *insulae.*

Magno consensu veteres pro insulis habuerunt, ut si eorum auctoritatem sequaris, vix superfuturus sit dubitandi locus. Ita vertunt:

1) Se.

1) Septuaginta interpretes, Gen. X, 5. Jeſ. XX, 6. XXIII, 2. 6. XXIV, 15. XLI, 1. XLII, 10. 12. 15. XLIX, 1. LI, 5. LX, 9. LXVI, 19. Jerem. II, 10. (*) XXV, 22. XXXI, 10. XLVII, 4. Ezech. XXVI, 15. 18. XXVII, 3. 6. 7. 15. 35. XXXIX, 6. Zephan. II, 11. Pſ. LXXII, 10. XCVII, 1. Dan. XI, 18.

2) Aquila, Jeſ. XLI, 1. Jerem. XXV, 22.

3) Symmachus, Jeſ. XXIII, 2. XLI, 1. XLIX, 1. LIX, 18.

4) Theodotion, Jeſ. XLI, 1. LIX, 18. Jerem. XXV, 22. Ezech. XXVI, 18.

5) Chaldaeus, Geneſ. X, 5. Jeſ. XI, 11. XX, 6. XXIII, 2. 6. XXIV, 15. XL, 15. XLI, 1. XLII, 4. 10. 12. 15. XLIX, 1. LI, 5. LIX, 18. LX, 9. LXVI, 19. Jerem. II, 10. XXV, 22. XXXI, 10. XLVII, 4. Ezech. XXVI, 18. XXVII, 3. 15. 35. XXXIX, 6. Zephan. II, 11. Pſ. LXXII, 10. XCVII, 1.

6) Syrus, Geneſ. X, 5. Jeſ. XI, 11. XX, 6. XXIII, 2. 6. XXIV, 15. XL, 15. XLI, 1. 5. XLII, 4. 10. 12. 15. XLIX, 1. LI, 5. LIX, 18. LX, 9. LXVI, 19. Jerem. II, 10. XXV, 22. XXXI, 10. XLVII, 4. Ezech. XXVI, 15. 18. XXVII, 3. 6. 7. 15. 35. XXXIX, 6. Zephan. II, 11. Pſ. LXXII, 10. XCVII, 1. Dan. XI, 18. Eſth. X, 1.

7) Vulgata Geneſ. X, 5. Jeſ. XI, 11. XX, 6. XXIII, 2. 6. XXIV, 15. XL, 15. XLI, 1. 5. XLII, 4. 10. 12.

(*) Capita Jeremiae numero ſecundum Hebraeum codicem.

12. 15. XLIX, 1. LI, 5. LIX, 18. LX, 9. LXVI, 19. Jerem. II, 10. XXV, 22. XXXI, 11. XLVII, 4. Ezech. XXVI, 15. 18. XXVII, 3. 6. 7. 15. 35. XLIX, 6. Zephan. II, 11. Pſ. LXXII, 10. XCVII, 1. Dan. XI, 18.

8) Joſephus, noſtrum locum ita interpretatus, ut ſumat, איים inſulas eſſe.

9) Arabs uterque Geneſ. X, 5. Prophetarum Pſalmorumque interpretes Arabicos omitto, quod non Hebraica ſed Graeca verterunt.

Notemus quoque interpretum antiquorum, non jam conſtantiam, ſed pertinaciam, qui abſurda ſcribere, quam אי non inſulam vertere, aliquando maluerunt: ut cum Vulgata Jerem. XLVII, 4. *inſulam Cappadociae* poſuit, conſentiente quoque Syro et Chaldaeo. Credebant nimirum interpretes, כפתר Cappadociam eſſe, quae regio licet maxime ſit mediterranea, nec omnino ad mare pertingat, tamen, quaſi religioni eſſet, אי aliter quam inſulam vertere, mirum portentum, inſulam Cappadociae, compoſuerunt.

Vix alius vocabuli Hebraici ſignificatio, in vocabularia recepta, tot ſe teſtibus jactabit. Nec id ita dico, ut nemo ex antiquis aliter aut verterit, aut vertiſſe videatur: ſed raro tamen hoc accidit. En loca omnia, in quibus aliquae ex verſionibus nomen INSULAE non habent:

1) LXX ἔθνη (*gentes*) verterunt, Jeſ. XLI, 5. XLII, 4. Sed hoc niſi fallor ad lectionis varietatem pertinet, pro איים ſcripto גוים.

2) Vulgata Ezech. XXVI, 18. אין prius (bis enim eodem in verſu legitur) NAVES reddidit. Sed et hoc

hoc ſine dubio variae lectionis eſt, ציין. Hieronymus enim, alias אי inſulam reddere ſolitus, inque antiqua verſione latina inveniens, *commovebuntur inſulae*, non ſolum mutavit, ſed et aliter legi in Hebraicis dixit. *Nunc*, inquit in commentario, *ſtupebunt ſeu pavebunt ſuper te inſulae*, *ſeu*, *ut melius habetur in Hebraeo*, *naves*.

3) Samaritanus interpres Geneſ. X, 5. אקרי habet, quod non inſulas, ut fecit Caſtellus, ſed *portus* vertendum ſuſpicor. Vide Buxtorfii, ipſiusque adeo Caſtelli lexicon Chaldaicum, ubi ex gloſſis Rabbinorum excerpunt, אקרא portum ſignificare. *Portus gentium* pro omni Europa, ad quam per illos portus aditus, eodem jure dici poterat, quo Galli Syriam Aſiamque minorem *les Echelles* vocant.

4) Solus Chaldaeus veram nominis ſignificationem Ezech. XXVI, 15. 18. XXVII, 6. 7. Eſther. X, 1. ſervaſſe nobis videtur. Sed de ejus verſione, meam ſententiam confirmatura, infra erit dicendi locus.

Non mirum, in tanto tamque inſolito veterum conſenſu, quos conſulens vix audias aliquam aliquando vocem discrepare, recentiorum plurimos איים pro inſulis habuiſſe. Et tamen veri diſſimillimum eſt, in ullo libro ante exſilium Babylonicum ſcripto אי inſulam ſignificare: de duobus enim ſequioris aetatis locis, Dan. XI, 18. Eſther. X, 1. aliter ſentio, eaque ab hac de vetere Hebraismo diſputatione ſejungo.

Primo quis non miretur, appellativum inſularum nomen toties in codice Hebraico occurrere, cum nullius omnino inſulae nomen proprium ſatis certum ex totis bibliis

bliis Hebraicis erui huc usque potuerit (*)? De Rhodo enim, et Creta, ac Cypro, quarum insularum nomina aliqui ex כתים, רדנים et כפתר eruunt, res sane est dubia, ut vidimus, videbimusque, una forte Cypro sub כפתר latente, cui, si valde liberalis sim, Daden insulam sinus Persici addiderim: praeter has autem, quarum quaeso insularum nomina propria in codice sacro invenisse sibi videntur, qui tricesies et sexies adpellativum vocabulum occurrere autumant. Populusne agrestis, a commerciis et navigationibus plerumque abhorrens, in cujus scriptis aut nulla omnino insula, aut sola Cyprus nomine proprio memoratur, isne continuo in carminibus suis insularum nomen crepet? insulas Deum laudare jubeat? insulas ejus salutem, insulas ejus doctrinam exspectare? quasi vero solae insulae Deo curae sint! Lege Jes. XXIV, 15. XL, 15. XLI, 1. 5. XLII, 4. 10. 12. XLIX, 1. LI, 5. LIX, 18. LX, 9. Ps. XCVII, 1.

Deinde, si toties insularum facienda erat mentio, qui factum, ut nunquam eo nomine scriptores Hebraei utantur, quo Arabes et Syri insulam vocant, גזרה, *abscissa a continenti?*

Tertio vocabulum אי sub insulae significatione reliquae Orientis linguae omnino ignorant, ac ne probabili quidem etymologia nutantem interpretationem fulciunt. Magnum hoc: raro enim tam male cum pessima philologiae Hebraicae caussa agitur, quin etymologia, nimis grammaticis obsequiosa, suppetias illi ferre videatur. Quae autem pro אי *insula* lexicographi etymologica attule-

(*) De insulis, quas fluviorum brachia efficiunt, ut Tartesso, aut Philis Aegypti, non me loqui, lectores monitos velim.

tulerunt, adeo ſunt ab omni veriſimilitudine remota, ut ne expendi quidem mereantur.

Sunt denique non pauca ſacrae ſcripturae loca, in quibus איים inſulas ſignificare nequeunt. Aliqua eorum Coccejus in vocabulario indicavit; plura autem additurus, ordine ea pono.

Geneſ. X, 5. omnino inſulae intelligi nequeunt, niſi Joſephi et lectionem et interpretationem ampleſtaris. Niſi enim me omnia fallunt, nec Latium, nec Hellas, nec Peloponneſus, nec Thracia, nec Dodona, nec Gallia Rhodanenſis, inſula: ne jam de Media, ac Moſchicis montibus dicam.

Jeſ. XX, 6. האי הזה omnino nequit inſula eſſe, licet interpretatio ita ſit dubia, ut, quid ſit, pronuntiare nondum audeam. Pars tamen aut portus aliquis Palaeſtinae eſſe videtur.

Jeſ. XXIII, 2. 6. Tyrus antiqua, quae in terra continente ſita fuit, bene monente Coccejo, אי vocatur.

Jeſ. XLII, 15. flumina in איים convertuntur. Hoc vero abſurdum, et eo elogio dignum, quod in initio artis poëticae Horatii legimus, ſi איים inſulae eſſent. Siccari flumina poſſunt, ſed non ita fiunt inſulae: ac ne ſomnians quidem inſulas mihi fluminum figura, longas et ſerpentiformes, videre videor. Quo de loco quid ſentiendum, infra dicam: hic ſufficiat, flumina in inſulas converti, aegrorum ſomniis ſimile eſſe.

Jeſ. LXVI, 19. quinque populorum nomina componuntur, iique habitare in remotis dicuntur איים. Hic ut concedam, Tarteſſum ac Philas a flumine inſularum in modum

modum ambiri, ac de Ludaeorum regione non conſtare; id tamen certum, Graeciam, quae ipſa quoque nominatur, et Thubal, inſulas non fuiſſe.

Jerem. XXV, 22. reges memorantur האי אשר בעבר הים, incondita ſententia, ſi vertas: *reges inſulae, quae eſt trans mare*: quaſi vero et cis mare inſula cogitari poſſit, ac neceſſarium ſit ſcriptori in Palaeſtina degenti, monere lectores, de ejusmodi ſe loqui inſula, ad quam niſi trajecto mari aditus non detur. Similis quodammodo eſt locus Ezechielis, cap. XXVI, 18. האיים אשר בים *inſulae quae ſunt in mari*. Inſulas maris non incommode dici poſſe arbitror: *inſulae* autem *quae ſunt in mari*, languidum quid et redundans ſonare videtur.

Ezechiel denique c. XXXIX, 6. Magogitidem, intimam illam mediae Aſiae, in איים numerat. Sed de eo loco ſupra jam diſputatum.

Haec cum ſint tam manifeſta, mirari ſubit, in eam verſionem, quae ſit his locis inepta, tanta conſtantia veteres conſenſiſſe. Nec ſine omni cauſſa verique ſimilitudine omnes idem erraturi videntur. Hanc autem cauſſam tandem inveſtigaſſe mihi videor. Non eadem ſemper manſit lingua Hebraica, ſed ſeculorum decurſu novas vocabulis antiquis ſignificationes dedit: ut ergo in omnibus linguis aliis, ita et cum de Hebraea quaerimus, aetates linguae diſtinguendae. Ante exſilium Babylonicum nuspiam אי pro inſula poni video: at inſequuta aetas hanc vocabulo ſignificationem induit. Bis omnino in libris poſt exſilium Babylonicum ſcriptis occurrit, utrobique inſulas ſignificans. Daniel c. XI, 18. praedicit, *Antiochum faciem ſuam converſurum ad* איים, *multasque ex illis capturum*: qui Antiochus, teſte hiſtoria, (verbis utor Hieronymi)

nymi) *navali certamine adversus plurimas insulas dimicavit, ac cepit Rhodum, et Samum, et Colophonam, et Phoceam, et alias multas insulas.* Estherae autem in libro, c. X, 1. rex Persarum tributum imposuisse dicitur *terrae et insulis maris*, ubi oppositionis vis ea est, ut nequeant nisi insulae intelligi.

Cum ergo senescens lingua Hebraica insulas איים diceret, non mirum, ea sensim emortua hanc significationem, in scholis Rabbinorum servatam, interpretibus fraudi esse potuisse. Sic quidem et passim ex Latinismo infimae aetatis auctores antiqui male intelliguntur. Quomodo autem acciderit, ut sequior Hebraismus novam nomini significationem daret, de eo conjecturam infra tentabimus.

Quid ergo, inquies, antiquo Hebraismo aureae argenteaeque aetatis איים erant? Coccejus quidem (*) Jes. XX, 6. *oram maritimam*, et Jerem. XXV, 22. *Asiam minorem* interpretatur: ac sane poterant Hebraei Asiae peninsulam omnemque Europam, ad quam navigandum Phoenicibus erat, *maritima gentium exterarum* adpellare. Sed ut taceam, nec hanc significationem reliquas Orientis linguas, ne etymologia quidem illi commodata, confirmare, non pauca ex locis supra indicatis eam quoque abnuunt. Medi, Moschi, Magogitae, maritimi populi vix dici possunt, nec Philae, in intima Aegypto procul a mari sitae. (Jes. LXVI, 19.) Jesaiae autem fluminibus in איים mutatis (c. XLII, 15.) quid facias, admissa Cocceji interpretatione? Flumen in oram maris mutari, absonum dictu. Fac totum exarescere,

ne

(*) Vide ejus lexicon.

ne ripam quidem habebis, nedum litus mari humectatum.

Jam ad eam sententiam promendam venio, quae mihi aliqua se veritatis specie commendavit. Nec conjicere de vocum significationibus, sed eas ex usu linguarum Orientalium sumere lubet. Verbum اوى (אוי vel אוה) unde nomen אי ortum, Arabibus significat, et *hospitari* et *habitare*, et in quarta conjugatione, *hospitio aliquem excipere*, unde مَأْوَى *sedes*, *locusque habitationis* dicitur (*). Nec aliter verbum Hebraicum accipiendum Num. XXXIV, 10. *habitationis terminum vobis statuetis versus Orientem* etc. Ps. CXXXII, 13. 14. *elegit Jehova Sionem*, (אוה) *divertit illuc ad habitandum*, *dixitque: haec est quies mea in aeternum*, *hic habitabo*, (כי אויתיה) *hoc enim domicilium optavi.*

Jam ergo אי *habitatio*, i. e. *regio habitata*, fuisse videtur, nullo primum discrimine, sive sit mediterranea, sive maritima aut insularis. Quam significationem solus ex antiquis Chaldaeus non ignorasse videtur. In Ezechielis enim capite XXVII, versu 6. et 7, bis מדינת, *provincias*, vertit, atque Esth. X, 1. pro איי הים habet, הפרכי דימא, ὑπαρχίας *seu provincias maris*: eidemque Ez. XXVI, 15. 18. איים sunt פרווריא *suburba-*

(*) Syriacam linguam dubius subjungo. Joh. XIV, 2. Graecum μοναὶ, *mansiones*, *habitationes*, Syriace redditur ܐܘ̈ܢܐ, pro quo suspicor ܐܘ̈ܝܐ legendum esse. Nunquam enim ܐܘܝ Syris est habitare, nec sine magna anomalia cum Hebraico עון per Ain scripto confertur. Frequens autem Syrorum librariis, Jud et Nun, literas figura simillimas, inter se permutare, quod et hic factum arbitror.

bana Tyri, id vero est, non aedificia extra murum sita quae nobis suburbia dicuntur, sed *regio* circumjecta. Vide Buxtorfii lexicon Chaldaicum. His Chaldaei interpretationibus acceptum refero, quod vera nominis significatio non penitus deleta ex Judaeorum scriptis in aliqua Christianorum vocabularia tanquam furto irrepsit, ab aliis, qui sibi doctiores videbantur, eliminata iterum et omissa.

Nullus est locus Pentateuchi, Jesaiae, Jeremiae, Ezechielis, Sephaniae ac psalmorum, qui non hanc REGIONIS significationem commode ferat: obscurissimum autem Jesaiae dictum, c. XLII, 15. illo demum admisso intelligetur. *Vastabo*, inquit, *montes et colles*, *omnemque illorum herbam exarescere faciam. Flumina reddam habitabilia*, *et paludes exsiccabo.* Nempe flumina fiunt habitabilia, quando aqua penitus deficiente habitari et arari possunt.

Huic autem, etymon si spectes, late patenti vocabulo, atque ad omnes regiones pertinenti, propriam aliquam vim geographia Hebraeorum subjecit, ex qua terras a Japhethi posteris insessas, Europam, Asiam minorem, quae Pontum Euxinum inter et Caspium mare sunt, Mediam, et Magogitidem complectitur. Has enim Phoenices atque Hebraei, ut ex hoc ipso Mosis loco discimus, *regiones exterorum* (איי הגוים) dixerunt, fere ut nos partem Africae mari mediterraneo adjacentem, Barbariam. Exteros, seu ut Graeco vocabulo utar, barbaros, Hebraeis גוים vocari, notum ita ac tralatitium, ut sola de derivatione conjectura addi vulgatis possit. Suspicor equidem, exteris populis a جوي, *moeruit*, *abhorruit animus*, nomen ductum esse, forte quod exteros fastidiebant, eoque inter illos moerore carpebantur, quem morbi

morbi Helvetii nomine, Germanice *das Heimweh* dicimus. Sed haec etymologica utcunque ſint, id certum videtur, a Jeſaia, ubi de regionibus gentium (איי הגויים) loquitur, plerumque hos ipſos populos, antonomaſtice ita dictos, intelligi, quos Moſes verſibus praecedentibus nominavit. Hi enim et Hebraeis Semo oriundis, et Aegyptiis Phoenicibusque Chamo ortis, quos inter aut habitaverant hucusque Iſraëlitae, aut eorum lingua utebantur (*), barbari. Vix opus, ut addam, in frequentiore uſu phraſis nomen גוים omitti potuiſſe, ac pro איי הגוים brevius dici, איים, eadem manente ſignificatione.

Vidit praecipuam hujus veri partem Coccejus, in vocabulario Hebraico ſcribens: *per* איי הגוים, INSULAS GENTIUM, *intelligitur Geneſ. X, 5. ea pars mundi, quae eſt terrae Canaan ad Occidentem. Plerique enim filii Japheth in eas terras conceſſerunt, licet etiam eorum quidam reſederint in Oriente, ut Medi. Hinc explicandae prophetiae de praedicatione prima evangelii inter gentes.* Recte vero ille de vaticiniis prophetarum: ſed in eo erraſſe videtur, primo quod INSULAS gentium interpretabatur, non REGIONES, deinde quod ſolos Occidentales intelligebat, cum Moſes omnes terras a Japhethi poſteris occupatas, ipſamque Magogitidem Ezechiel, inter איים numeret. Sed Ezechielis locum non cogitabat Coccejus, ac forte fraudi illi fuit, quod eccleſias chriſtianas in ultima trans mare Caſpium Aſia non ſatis cognitas habebat. Poſt Aſſemanum ſi vixiſſet, ejusque legere

(*) Hebraicam linguam Phoeniciam eſſe, in gratiam illorum moneo, qui forte linguarum Orientalium minus periti geographiae amore haec noſtra legent.

legere bibliothecam Orientalem potuisset, maxime ubi de Nestorianis agitur, nae ille non veritus esset, gentibus quarum illuminationem praedixit Jesaias, non Medos solum, sed et Magogitas adnumerare.

Ad plerasque ex his terris, Europam omnem, Asiae peninsulam, atque ab Oriente Ponti Euxini sitas, non terra, sed mari adeundum Phoenicibus erat: hinc nova orta vocabuli compositio, qua primus Jesaias usus, c. XI, 11. XXIV, 15. איי הים *regiones*, vel, *mansiones maritimae.* Forte et portus ita dici coeperunt, tanquam *hospitia navigantium*, meminerimus enim, Samaritano interpreti איים *portus* esse (*). Sed hoc, ne quid temere adfirmare videar, in dubiis relinquo.

Id vero jam non dubium, cum in exsilio Babylonico patriam linguam dediscere Judaei inciperent, novasque antiquis vocabulis significationes dare, איים, quod adhaerentem jam regionis maritimae notionem ex phrasi איי הים traxerat, pro INSULIS usurpari coepisse. Sic positum Dan. XI, 18. Esther. X, 1.

Hanc ergo habemus tanquam genealogiam significationum: 1) *habitationes*, *mansiones*, i. e. *regiones.* 2) ex usu proprio geographiae, *regiones earum gentium*, *quae Hebraeis Phoenicibusque barbarae erant*, *neque a Semo neque a Chamo oriundae.* 3) *regiones transmarinae.* 4) *hospitia maris*, seu *portus.* 5) *insulae.* Quae si vere disputata sunt, et desinent multa sacrae scripturae loca in quibus hucusque laboratum, obscura esse, et geographiae antiquae nonnihil lucis adfulgebit.

IIII)

(*) pag. 134.

IIII) בארצתם *in terris ipſarum.*

Samaritanus pro more ſuo plene pluralem numerum ſcripſit, בארצותכם. Pronomen, IPSARUM, non ad regiones (איי) ſed ad gentes, (גויכם) refero. Idem de ſequente איש, VIR, ſeu QUILIBET, dicendum: intelligitur, *quilibet populus, lingua et habitatione diverſus.*

V) למשפחתם בגויהם

i. e. *ſecundum minores gentes, quarum quaeque ad majorem aliquem populum referenda.* Nempe Hebraeis משפחה alias eſt, minor familia, ſubordinata majori, שבט dictae: hic vero, ubi de gentibus ſermo, גוי *totius gentis* nomen eſt, משפחה *coloniae.*

Iterum plene Samaritanus למשפחותם.

GENES. X, 6.

ובני חם כוש

Et filii Chami ſunt, Cuſch, etc.

Laudandus hic Bochartus et reprehendendus (*). Cum enim duplicem videret de Cuſchaea dictam ſententiam, plerisque, Judaeis, LXX, Vulgata, Philone, Joſepho, Euſebio, Hieronymo, Arabe, Aethiopiam intelligentibus, Pſeudojonathane Arabiam: has inter ſe amiciſſime conſpirare ſententias, atque utramque veram eſſe poſſe, non intellexit, Aethiopiamque reprobans, in ſola Arabia Cu-

(*) Libr. IV. c. 2.

Cuſchaeis ſedes aſſignavit. Atqui Cuſchaeos et in Africa habitaſſe et in Arabia, certum eſt, nec cognomines modo, ſed ejusdem etiam ſtirpis, ac, licet ſinu Arabico atque deſertis Africae ſejungerentur, ſaepe tamen communibus regibus ſubjectas. Ipſi quidem, in quorum terra Nilus oritur, Habeſſini, majores ſuos ex Arabia trajeciſſe memorant, ſibique arrogant reginam Sabaeorum itinere ad Salomonem ſuſcepto claram, quae ſine dubio Arabiae Felici imperitavit, et ſua lingua געץ (*) dicuntur, id eſt, *gens quae mare trajecit*, atque ex dialecto vetere, cujus nunc uſus extra ſacra obſolevit, Arabes agnoſcuntur: quae cum diſputatione pandere hic nequeam, fidem haberi velim JOBO LUDOLPHO, in *hiſtoria Aethiopica* Libr. I. c. I. alibique haec tradenti. Solent praeterea, quantumvis id diſpliceat Bocharto, duplicem laudare Aethiopiam veteres, Africanam et Aſiaticam: Dionyſiusque, Syriaci chronici ſcriptor, Joannis Aſiae epiſcopi auctoritatem ſecutus, ultra Sanaam, felicis Arabiae regiam, ad Aegyptum usque et Thebaidem ſeptem regna ſeculo quinto ſita fuiſſe tradit, tria Indorum (id vero eſt Joctanitarum Arabum) quatuor Cuſchaeorum, quae ut magis etiam meridionalia, et ad Oceanum Indicum pertinentia, deſcribit (**). Horum quidem unum et

(*) Verbum primitivum Hebraice גרז, Arabice جوز ſcriptum, *tranſire*, *trajicere* ſignificat. Aethiopes Ain, quod pronuntiare nequeunt, cum quieſcentibus permutant, prorſus ut Samaritani, qui pro גרז *tranſire* etiam געץ ſcribunt. Adi LUDOLPHI *lexicon* Aethiopicum pag. 538. 539.

(**) Vide ASSEMANI *bibliothecam Orientalem* T. I. p. 359. vel, ſi illa ad manus non eſt, noſtram Chreſtomathiam Syriacam, pag. 16. 17. Integrum locum adſcribere lubet, latine converſum, quoniam eo deinde ad plura perficienda opus habebimus. Hoc autem ante omnia teneant lectores, Indos quorum mentio

et princeps, quod Thebaidi vicinum dicit, ipſa eſt Abeſſinia, mediterranea et ab Oceano remota, reliqua in Arabia Felice, qua parte Oceano alluitur, quaerenda. Tota enim ſcena in Arabia agitur.

Cu-

mentio fit, non accolas eſſe Indi fluminis, ſed Joktanitas in Arabia Felice habitantes, qua de re ad verſum 25. 26. dicendi locus erit. *Aidugo*, inquit, *Indiae intimae regi, bellum erat, cum rege Homeritarum,* (Himyaritas recentiores vocare ſolent, Arabes حِمْيَر) *qui et ipſi ex Indis ſunt, Dimione. Cauſſa autem belli haec fuit. Regna Cuſchaeorum ſunt longe remotiora, quam Homeritarum, circa Aegyptum et Thebaidem extra Indiam ſitas.* (Ergo ad ſuperiorem usque Aegyptum, ſeu Thebaidem, aliqua parte pertinebant Cuſchaei, qui alii quam Abeſſini eſſe nequeunt.) *Mercatoribus autem Byzantino imperatori ſubjectis per Homeritas transeundum eſt, antequam intrare poſſint Indorum intima, quibus nomen, Euſalis Indiae.* (Noſtro tempore Sanaa, Arabiae Felicis urbs regia.) *Inde porro commeant ad ulteriora Indorum et Cuſchaeorum.* (ܕܗܢܕܘܝܐ ܘܕܟܘܫܝܐ) *Sunt autem Indorum et Cuſchaeorum regna ſeptem; tria Indorum, et quatuor Cuſchaeorum, ex quibus haec ſunt remotiſſima in locis meridionalibus ad mare magnum, quod totum orbem ambit, vocaturque Oceanus.*

Manifeſtum puto, ex his quatuor Cuſchaeorum regnis unum, et vero princeps, eſſe Abeſſiniam, quae ſola Thebaidi vicina, quamquam interjecta Nubia dici poteſt. Reliqua autem tria regna vix poſſunt niſi Felici Arabiae adſignari. Primo enim ſita dicuntur ad Oceanum, qui Abeſſiniam, regionem mediterraneam, non alluit. Deinde mercatores Byzantini Abeſſiniam adituri non opus habebant, primo deſerta Arabiae, ab Euphrate inde, deinde Homeritarum praedonum regiones, tum ſinum Arabicum, atque hoc ſuperato omnium maxime inhoſpita Africae deſerta trajicere, quae mare inter rubrum et Abeſſiniam jacent; ſed multo expeditiore itinere ex Aegypto per Nubiam adituri Abeſſiniam erant, qua via vel in hunc usque diem *Abunas*, patriarcha Abeſſinorum utitur, Alexandria in Abeſſiniam mitti

T ſolitus,

Cuſchaeae ergo nomine, et hoc loco, et plerumque ubi illud in ſacris literis legitur, utramque complector Aethiopiam, Arabicam, quae mater eſt, et Africanam, ſeu Abeſſiniam, coloniam.

Ad Arabicam quod attinet, antequam argumentis utar, de ſitu regionis dicendum, in quo definiendo graviter erravit Bochartus. Cuſchaeos enim eosdem eſſe putat, qui Saraceni dicantur, circaque Meccam et Medinam habitent (*). Quo errore foedior vix committi in rebus Arabicis, a tanto certe viro (aliter enim recentiora errant philologiae Orientalis opprobria, aliter antiqua decora), committi poterat. Saraceni enim iique maxime, qui Meccam et Medinam incolunt, Iſmaële ſe prognatos profitentur, nec ſola traditione, ſed tabulis etiam genealogicis natales ad illum referebant. Sunt ergo Abrahami, ejusque progenitoris, Semi, poſteri, non Cuſchaei Chamo orti. Cuſchaei autem, ut ſupra ex Joanne Aſiae epiſcopo et Dionyſio chronicographo didicimus, ultra Sanaam, ad Oceanum habitabant.

Dematur ergo ex Bocharti argumentis totaque disputatione, neceſſe eſt, quidquid ille de Midianitis habet, quos alio nomine Cuſchaeos fuiſſe contendebat, illo maxime Pentateuchi loco nixus, ubi rixatum cum Moſe fratrem ſororemque legimus, quod Moſes Cuſchaeam uxorem duxiſſet (**). Hanc enim Cuſchaeam Bochartus, nec

ſolitus, et quam illo tempore patuiſſe ex fine hiſtoriae a Dionyſio relatae liquet: petunt enim chriſtiani, ut patriarcha Alexandrinus regem Cuſchaeorum de adverſis, quae in Arabia tolerent, cito faciat certiorem, atque ad ſuppetias mittendas hortetur. (Chreſtomath. p. 39.)

(*) col. 213. 214.

(**) Num. XII, 1.

nec is ſolus, ſed plerique, Sipporam eſſe volunt Midianitidem (*), rixatosque Aharonem et Mariam cum Moſe de conjugio ante quadraginta et plures annos inito. Quod quomodo animo concipi potuerit, aegre dixerim. Ut enim de ridiculis tarditate jurgiis vocem non mittam, Cuſchaei Chamo progeniti dicuntur, Midianitae Abrahamo. Geneſ. XXV, 2.

Jam Cuſchaeam, de qua et hoc loco Moſes loquitur, et ſaepe alibi codex ſacer, non in ſola includendam eſſe Africa, ſed late quoque per eam, quam dixi, Arabiae partem pertinuiſſe, his ductus argumentis exiſtimo.

1) Ipſi ſe Abeſſini ex Arabia trajeciſſe fatentur: non ergo excludenda Arabia, ubi antiquiſſimus ſcriptorum omnium, Moſes, Cuſchaeam nominat, idque in gentium originibus ultimis explicandis.

2) Seculo adhuc poſt Chriſtum quinto Cuſchitae (ܟܘܫܝܐ) in Arabia Felice habitarunt, teſte Dionyſio chronicographo.

3) Nimrodum, Babylonici regni conditorem, Cuſchaeum fuiſſe Moſes tradit, hoc ipſo capite, verſu 7. 8. Quod ſi nulli niſi in Abeſſinia Cuſchaei, mirum ſane, tam longe a patria Nimrodum urbem regnumque condidiſſe. Moſe autem auctore, Babylonis conditores vagi antea in Arabia, quam Orientem (**) Hebraei dicunt, erraverant, montibusque Arabiae planitiem eam, in qua ſita Babylon, praetulerunt. Verba ſunt: *factum autem eſt, cum vagarentur in Oriente, ut invenirent planitiem in terra*

(*) Exod. II, 16. 21.

(**) Judic. VI, 3. 33. VII, 12. VIII, 10. Geneſ. XXV, 6. Job. I, 3. Jerem. XLIX, 28.

ra Sinear, ibique considerent. Genes. XI, 2. Nimrodus ergo, Cuschaeus, facti auctor, ex Arabia in vicinam egressus est Babyloniam.

4) Nec omnino nullius momenti est, quod Moses Cuschaeam uxorem duxisse dicitur: Num. XII, 1. Licet enim ab illis dissentiam, qui Sipporam Midianitidem intelligunt, id tamen ex hoc facto colligo, Cuschaeos ea tempestate quodammodo vicinos Israëlitis fuisse. Quis enim suspicetur, ex Abessinia, quae longe ultra hostilem Israëlitis Aegyptum sita erat, uxorem a Mose, et vero nigram, expetitam esse? Hoc tamen, quia et possunt longinqua contrahi connubia atque paradoxa, in opinabilibus argumentis numero, non in certis.

5) Ab Habacuco, capite III, 10. Midianitae et Cuschaei ita componuntur, ut de Abessiniis eum loqui, non sit verisimile. Victoriis Israëlitarum, in Palaestinam ingressorum, *indoluisse*, ait, *tentoria Cuschaeorum, et contremuisse aulaea Midianitarum.* Hae autem victoriae quid adferre terroris aut aegritudinis accolis fontium Nili, Abessiniis, poterant?

6) Eodem loco habendum, quod 2 Paral. XXI, 16. *Arabes, qui juxta Cuschaeos habitant*, in hostibus Judaeorum numerantur. Cum enim Abessinia non sinu modo Arabico, sed vastis quoque Africae desertis, ab Arabia distineatur, vix intelligo, quomodo hostes Judaeorum ab aliis pacatioribus Arabiae populis hac nota distingui possint, quod vicini fuerint Abessiniis. Hoc potius dicere historicus videbitur, gentes Arabicas, Cuschaeis felicis Arabiae vicinas, Judaeis bellum intulisse.

7) In-

7) Insigne, quod 2 Paral. XIV, 8. legimus, Zerachum, Cuschaeorum regem, Judaeam invasurum, cum ingenti exercitu Maresam usque penetrasse: qui, si Arabiam Felicem ditione tenuit, neutiquam laborabit historiae fides; at si unius erat Abessiniae rex, non poterat ad Maresam castra ponere, nisi tota ante Aegypto subacta. Nec facile conjeceris, quae belli caussae Abessiniae regi cum Judaeis esse potuerint, si nihil extra Abessiniam possidebat.

8) Illustrius etiam argumentum in Sennacheribi, Hiskiae, et Taraconis Aethiopiae regis, historia. Sennacheribus enim innumerabili exercitu in Judaea bellum gerens, citato agmino, sed reditum in Palaestinam minitans, revertisse dicitur ad Assyriam defendendam, quod falsus rumor adferret, Taraconem Cuschaeorum regem bellum movere. 2 Reg. XIX, 9. Jes. XXXVII, 9.

Hic enim Taraco si soli imperitasset Africanae Aethiopiae, in Assyriam penetrare nisi per Palaestinam non poterat: quam cum totam armis teneret Sennacheribus, non crediturus ejusmodi rumoribus erat, nullo dum Aethiopico exercitu in Palaestina viso. Quod si historici sacri verba ita intelligamus, *adlatum Sennacheribo, Taraconem non in Assyriam quidem, sed in ipsam Palaestinam castra movere, eique se hosti cum imparem crederet, in intima Asiae secessisse:* primo quidem ratio reddi nulla potest, cur tantis copiis bellum gerens Assyrius, tamque de suis rebus magnifice sentiens, hoste necdum viso de praelii exitu desperasset, maxime cum in eo jam esset, ut capta Hierosolyma in Ju-

daea debellaret. Neque enim diu resistere posse Hierosolyma videbatur: Taraconem autem, cui tota Nubia et Aegyptus peragranda, paucorum modo dierum itinere abesse, rex bellorum peritus incerto rumori crediturus non erat. Aegyptus ita habitata et culta, ut facile constare posset, utrum in hac jam esset Taraconis exercitus, an extra illam: quod si nondum in Aegypto hostium castra, non erat, cur fugeret victor hactenus Assyrius, nec potius in Palaestina debellaret. Hierosolyma enim capta, claustra Asiae atque Africae tenebat, multoque erat tutius, ibi hostem operiri, quam deserta omni cis Euphratem Asia fugiendo suum in regnum invitare. Fac etiam, diffisum praelio fugisse Assyrium, quid stultius his esse ejus minis poterat, quas Jesaias cap. XXXVII, 10. 11. 12. 13. refert? quas passis in templo manibus literisque deplorasse Hiskiam, nec potius ut inanes risisse, mirum erit.

Sic autem rerum gestarum institue seriem, et omnia verisimilia agnosces. Utramque tenebat Taraco Cuschaeam, *Africanam* et *Arabicam*, ex illa Aegypto, ex hac Assyriae imminens, quae illo tempore jam pene ad sinum Persicum pertinebat, Ctesiphontem (*) certe in provinciis habens. Cum ergo Judaeam pene totam armis occupasset Assyrius, Aegypto, ut Herodotus narrat (**), bellum illaturus, sed claustris antea potiturus Asiae, mentiebatur fama, Taraconem ex illa Cuschaeae parte, quae in

(*) Jes. X, 9. Vide quae infra ad versum 10. de כלנה scribemus.

(**) libr. II. c. 141.

in Arabia sita est, per deserta Arabiae agmen ducentem intima Assyriae invadere. Id vero credi rumori poterat: per deserta enim, quae felicem Arabiam inter et sinum Persicum sunt, iter faciendum erat Taraconi, ex quibus certus nuntius frustra exspectabatur. Ad suum ergo regnum tutandum, non fugam sed iter, festinabat Assyrius, confecto ad Euphratem bello rediturum se in Judaeam, Hierosolymamque eversurum, jam non ridicule minitans.

9) Ad auctores sententiae devenio, in quibus commemorandis iniquus quodammodo sibi ipsi fuit Bochartus. Primo enim solum nominat Pseudojonathanem, qui pro Cusch Arabes posuerit (*). Addi vero et alii testes possunt: Chaldaeus chronicorum interpres, qui 1 Paral. I, 8. 9. pro Hebraico כוש habet ערב, *Arabem*, (verum illa versio tempore Bocharti nondum typis vulgata erat): deinde Chaldaicus prophetarum interpres, verus Jonathan. Hic enim aliquoties כוש Indiam vertens, Arabiam Felicem intellexisse videtur, veteribus, Syris maxime ac Chaldaeis, ita dictam, ut infra de Joctanitis agens exponam copiosius. Exemplo sit, Jes. XI, 11. et Sophon. III, 10. ubi pro Hebraico כוש Chaldaice הודו *India* legitur. Denique et Syrus 2 Paral. XVI, 8. eo quidem loco, ubi de adcolis Indi nemo somniet, ܗܢܕܘܝܐ *Indos* pro Cuschaeis reposuit.

Deinde qui ex veteribus Aethiopiam nominant, non ideo Arabiam repudiare existimandi sunt: cum du-

(*) *Posteriorem e veteribus, quod sciam,* SOLUS *Jonathan, in cujus paraphrasi Genes. X, 6. pro Hebraeo Chus est* ערביא *Arabia.*

duplex ſit, cis et ultra ſinum Arabicum, Aethiopia. Non bene ergo rem ſuam geſſit Bochartus, hos omnes ſuae ſententiae opponens, ac pro ſola teſtimonium dicere Abeſſinia autumans.

Hae mihi fere rationes ſunt, Cuſchaeae nomine partem Arabiae complectendi: quarum aliquas et Bochartus commemoravit, ſed admiſtis levioribus aut falſis, quare quae aliquid momenti facturae videbantur, eas repetendas, meisque verbis explicandas cenſui. In falſis habeo, quod loco Ezechielis, c. XXX, 8. 9. *ibunt nuntii navibus ad terram Cuſchaeam*, adſcripſit: (p. 212.) *de Arabia hoc commode intelligi poſſe, in quam Aegyptii navibus per mare rubrum ſaepe commeent; de Aethiopia nequaquam, in quam ne per Nilum quidem adverſum navigetur, ob catarrhactas propter Syenen.* Atqui omnino ex Aegypto in Aethiopiam navigari conſtat, nec obſtare catarrhactas: namque aut rates terra portant, ubi ad catarrhactas ventum eſt, aut illis ſuperatis pedeſtre unius diei iter emenſi, alia trans catarrhactas navigia conſcendunt. Legant, qui volunt, Nordenii commentarios itineris per Aegyptum, ne mihi credere opus habeant, ſed viro, qui ipſe cis et trans catarrhactas inferiores, Aethiopiam petens navigavit, donec feritas illum incolarum Nubiae reverti cogeret. Mercatores quidem ex Aethiopia in Aegyptum navigantes, ſupra majorem catarrhacten ad urbem Jalac adpellunt, indeque terra XII dierum iter Syenen faciunt, iterum ibi naves conſcenſuri, ut Nubienſis geographus tradidit (*): vel ſic tamen ſupra Jalac et infra Sye-

(*) *Climatis I, Parte IV*, p. 17. verſionis latinae, ſeu Arabici operis, quamquam illi paginae non adſcriptae ſunt, viceſima. Verba adſcribo

Syenen navibus utentes. Verum ex Nordenio certum, unius diei itinere supra Syenem naves jam iterum conscendi posse: quod qui faciunt, bis illis, ad minores majoresque catarrhactas, ex navibus egrediendum, uniusque diei iter terra faciendum.

Idem autem nomen כוש, Abessiniam quoque, seu Africanam Aethiopiam complecti, his argumentis certum et indubitabile habeo:

1) Primum locum dabo insigni Josephi testimonio, suo adhuc tempore Aethiopiam hoc nomine vocitatam adfirmantis. Praefatus enim, aliqua nominum, quibus Chami posteros Moses indigitet, in desvetudinem abiisse, כוש et מצרים ex hoc numero excipit: *χοῦσόν μεν*, inquit, *ὀυδὲν ἔβλαψεν ὁ χρόνος, Ἀιθιόπες γὰρ, ὧν ἦρξεν, ἔτι καὶ νῦν ὑπὸ ἑαυτῶν τε καὶ τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ πάντων, χουσαῖοι καλοῦνται*: *Chuso nihil tempus detrivit. Aethiopes enim, quorum conditor fuit, vel in hunc usque diem et* IPSI *se Chusaeos dicunt, et ab omnibus in Asia ita appellantur.* L. I. c. VI. §. 2. De Ae-

scribo auctoris, diu mihi desiderati, et quo nunc primum uti incipio, ex Clewbergiana bibliotheca nuper admodum emto. *Naves Nigrorum, ubi ad Jalac processerunt, usque ad montem Ganadel, cum nequeant ulterius progredi ad terram Aegypti, redire coguntur.* - - Catarrhactas deinde describit, pergitque: *quare postquam Nubarum aliorumque Nigrorum naves ad istum Nili locum appulerunt, - - mercatores de ventre navium ad dorsa camelorum merces suas convertunt, et per desertum iter faciunt ad urbem Asvan,* (Syenen) *quae ab hoc monte distat spatio XII stationum.* Et paulo deinde: *eadem quoque ratione Aegyptiorum naves non ascendunt, nisi usque ad urbem Asvan.*

Aethiopibus Africanis eum loqui, nemo in dubium vocaverit, qui aut reliqua, quae ſequuntur, aut ea, quae de expeditione Moſis Aethiopica habet, legerit. Hanc ergo ſi univerſa Joſephi tempore Aſia כוש vocabat, ſi ipſi adeo eodem ſe nomine inſigniebant: dubiumne eſſe poterit, quin ad Cuſchaeos Moſis referendi ſint.

2) Nec temere id Joſephum ſcripſiſſe, uſus linguae Syriacae confirmat. Ut enim ea non repetam, quae ſupra de Cuſchaeis Thebaidem attingentibus ex Syro ſcriptore retuli; Candace, quod nomen reginis Meroes commune fuiſſe novimus, femina certe Africana, *Cuſchaea*, ejusque eunuchus *Cuſchaeus* eſt Syro Novi teſtamenti interpreti. Vide eum Act. VIII, 27. ubi Graeca, *ἀνὴρ Αἰθίοψ, δυναστὴς Κανδάκης βασιλίσσης Αἰθιόπων*, reddit, ܚܕ ܓܒܪܐ ܡܢ ܟܘܫ ܡܗܝܡܢܐ ܕܩܢܕܩ ܡܠܟܬܐ ܕܟܘܫܝܐ, ex quibus Syriacis Arabs, ſuae gentis nomen non ignoraſſe credendus, *Habeſſinos* reddidit. Ergo in vulgari Syrorum lingua *Cuſch* erat Abeſſinia. Urbem *Cuſcha* (كوشة) in Nubia ſitam, et a Nubienſi geographo commemoratam, non niſi obiter commemoro; ad alia forte illa uſurus. Verba tamen adſcribo, فمنها مدينه كوشه الواعلة وبينها وبين مدينة نوابه ستة ايام وهي تبعد عن النيل يسيرا وموضعها فوق خط الاستوا, *ad Nubiam pertinet urbs Cuſcha, quam inter et Nuvabiam urbem ſex dierum intervallum eſt. Non procul abeſt a Nilo, eſtque ſita ultra lineam aequinoctialem.* (In uno errat, quod nimis facit auſtralem regionem. Sed de

de hoc errore, dudum a geographis castigato, non est hic dicendi locus.)

3) Jesaias c. XVIII, 1. et Sephanias c. III, 10. *flumina Cuschaeae* (נהרי כוש) commemorant, haec ergo Cuschaea Arabiae esse nequit, fluminibus nullis nobilitatae, et in qua vix aliqui ostendi rivi possunt in mare influentes.

Huic argumento quod reponit Bochartus (*), *terram intelligi mediam inter Judaeam et Aegyptum, cujus flumina sint, Besor, in mare mediterraneum, Rhinocorurae torrens, in lacum Sirbonidem, Trajanus amnis in mare rubrum et Heroum urbem influens, et Corys, e quo regem Arabum tres aquarum elices in viam deduxisse, qua Babylone in Aegyptum ierit Cambyses, testetur Herodotus,* vanum est: pro celebribus enim et magnis, quos lectorum exspectationi debebat, fluviis, ignobiles rivos, atque adeo torrentes aestate aridos, reponit, a quibus nemo Aegyptum, ut regionem ultra flumina sitam, prouti Bochartus vult, descripserit. At Aethiopia Africana et Nilum, ingentem fluvium reliquorumque in Africa principem, et alios fundit alitque.

Hunc in Jesaiae locum cum inciderim, quaeri ex me posse video, quid de eo sentiam, cum totus sit geographicus. Ac displicet vero ea Aegypti descriptio, quam plerique hic inveniunt, Bocharto obnitente, *terra trans flumina Aethiopiae*, i. e. trans Ni-

(*) pag. 212.

Nilum. Non est Aegyptus trans Nilum, sed ad Nilum: nec attinebat, hunc fluvium in describenda Aegypto ab Aethiopia denominari.

Ego vero non Aegypto adclamari a propheta putem, sed intimis ultra Abessiniam Africae regionibus, forte eo tempore parum cognitis: sed has adclamationes poëtae amant. Nuntium de clade Assyrii regis, illustrique Dei facto, ad omnes perferri cupit, remotissimas gentes,

ultra anni solisque vias.

Primo ergo ad eum audiendum advocat, *terram* צלצל כנפים, quam ego interpretari ausim, *terram tinnitus alarum*: צלל enim *tinnitum* significare, quis ignorat? Alas autem et soli, et aurorae, Hebraei dederunt, ut Graeci atque Latini currum. Vide Malach. III, 20. Ps. CXXXIX, 9. Harum alarum acutum stridorem, qualis in summa celeritate audiri solet, in regione orbitae solis subjecta, percipi fingunt, fere ut TACITUS sonum emergentis solis trans Sviones audiri narrat (*), (quamquam ut rem fabulosam) Juvenalisque cecinit,

Audiet Herculeo stridentem gurgite solem.

Haec ergo mihi verborum interpretatio: *heus terra stridoris alarum, quae sita es ultra fluvios Aethiopiae!* hac sententia: *audies haec, ultima terrarum, ultra solis et anni orbitam, atque ultra Aethiopiam fontesque Nili sita.*

Sephaniae verba eodem modo accipio. Non ex Aegy-

(*) German. cap. 45.

Aegypto, ut volunt, ſed ex remotiſſima ultra fontes Nili Africa munera Deo et ſacrificia promittit.

4) Ex Jeremiae loco cap. XIII, 23. paret, Cuſchaeorum alium colorem eſſe, quam reliquorum mortalium, cujus nigredo nulla aquae copia elui poſſit. *Cuſchaeusne*, inquit, *mutabit cutem*, *aut pardus maculas ſuas?* Hoc unum praeviderat telum Bochartus (*), ſatis ſe violenter contorquens, ut illud exeat. Arabes intelligi jubet, qui ſubfuſci ſint, Judaeorum ſimiles. Non animadvertebat, ſuo ſe jam telo jugulari: ſi enim Judaei eodem ſubfuſco erant colore, quo Arabes, non potuit Jeremias, homo Judaeus, hunc colorem in Arabibus tanquam peregrinum ſibi illisque peculiarem notare, ſed de populis omnino nigris loqui exiſtimandus eſt.

* * *

ומצרים *Et Aegyptus.*

Cum de ſignificatione nihil dubii relictum ſit, grammaticas modo minutias, vacat enim, perſequemur. Singulariter nomen ſcribitur, מָצוֹר 2 Reg. XIX, 24. Jeſ. XXXVIII, 25. XIX, 6. Mich. VII, 12. ubique plene. In hujus nominis forma errari a philologis, veteranis quoque, video. Bochartus enim putat, munitum locum ſignificare, vel etiam coarctatum, a צור vel צרר (**), memor tamen, ex legibus grammaticis ita nomen duale non מִצְרַיִם ſed מְצָרִים punctandum fuiſſe (*‚*): Simonis, no-

(*) pag. 215. *unum habent, quod opponant.*

(**) Libr. IV. c. 25. pag. 259.

(*‚*) *Misrajim puto factum per com-*

nomen ſingularis numeri aliter concipiens, quam ſcriptum legitur, מְצַר, derivat tamen ab eadem radice צרר, et, quo etymo vix aliud veri diſſimilius fingi poſſit, vertit, *preſſionem matris geminam, i. e. ab utraque parte* (*). Hoc quid ſit, ipſe non expoſuit: ſi ad preſſionem embryonis in utero matris refert, ſcire cupiam, aliine embryones altera parte ex utero matris exſiſtant? ſi de compreſſione matris a marito facta, magis etiam miror; Chamum, hominem ut opinabimur ſuſpicionibus indulgentem, in diarium ſuum faſtosque retuliſſe, quo modo quavis nocte cum uxore concubuerit, utrum cum ſemiſupina, an ſupina.

Obſtat autem utrique derivationi ſingularis forma, מָצוֹר, quae, ſive a צור ſit ſive a צרר, non poterat alium dualem habere, quam מִצְרַיִם, *Meſoraim*. Puncta autem erroris arguere, ac nomen aliter quam *Misraim* (מִצְרַיִם) appellare, nec per eos licet, qui diu ante Maſorethas Graecis Latinisque literis nomen ſcripſerunt, nec per reliquas Orientis dialectos. Syris enim ܡܨܪܝܢ Aegyptus eſt, Arabibus مِصْر (non ſola, ut voluit Bochartus, Aegypti metropolis): nomen autem Hebraicum his literis Graeci Latinique ſcribunt, μεσραιν LXX, μεσραιμ Hexapla Origenis Hoſ. X, 1. *Mesraim* Vulgata, μεστρ - - - Joſephus, isque praefatus, ſuo adhuc tempore Aegyptum ita vulgo adpellari. Monens enim, ut jam

compendium ex Meſorajim; nam ſingulare eſt, MASOR.

(*) Onomaſticon, pag. 294.

jam ſupra dixi, plerorumque Chami poſterorum nomina a Moſe prodita intercidiſſe, manere alia, horum exemplum מצרים ponit: ἐτηρήθη, inquit, καὶ Μεστραίοις ἡ κατὰ τὴν προσηγορίαν μνήμη. Τὴν γὰρ Ἄιγυπτον Μέστρην, καὶ Μεστραίους τοὺς Ἀιγυπτίους ἅπαντας, ὁι ταύτην ὀικοῦντες καλοῦσι.

Malim ergo מצור a verbo מצר derivare, ut ſit formae גָּדוֹל, cujus pluralem conſtructum facimus גְּדֹלֵי, dualem גְּדֹלַיִם facturi, ſi duali opus eſſet. Unde ita dicta regio ignorare me non puderet. Certum eſt, מצרים Aegyptum eſſe, nec multum ignorabo ſi id unum ignorem, unde nomen habeat. Certe ne patriae quidem gentisque meae nomen, Deutſch et Deutſchland quisquam ita ad origines revocavit, ut etymo fidere audeam: Aegypti ergo nomen ſatis habeo, ſi vel ſine etymo intelligam, donec de patriae nomine conſtet. Quid? ſi Aegyptium nomen ſit, non Hebraicum? ne tum quidem derivationem ab Hebraico verbo deſperabimus? Si tamen Hebraicum eſt, ut ſonus prope ipſe et inflexio prodit, ſuſpicari auſim, Mem radicale eſſe; dictamque putem Aegyptum a termino, quem facit, Aſiae Africaeque. Arabibus enim مِصْر *terminus* ſeu *limes* eſt, nec aliud ſignificare videtur adpellativum Hebraicum מָצוֹר Thren. I, 3. Habac. II, 1. quae loca verto, alterum *intra ſuos eam fines hoſtes aſſequuti ſunt*, non amplius longinqua gerentem bella, ſed Palaeſtinae illatum moenibus propulſantem, alterum: *in ſpecula conſiſto ad fines ſeu terminos terrae, procul venientem hoſtem proſpiciens*. Quod enim

nim plerique in Threnis habent, *intra castella Sionem assequuti sunt*, impeditius, quodque in Habacuco, *in castello consisto et speculor*, aliene dictum videtur. Nec primus hunc significatum Hebraico vocabulo vindicare conor, sed praeivit jam Chaldaeus, Thren. I, 3. vertens, בין תחומיא.

Unde autem factum sit, ut Aegyptus dualiter plerumque מצרים vocetur, de eo conjicere malim, quam sententiam dicere. Pertinetne dualis ad Asiam Africamque, quarum terminus est Aegyptus? an ad superiorem et inferiorem Aegyptum, illam antiquam et orbi condito coaevam, hanc olim sinum, sed limo Nili exaggeratam, ut ex mari mediterraneo emergeret?

Nomen מצרים non viri, sed regionis esse, ex ipso duali numero probatum ivit Bochartus, vere ille, nec tamen recte argumentum instruens. Apertum enim latus dedit Relando, Ephraimi illi nomen, quod ipsum duale est, opponenti (*). Quod si ita disputationem instituisset Bochartus, Aegyptum jam singulariter מצור, jam dualiter מצרים dici, idque in virorum nominibus insolitum esse, vix futurum Relando fuisset, quod ei reponeret.

* * *

ופוט *Et Phut.*

Primo ad lectionem quod attinet, Vau praefixum omisit Samaritanus, paria gentium pro more suo copulans, cui hic consentiunt LXX.

Prae-

(*) p. 62. Palaestinae.

Praeterea per D scribunt LXX ΦΟΥΔ, non hic solum, sed et in libro Judithae, c. II, 23. his enim duobus locis nomen Hebraicum Graecis literis scribunt, alibi interpretantur. Nec tamen hoc ad varietatem lectionis referre ausim: accidere enim potuit, ut interpres ט Arabum more, ubi literae punctum inscribunt, (ظ) mollius efferret.

Libyes sunt Alexandrino prophetarum interpreti, Jerem. XXVI, (Hebraice XLVI,) 9. Ezech. XXVII, 10. XXXVIII, 5. quarto autem loco, quo idem nomen in prophetis occurrit, Nahum. III, 9. adpellative reddidit, φυγῆς, videturque פליט, pro פוט legisse. Compara Hebraica, אין קצה פוט, Graecis, ὀυκ ἔστη πέρας τῆς φυγῆς, et mecum consenties. Libyes etiam latine vertuntur in Jeremia et Ezechiele: uno autem Nahumi in loco, c. III, 9. ubi cum פוט componuntur לובים, sonum Libyae referentes, non ausus est Hieronymus, Libyam et Libyam componere, ideoque פוט ולובים vertit, *Africam et Libyes*, Africae nomine pro פוט usus. Libyam hic Africam esse circa Carthaginem, non, ut Arabicus Jeremiae et Ezechielis interpres voluit Nubiam, geographiae antiquae peritos docere non est necesse.

Hos auctores citare placuit, quia video a Bocharto omitti, licet cum illis consentiat, Africamque ultra Tritonidem, sed argumentis ductus quae nihil momenti faciunt, intelligat. Nempe in quaestione historica minus, quam par erat, testibus, plus conjecturis tribuebat. Unum tamen probo, quod Josephum sententiae auctorem citat, cujus verba lectu dignissima, quoniam de illis consulere eruditos, eosque omnes qui Africam Occidentalem adeunt, lubet, praeter morem meum adscribo, postquam ea Bochartus descripsit: Ἔκτισε δὲ καὶ Φούτης τὴν

 Λι-

Λιβύην, Φούτους ἀπ' αὐτοῦ καλέσας τοὺς ἐγχωρίους. Ἔστι δὲ καὶ ποταμὸς ἐν τῇ Μαύρων χώρᾳ τοῦτο ἔχων τὸ ὄνομα. Ὅθεν καὶ τοὺς πλείστους τῶν Ἑλληνικῶν ἱστοριογράφων ἔστιν ἰδεῖν μεμνημένους τοῦ ποταμοῦ, καὶ παρακειμένης αὐτῷ χώρας, Φούτης λεγομένης. Μετέβαλε δὲ ὃ νῦν ἐστιν ὄνομα ἀπὸ τῶν Μεστραίμου υἱῶν ἑνὸς, Λίβυος λεγομένου: i. e. *Phutes Libyam condidit, cujus incolae ab illo Phutaei vocantur. Supereſt fluvius in Maurorum regione, hoc nomen habens, cujus et multi mentionem faciunt hiſtorici Graecorum, adjacentisque regionis, quam Phuten dicunt. Nomen autem mutavit, illudque, quod nunc eſt, ſortita eſt regio à Libye Mesraimi filio.* Ad quae verba haec mea notata numeris diſtinguam:

1) Joſephus nomina gentis, regionis, fluminis, Φουτ ſcribit, unde liquet, Hebraica eum, non Graeca conſuluiſſe, alioquin enim Φουδ per D ſcripturus erat.

2) Veriſimilem Joſephus conjecturam facit. In Africa enim Phutaei, poſt Aegyptios nominati, quaerendi videntur, quos ubi nomen concinens arguit, quis repudiet?

3) Fluvium cognominem demonſtrat, Φούτην. Illabitur ille ex regno Maroccano in mare Atlanticum, atque a Plinio his verbis deſcribitur (*): *indigenae tradunt, - - - amnem, quem vocant,* FUT, *ab eo ad Dyrin (hoc enim Atlanti nomen eſſe eorum lingua convenit), ducenta millia paſſuum, inter-*

ve-

(*) libr. V. c. I. pag. 242. lin. 23. editionis Harduinianae.

veniente flumine, cui nomen est VIOR. Harduinus illum regni Maroccani fluvium intelligit, ad cujus ostium sita *Azasia*.

4) Multos Graecorum hujus fluminis ac gentis mentionem facere scribit, idque ex eo repetit *Hieronymus*. Hi vero qui sunt? Utinam eos consulere ipsos possemus! Periisse videntur illi, in quibus Plinius id legit: qui enim in Mauretania describenda ΘΟΥΘ *ποταμοῦ ἐκβολὰς*, laudat, Ptolemaeus (*), eundem quidem fluvium designare videtur, librariorum errore ex ΦΟΥΘ in ΘΟΥΘ mutato nomine, sed Plinio junior ab eo legi non potuit.

Hanc ergo ultimam ad mare Atlanticum Africam Phutaeam esse, Josephi testimonio et argumentis credo, donec certius quid adferatur. Quae de etymo nominis stabiliendae sententiae addidit Bochartus, dispersos ac vagos Numidas a פוץ dictos autumans, ea in quaestione geographica, ut saepe professus sum, displicent. Alii aliud etymon commenti, ut Simonis p. 45. Onomastici, a فاش *extendit*, quod Phutus fuerit *augmentatio familiae*. Quis autem nobis spondebit, remotissimum extremae Africae populum nomen sibi ex lingua Hebraea adscivisse? Quod si omnino lubebat, inutilem de nominis etymo disputationem suscipere, de eo fuisset ante omnia dicendum, quod Hieronymus ad Ezech. XXVII, 10. prodidit, *Phut* OS sonare scribens. *Libyes*, inquit, *qui Hebraico sermone* PHUT *appellantur, et vertuntur in* OS, (*ab Ore, non ab Osse*). Id vero cum פוט neutiquam significet, suspicioni locus esse potest, פום eum in Ezechiele legisse, ac

(*) geogr. L. IV. c. V. pag. 93.

ac latine quoque phum ſcripſiſſe, ſed verba ejus ad verſionem receptam latinam mutata eſſe a librariis. Quamquam ne de hoc quidem aliquid adſeveraverim, fieri enim potuit, ut Hieronymus vocabula ſono cognata confunderet: ſuſpicionem tamen variae lectionis, ut in critica ſcriptione, indicandam putavi.

Caeterum et hoc notatu dignum, Phutaeos a nullo illorum ſcriptorum, qui a Moſis tempore usque ad Hiskiam vixerunt, nominari, ut pene interiiſſe videantur: brevi autem poſt tanquam ab inferis exſiſtere, atque aliquoties a prophetis, Nahumo, Jeremia et Ezechiele, nominari, et vero ſemper ut mercenarios aliorum populorum milites, Aegyptiorum maxime et Tyriorum. Vide Nahum. III, 9. Jerem. XLVI, 9. Ezech. XXVII, 10. XXXVIII, 5. Videntur ergo illo tempore ſtipendiis apud exteros factis in Oriente inclaruiſſe: nec id a Maurorum ingenio, quale bellis Romanorum et Carthaginienſium cognitum habemus, abludit. Aegyptii ergo et Tyrii cum conductum ex Mauretania militem haberent, ad eorum exemplum Gogo quoque, undique exercitus conſcribenti, Ezechiel tribuit, futuri populi mores ſui temporis moribus adcommodans. Non haec obſervata interpretibus, ſed de his locis differentes, aut arcum aut clypeos laudant Africanorum, quaſi vero arcus aut clypeus in indiciis populi numerari poſſit, nec fuerit plerisque antiquis gentibus communis.

Si quid certius et exploratius ſperari poſſit, ex Syrorum illud monumentis eruendum arbitror. Syri enim et Chaldaei ubique nomen Phutaeorum, ceu notum in ſua lingua, retinent.

In

In Judithae libro c. II, 23. Phutaeorum nomen Graece et Syriace legitur: ſed qui illud inſeruit (abeſt enim a Latina verſione), ſitus regionis ignariſſimus nomina credo gentium, victoris Holofernis currui praeferenda, undecunque conquirebat. Ad Phutaeos enim, qui illi cunque ſint, Holofernes in ea, quae narratur, expeditione pervenire non potuit. Quod ideo monendum arbitror, ne quis illo loco in diſputatione de terra Phutaeorum, aut ad novam inveniendam, aut ad refellendam Joſephi ſententiam, utatur.

Arabicus Moſis interpres in polyglottis excuſus تقت (*Takt*) vel, ut alii ſcribunt, تفت (*Taft*) vertit, quod quid ſit adhuc ſe quaerere ajebat Bochartus. Equidem inveniſſe mihi videor. Coptos volebat Arabs, non hos qui nobis ita dicuntur, ſed ſuperioris Aegypti incolas, in qua et Coptum urbem habemus, noſtro tempore KIFT dictam (*); et nomum cognominem. Scripſerat ergo, ni fallor, قفت, ſed a quibus literis facilis eſt, lapſu librarii et punctorum omiſſione, tranſitus ad تقت vel تفت. Solent enim a librariis puncta, quibus literae Arabicae diſtinguuntur, ſaepe omitti, atque ab aliis pro arbitrio prave ſuppleri: literae autem, ق et ت, in manuſcriptis ita ſimiles, ut nonnunquam discernere eas difficile ſit, ſaepe a librariis confunduntur. Conjecturam, quam feci, confirmat Arabicus chronicorum interpres, Phu-

(*) HERBELOT *bibliotheque Orientale* p. 1003. et 1004, ſub *Kibth* et *Kift*, utroque enim modo nomen ab Arabibus ſcribi memorat, unde, quod in chronicis legitur قبط, quodque in Geneſi قفت, unum idemque nomen habendum. A NORDENIO قفط ſcribitur, tabula 97. itinerario adjecta, ſub hora navigationis Niloticae 123.

Phutaeos قبط, id est sine dubio Coptos vertens. Ut ergo prophetarum interpres Arabicus in Nubiam, sic Saadias, et qui libros chronicorum Arabicos fecit, in superiorem Aegyptum Phutaeos deduxit.

Mira est Jonathanis hoc loco, et Chaldaici chronicorum interpretis, versio, incognitam nobis gentem אליחרק (*Aljachrak*) habentium. Ex articulo *Al* Arabicum nomen facile agnoveris. Matthias Beckius primo tentabat, *Al - Irak*, Asiae regionem, sed memor, ejus nomen per Ain scribi, العراق, hac repudiata conjectura suspicari coepit, אלמרק rescribendum, regnumque Marocco intelligendum esse. Sed et huic conjecturae obstare arbitror, quod Marocco non מרק, sed מראכש (مراكش) scribitur. Regionem ergo *Aljachrak* adhuc me ignorare fateor, alius forte, aliud agens, in scriptis Arabum reperiet.

* * *

וכנען *Et Canaan.*

Canaan viri nomen esse, qui gentem sibi cognominem condidit, ob historiam Genes. IX, 18 - 27. credo. Certum quoque, eos qui Graecis Latinisque Phoenices sunt, ab Hebraeis Cananaeos vocari, quo de argumento quae Bochartus disputavit (*), nominis quoque reliquias apud Graecos colligens, non repeto, ad ea festinans, quae Bochartianis addenda videntur.

Primo ergo non ab Hebraeis modo, sed sua quoque lingua Cananaei dicti fuerunt, quos Graeci Phoenices adpel-

(*) L. IV. c. 34.

pellant. Conſtat id ex nummis Phoenicias literas habentibus, quos conſulere Bocharto nondum licuit, noſtro demum tempore legi et intelligi coeptis. *Joannes Swinton*, Phoeniciae literaturae reſtaurator, ante hos novem annos nummum et delineari curavit (*), et interpretatione illuſtravit, Antiochi quarti tempore cuſum, in quo haec literis Phoeniciis leguntur, ללארכא אם בכנען, *Laodiceae matris in Canaan*, id vero eſt, primariae Phoeniciae urbis. Non ergo, ut voluit, Bochartus, *Phoenices ideo in Graecorum monumentis nusquam Chananaei vocantur, quod puduit illos ſui nominis, deſieruntque ita appellari, ob anathema contortum in patrem ſuum Chanaan* (**): ſed ipſi conſtanter ſatis, ac diu poſt Alexandrum Magnum, nomen paternum retinuerunt, licet a Graecis, ob ubertatem ut puto palmarum, regio Phoenice, ipſique Phoenices dicerentur. Diſplicet certe, quod Bochartus (***) habet de nomine Graeco ab Hebraico בני ענק (*Bene Anak*) magna literarum ſtrage orto. Nimis ille Hebraicis gaudebat etymologiis: nec meminerat, non paucas gentes apud exteros nominibus vocari, ſuae linguae ignotis, ut cum Germani Slavis *Nemcy* ſumus, aut Africae regionem adventitii Arabes ob eandem palmarum abundantiam, *Baladulgerid* (بلد الجريد) vocitarunt. Sed haec obiter, etymologicas enim quaeſtiones in geographia non magni a me fieri meminerunt forte lectores, ac commonefaciunt.

Certum autem habeo, quantumvis abnuente Bocharto, quod Herodotus tradidit, primas Phoenicum ſedes non

(*) *Gentleman's Magazine, for Decemb.* 1760. p. 560.

(**) pag. 301.

(***) Pars II. libr. I. c. 1. pag. 346. 347.

non in Palaeſtina et Phoenice, ſed in Arabia ad mare Erythraeum fuiſſe, unde mercaturae opportunitate allecti, colonias in Palaeſtinam dimiſerint, et condiderint emporia, ac tota deinde regione potiti ſint. Ipſius verba adſcribo, quibus ſtatim in operis initio ut acceptum a Perſis refert: Φοίνικας ἀπὸ τῆς Ἐρυθρῆς καλεομένης θαλάσσης ἀπικομένους ἐπὶ τὴν δὲ τὴν θάλασσαν, καὶ οἰκήσαντας τοῦτον τὸν χῶρον τὸν καὶ νῦν οἰκέουσιν, αὐτίκα ναυτιλίῃσι μακρῇσιν ἐπιθέσθαι: i. e. *Phoenicas a mari rubro ad hoc noſtrum profectos, eamque regionem, in qua adhuc habitant, occupantes, longinquis continuo navigationibus ſe dediſſe.* Similiter Juſtinus, L. XVIII. c. 3. *Tyriorum gens condita a Phoenicibus fuit, qui terrae motu vexati, relicto patrio ſolo, Aſſyrium ſtagnum* (lacum Tiberiadis) *primo, mox mari proximum litus incoluerunt, condita ibi urbe, quam a piſcium ubertate Sidona appellaverunt.*

Haec aliqui damnarunt, Moſis ſe auctoritatem ſequi putantes: ille vero non ſolum nuſpiam contraria tradidit Herodoto, ſed et aliud agens magnopere et confirmavit, quae Herodotus habet, et illuſtravit: qua de re copioſius in commentationibus *de troglodytis Seiritis* §. 3. 4. 5. 6. et *de Nomadibus Palaeſtinae* §. 4. egi, hic pauca repetam, novumque rei teſtem ex Oriente addam.

Ipſe ergo Moſes, bis in vita Abrahami ſcribens, Cananaeos TUNC in Palaeſtina habitaſſe (*), neque illud TUNC ſuo tempori opponere putandus, quippe quo tota Palaeſtina Phoenicum erat a Joſua demum debellandorum, ut

(*) Geneſ. XII, 6. XIII, 7.

ut notum ſumit, alias olim Cananaeorum ſedes, aliosque Palaeſtinae incolas fuiſſe. Deinde troglodytarum aliquam deſcribit antiquiſſimam gentem, quae ante Eſavum in Idumaea habitavit (*), memoratque, ex hac gente fuiſſe Oholibamam, Anae filiam, neptem Sibeonis (**), quam matrimonio Eſavus duxerit (***). Haec autem Oholibama ſine dubio Cananaea: namque et pater ejus, Chivvaeus, aut potius Chitthaeus dicitur (****), et Moſes ipſe narraverat, tres uxores duxiſſe Eſavum, duas Cananaeas, unam Abrahami ex Iſmaële neptem. Geneſ. XXVI, 34. 35. XXVIII, 8. 9. Jam cum nemo Oholibamam, cujus ſtirps Troglodytica, pater Ana, avus Sibeon, proavus Seir, memorantur, Abrahami neptem filiamque Iſmaëlis habiturus ſit, ſequitur, ut ſit ex duabus Cananaeis Eſavi uxoribus altera. Quod ſi eſt, Troglodytae, qui ante Eſavum in Idumaea habitarunt, Cananaei erunt.

Haec ſcribenti novus ſe offert, nec antea auditus teſtis, Abulfeda, ex cujus inſigni loco conſtat, in ea Orientales opinione fuiſſe, ex Arabia egreſſos Cananaeos eas Syriae partes, quas deinde habitarunt, occupaſſe. Syria Arabice شام (*Scham*), i. e. *Siniſtra*, vel *Borealis*, dici-

(*) Geneſ. XXXVI, 20 - 30.

(**) Geneſ. XXXVI, 25.

(***) Geneſ. XXXVI, 2.

(****) Geneſ. XXXVI, 2. vocatur חוי, ſed pro quo חרי (*Troglodyta*) legendum ſuſpicatus ſum, quia, qui Chitthaeus eſt, non idem et Chivvaeus eſſe poterat: duae enim diverſae Phoenicum gentes. Chitthaeus autem pater alterius uxoris Eſavi fuiſſe dicitur Geneſ. XXVI, 34. quamquam ibi Juditha alio nomine vocatur, quae hic Oholibama, errore librariorum? an quod duplex erat nomen his feminis, quorum altero Arabes utebantur, altero Iſraëlitae? Multi ſacris literis celebrati ita binomines, aliter eos Hebraeis vocantibus, aliter Arabibus.

non in Palaestina et Phoenice, sed in Arabia ad mare Erythraeum fuisse, unde mercaturae opportunitate allecti, colonias in Palaestinam dimiserint, et condiderint emporia, ac tota deinde regione potiti sint. Ipsius verba adscribo, quibus statim in operis initio ut acceptum a Persis refert: Φοίνικας ἀπὸ τῆς Ἐρυθρῆς καλεομένης θαλάσσης ἀπικομένους ἐπὶ τὴν δὲ τὴν θάλασσαν, καὶ οἰκήσαντας τοῦτον τὸν χῶρον τὸν καὶ νῦν οἰκέουσιν, αὐτίκα ναυτιλίῃσι μακρῇσιν ἐπιθέεσθαι: i. e. *Phoenicas a mari rubro ad hoc nostrum profectos, eamque regionem, in qua adhuc habitant, occupantes, longinquis continuo navigationibus se dedisse.* Similiter Justinus, L. XVIII. c. 3. *Tyriorum gens condita a Phoenicibus fuit, qui terrae motu vexati, relicto patrio solo, Assyrium stagnum* (lacum Tiberiadis) *primo, mox mari proximum litus incoluerunt, condita ibi urbe, quam a piscium ubertate Sidona appellaverunt.*

Haec aliqui damnarunt, Mosis se auctoritatem sequi putantes: ille vero non solum nuspiam contraria tradidit Herodoto, sed et aliud agens magnopere et confirmavit, quae Herodotus habet, et illustravit: qua de re copiosius in commentationibus *de troglodytis Seiritis* §. 3. 4. 5. 6. et *de Nomadibus Palaestinae* §. 4. egi, hic pauca repetam, novumque rei testem ex Oriente addam.

Ipse ergo Moses, bis in vita Abrahami scribens, Cananaeos TUNC in Palaestina habitasse (*), neque illud TUNC suo tempori opponere putandus, quippe quo tota Palaestina Phoenicum erat a Josua demum debellandorum, ut

(*) Genes. XII, 6. XIII, 7.

ut notum sumit, alias olim Cananaeorum sedes, aliosque Palaestinae incolas fuisse. Deinde troglodytarum aliquam describit antiquissimam gentem, quae ante Esavum in Idumaea habitavit (*), memoratque, ex hac gente fuisse Oholibamam, Anae filiam, neptem Sibeonis (**), quam matrimonio Esavus duxerit (*,*). Haec autem Oholibama sine dubio Cananaea: namque et pater ejus, Chivvaeus, aut potius Chitthaeus dicitur (*,**), et Moses ipse narraverat, tres uxores duxisse Esavum, duas Cananaeas, unam Abrahami ex Ismaële neptem. Genes. XXVI, 34. 35. XXVIII, 8. 9. Jam cum nemo Oholibamam, cujus stirps Troglodytica, pater Ana, avus Sibeon, proavus Seir, memorantur, Abrahami neptem filiamque Ismaëlis habiturus sit, sequitur, ut sit ex duabus Cananaeis Esavi uxoribus altera. Quod si est, Troglodytae, qui ante Esavum in Idumaea habitarunt, Cananaei erunt.

Haec scribenti novus se offert, nec antea auditus testis, Abulfeda, ex cujus insigni loco constat, in ea Orientales opinione fuisse, ex Arabia egressos Cananaeos eas Syriae partes, quas deinde habitarunt, occupasse. Syria Arabice شام (*Scham*), i. e. *Sinistra*, vel *Borealis*, dici-

(*) Genes. XXXVI, 20 - 30.

(**) Genes. XXXVI, 25.

(*,*) Genes. XXXVI, 2.

(*,**) Genes. XXXVI, 2. vocatur חוי, sed pro quo חרי (*Troglodyta*) legendum suspicatus sum, quia, qui Chitthaeus est, non idem et Chivvaeus esse poterat: duae enim diversae Phoenicum gentes. Chitthaeus autem pater alterius uxoris Esavi fuisse dicitur Genes. XXVI, 34. quamquam ibi Juditha alio nomine vocatur, quae hic Oholibama, errore librariorum? an quod duplex erat nomen his feminis, quorum altero Arabes utebantur, altero Israëlitae? Multi sacris literis celebrati ita binomines, aliter eos Hebraeis vocantibus, aliter Arabibus.

citur, ſeptentrionem enim a laeva manu habere olim ſibi videbantur Arabes, faciem orienti ſoli obvertentes (*). Hujus ergo nominis rationem redditurus Abulfeda, ita dictam putat Syriam, quod Cananaei ab Auſtro in eam intrarint, utpote ſibi antea borealem, ſitam enim Arabiae regionique Meccanae verſus ſeptentrionem. Verba ipſius, pagina 5 deſcriptionis Syriae, haec ſunt: وانما سمي شاما لان قوما من بني كنعان تشاوموا اليها اي تياسروا اليها لانها عن يسار الكعبة, *nominata eſt* SCHAM, *ſeu* SINISTRA, *quod coloniae filiorum Canaan ſiniſtrorſum in illam migrarunt, utpote Caabae* (**) *a ſiniſtra* (ſeptentrione) *ſitam.*

Hic quoque locus eſt de Amalecitis (עמלק) dicendi, populo ſacris literis celebratiſſimo, quem eundem cum Cananaeo eſſe arbitror, hoc uno diſcrimine, quod qui ejus ſtirpis Palaeſtinam Syriamque incolebant, *Canaan*, qui Arabiam, *Amalec* dicerentur. Nec ſola Amalecitas nominant Hebraica monumenta, ſed ſaepius etiam atque honorificentius Arabica, quibus عمليق (*Imlic*), vel pluraliter عماليق (*Amalic*) vocantur; hiſtoricis, poëtis, poëtarum ſcholiaſtis, et genealogiis Arabum, plurimam eorum mentionem facientibus: ſupererantque ſeculo poſt Chriſtum quinto, atque adeo ſeptimo, quo Muhammedes ortus eſt, non gentes quidem, ſed tamen fami-

(*) Vide patris mei, *Chriſtiani Benedicti Michaelis, diſſ. de antica et poſtica, dextra et ſiniſtra apud Hebraeos,* quam, ſi fieri poteſt, multis auctoris adnotationibus auctam, cum reliquis ejus diſſertationibus junctim recudi faciam.

(**) Caaba proprie eſt templum Meccanum, deinde tota regio circumjecta. Syriae oppoſita eſt Arabia, aut pars ejus Occidentalis.

familiae Arabum Amaleciticae, a caeteris satis distinctae, ex quibus aliqui insignes viri memorantur.

Ante omnia autem refellendus error, aliis jam, et maxime Relando (*), his suspectus, illis damnatus, qui Amalecitas ab Amaleco Esavi nepote, (Genes. XXXVI, 12.) ortos sumit, eadem prope fiducia, qua quis aliquando Francorum gentem inclitam fuisse legens, et Augustum Hermannum Franckium orphanotropheum Halense condidisse, ut certum sumet, Franckium illum Francorum, qui Galliam Romanis eripuerunt, progenitorem fuisse, suoque artificio gaudens, Svevis quoque, et Saxonibus, et Polonis, et nescio cui non genti, aliquem ex *Joecheri indice eruditorum* cognominem patrem inveniet. Quale si quid aliquis nostris in rebus tentaret, rideretur sane ab omnibus: sed eo valuerunt prava eorum exempla, a quibus Hebraica discimus, ut in sacris literis illustrandis talia primarii quoque interpretes errent.

Amalecitarum diu ante Esavum, atque adeo ante natum Esavi patrem Isaacum, mentio fit, Genes. XIV, 7. ubi reges ex Oriente venientes *omnem Amalecitarum terram* caedibus vastasse dicuntur. Prolepsin praetexunt interpretes, qui Amalecitas ad Amalecum Esavi nepotem referunt, denominata ab his regione qui eam Mosis tempore incolebant. Non is sum, qui nullam prolepsin patiar: haec autem vix videtur ferri posse. Si enim per

(*) Palaestinae libro I, c. XIV. quod totum caput legi ab his, qui mea legunt cupio, ne semper opus habeam monere, quibus in rebus cum Relando consentiam, in quibus dissentiam, quid ex eo sumam, quid addam. Non enim licet omnia ab eo dicta omittere, quibus si ubique Relandi nomen adscribam, *molestum* erit lectoribus.

per prolepsin ager Amalecitarum dicitur, omnino non adparet, qui homines, cujus gentis, victi aut caesi sint. Id vero non solum sua sponte est bono historico indignum: sed et a reliquo totius narrationis tenore abludit, non situs modo locorum, sed et nomina gentium victarum, indicantis. E regione haec ponam, ut statim in oculos incurrant. Victi dicuntur

Riphaei	-	in	-	*Aschtheroth Karnaim*
Susaei	-	in	-	*Ham*
Emaei	-	in	-	*Schave Kirjathaim*
Choraei seu Troglodytae	-	in	-	*monte Seir*
Amoraei	-	in	-	*Chasason Thamar.*

Quos inter medios cum legis, victores pervenisse ad *fontem Cades*, omnemque percussisse *agrum Amalecitarum*, poterisne dubitare, quin situm loci per prius indicet scriptor, gentem per posterius? Sed fac, prolepsin admitti posse, tamen Amalecitae referri ad Edomitas nequeunt. Cum his enim Israëlitae per deserta Arabiae iter facientes pacem coluerunt, fines illorum non attigerunt, innoxium quidem transitum petentes, sed illo negato alia via in Palaestinam euntes: lege etiam lata hanc finium fraternorum abstinentiam Deus praeceperat, nullaque re laedi Idumaeos voluerat (*). Contra Amalecitae primi Israëlitarum in deserto hostes, extremum eorum agmen populantes, ideoque bello a Mose impetiti, ac Josua duce caesi (**): unde lege lata aeternum Amalecitis atque internecinum bellum decernitur, nulla unquam pace finiendum (*,*).

Acce-

(*) Deut. II, 4 - 7.

(**) Exod. XVII, 8 - 13.

(*,*) Exod. XVII, 16. 1 Sam. XV.

Accedit aliud argumentum, quo, quantum equidem ſcio, nemo adhuc uſus eſt, licet in medio poſitum fuiſſe videatur. Moſis tempore antiquiſſima jam habebatur gens Amalecitarum, Bileamo, *primitiae gentium* dicta: (ראשית גוים Num. XXIV, 20.) ab Eſavi autem nepote conditus populus, ſi modo Moſis tempore populus jam fuit, antiquis accenſeri non poterat, ſed recens vix prima pueritia pubescebat.

Nec minor Amalecitarum antiquitatis gloria apud Arabes, ut non Iſmaëlitae ſolum, ſed et ipſi Joctanitae recentes illis videantur, Amalecitis comparati. Primo enim cum antiquiſſimis Arabiae populis, Aditis et Themudenis, Amalecitas componunt: deinde cum Arabiae incolas in duo genera dispeſcant, *Arabum Aboriginum* (العرب العاربة) et *Arabum factorum*, (المتعربة) in eo omnes conſentiunt, ut Amalecitas in Aboriginibus numerent, Ismalitas in factis Arabibus; quin aliqui ita diviſionem gentis inſtituunt, ut ſeptem modo tribus, in quibus Ad, Themud, et Amalec, Aborigines dicant, ipſosque Joctanitas ad factos Arabes referant (*). Jam ſi Iſmaëlitis antiquiores Amalecitae, non poſſunt nepotem Eſavi conditorem habere: Joctanitas autem ſic demum antiquitate vincent, ſi Cananaei ſint: Canaan enim tertius a Noacho eſt, Joctan ſextus.

Denique ſi quid Arabum hiſtoricis fidei in populo Arabiae indigena, non poſſunt Amalecitae ad Abrahami poſteros referri: a Chami enim filio Amaleco, progeniti feruntur (**).

Hos

(*) Pocokii *Specimen hiſtoriae Arabum*, pag. 39. Herbelot bibliotheque Orient. p. 110.

(**) Herbelot, bibliotheque Orien-

Hos ergo Amalecitas, Arabiae aborigines, Cananaeos fuisse arbitror, his ductus argumentis. Primo Arabes incolas Palaestinae, quos Israëlitae expulerunt, Amalecitas vocant, quorum et volunt coloniam in Africam ad mare mediterraneum iisse (*), quod de Phoenicibus a Josua fugatis Procopius memoriae prodidit.

Deinde pro rege Maachae (מעכה) seu Epicaeri, quam urbem Cananaeorum fuisse ex Deuteron. III, 14. Jos. XII, 4. 5. XIII, 11. 13. certum est, LXX interpretes *regem Amalecitarum* ponunt: quod indicio est, Cananaeos qui ibi terrarum habitabant, Amalecitas vocatos fuisse. Concinit psalmus LXXXIII, in hostibus Davidis Amalecitas numerans, non nominatos ab historicis sacris, nisi Maachatenses sint. Sed id uno verbo innuisse sufficiat, copiosius expositum in historia belli Nesibeni §. XV. XVI. (**).

Est hic quoque Philonis facienda mentio, cui Amalecitas Phoenices vocari Relandus scripsit. Exstat locus in libro de vita Mosis, pagina 115. Tomi II. editionis Man-

rientale, pag. 110. *Amlak, fils de Cham, fils de Noë, père d'Ad, et Ayeul de Scheddâd.*

(*) Herbelot ibidem: *les Musulmans donnent le nom d'Amaleca ou d'Amalecites aux Geans, qui habitoient la Palestine ou terre de Chanaan, lorsque les Israëlites en prirent la possession. -- Les Orientaux prétendent, que ceux qui habitent la Barbarie descendent aussi des Amalecites. Cela est conforme au Sentiment de quelquesuns de nos auteurs, qui parlent d'une colomne trouvée en Barbarie avec une Inscription qui témoignoit, que ces peuples etoient de ceux, qui avoient été chassez par Josué le Conquerant de la Palestine.* Vide et Relandi Palaestinam p. 82.

(**) Vide commentationes meas Societati Scientiarum annis 1765 - 1768. praelectas, pag. 99. 103. 104. 105.

Mangeyanae, ubi bellum cum Amalecitis, quod Mofes Exod. XVII. narrat, allegorice interpretatur. Ut tamen candide agam, non diffimulabo, poffe verba Philonis aliter accipi, illosque Phoenices intelligi, in quorum terram Ifraëlitae contendebant. Nec enim cum Phoenicibus pugnaffe Ifraëlitas, Mofe manus ambas ad coelum elevante, narrat, fed, ἤδη πολλὴν, inquit, καὶ ἀπόρευτον διεξεληλυθότων, ὅροι τινὲς ἀναφαίνονται γῆς οἰκουμένης, καὶ προάστεια χώρας, εἰς ἣν μεθωρμίζοντο· νέμονται δ' αὐτὴν Φοίνικες: i. e. *inviis locis diu peragratis, fines tandem adparebant terrae cultae*, (Amalecitidis) *et tanquam fuburbana illius regionibus, in quam migrabant: habitant autem* ILLAM *Phoenices*. Dubium hic, utrum, *habitant illam Phoenices*, ad terram cultam quam in deferto inveniebant, an ad regionem in quam migrabant, referendum fit: quare hunc teftem ut incertum cito.

Sed majorem forte fubftituere licet, Mofen, qui Numer. XIII, 29. exploratores Palaeftinae haec de ejus incolis retulifle fcribit: *Amalecitae habitant in terra Auftrali*, (נגב) *Chitthaei, Jebufaei et Amoraei in montano tractu, et Cananaei* (anguftius fumto nomine, de quo videndus Relandus pag. 139.) *ad mare et Jordanem.* Hi vero omnino de Phoenicibus in plures gentes minores dispertitis loquuntur, nec enim vicinos fed incolas ejus terrae, quam Cananaeis erepturi erant Ifraëlitae, exploratum miffi fuerant. Quin eundem illum auftralem tractum, נגב dictum, Cananaeis eripuit Jofuas, tribuique Judae affignavit.

De-

Denique quae de Amalecitis tradunt Arabes, optime Cananaeis conveniunt. Aborigines illi feruntur Arabiae, qui eam ante Iſmaëlem, atque adeo ante Joctanem habitaverint. Veriſſimum hoc de Cananaeis, quorum patriam et primaevas ſedes Arabiam fuiſſe, ſupra mihi perfeciſſe videor: Canaan autem, tertius a Noacho, et Joctane, ſexto, et Iſmaële, duodecimo, multo antiquior. - - Amalecum Chami filium faciunt Arabes, Moſes Canaanem. - - Philiſtaeos ad Amalecum referunt Arabes, ipſumque adeo Goliathem (*). Id quidem Moſi contrarium, qui Philiſtaeos ex Aegypto arceſſit: ſed tamen vel ex hoc ipſo errore adparet, Phoenices Arabibus Amalecitas viſos eſſe, ad hos enim veriſimillimo errore Philiſtaei referri poterant. - - Licetne et hoc addere, cum Cananaeis et Amalecitis, nec ulla alia cum gente, bellum nullo ſeculorum decurſu finiendum a Moſe ſanciri.

Ortos autem a Canaane cum dico Amalecitas, non id volo, nihil omnino discriminis Cananaeos inter et Amalecitas fuiſſe, quod loca Num. XIV, 43. 45. arguere fateor: ſed cum una origine gens eſſet, puto, eos qui in Syria et Palaeſtina habitabant, Cananaeos, qui in Arabia, Amalecitas appellatos eſſe. Nuspiam enim Amalecitae niſi in Arabia: nuspiam Cananaei niſi in Palaeſtina et Syria, ſolis Eſavi uxoribus exceptis (Geneſ. XXVIII, 8.). Quae forte nominis diverſitas inde orta, quod ipſe gentis progenitor duplici apud poſteros nomine vocaretur. Multi enim ex illuſtribus viris, in ſacro codice commemoratis, ita ſunt binomines, ut aliter ab Hebraeis inque Palaeſtina vocentur, aliter ab Arabibus: qua de re forte erit agendi locus. Hic obiter monere liceat, quae de uxoribus

(*) *Herbelot pag.* 110.

bus et soceris Esavi Moses habet, contradicere sibi visa, Genes. XXVI, 34. XXXVI, 2. 3. conciliari inter se facillime posse, si sumas altero loco nomina poni apud Hebraeos, altero apud Arabes usitatiora.

GENES. X, 7.

ובני כוש סבא

Et posteri Aethiopum erant, primo, Sabaei, etc.

* * *

De his Sabaeis ita egit, magnus multis in rebus, Bochartus, libr. IV. c. 8. ut eum legisse poeniteat. Nihil enim omnino dixisse videtur; nihil certe, quod ad quaestionem, quae hic tractanda est, pertinere possit: id unum pro certo sumens, nullam Cuschaeorum coloniam in Africa quaerendam esse, quia Cuschaeos ipsos Africae abjudicaverat. Hic illum primus error ubique transversim egit.

Nempe tres in hoc uno capite memorantur Sabaeorum populi,

1) סבא qui Cuscho filii assignantur,

2) שבא hoc ipso in versu, Cuschaei illi quoque, sed Rhegmaeorum colonia, atque, ut ita dicam, nepotes Cuschi.

3) שבא versu 28, Joctanis posteri, quibus sine dubio in Arabia Felice patria est concedenda:

hique populi in latina scriptione non a se invicem dignoscendi, nisi lubeat ש Germanorum more SCH scribere, Salomonis adhuc tempore nominum diversitate noscita-

 ban-

bantur. Teſtis eſt locus pſalmi LXXII, 11. מלכי שבא וסבא, *reges Schabaeae et Sabaeae munera offerent.*

Haec cum ita ſint, noſtro populo, סבא, a Cuſchaeis orto, ſedes Bochartus in ea Arabiae parte ſortitur, quae ad ſinum Perſicum pertinet, geographisque Arabicis *Oman* vocatur, nullo alio ductus argumento, quam quod Omanitae vicini ſint Jemamitarum, Jemamitae autem, teſte Camuſo, genus ad *Sebam Chuſi filium* referant (*). Fac, id verum eſſe, conſequens erat, ut in Jemama, non ut in vicina Jemamae Omanitide Sabaei noſtri quaerendi ſint. Verum teſtis a Bocharto excitatus nihil omnino earum rerum dicit, quas referre perhibetur. Haec enim ejus verba ex Giggeo deſcribit Bochartus: סבא *vir quidam, qui tribus Jemamitarum collegit*, quod ipſe pro arbitrio interpretatur, qui gentem eorum condidit. Ego vero facile conceſſerim, aliquem in Jemamitis Sabam fuiſſe, qui tribus eorum collegerit: isne vero conditor gentis? isne progenitor? Tribus diſperſas qui colligit, eo tempore vivit, quo populus in plures jam tribus crevit, unde progenitor populi neutiquam eſſe poteſt. Ve-

(*) Verba ipſa excerpo, ne confingere videar, quae Bocharto excidere potuiſſe vix eſt veriſimile. *Omanitis, quorum ſedes eſt circa Om amnem, - - confines eſſe Jemamitas, Nubienſis docet. - - Hi genus ſuum referunt ad Sebam Chuſi filium, cujus nomen ſcriptum per Samech.* Hoc quoque, quod de ſcriptione habet, erroris eſt grammatici, ac forte fons reliquorum errorum. Sin Arabum (س) cum Samech Hebraico contulit, licet ea lex ſit utriusque linguae, ut mutatis quaſi ſtationibus Sin Arabum ponatur, ubi Hebraei Schin habent, ac contra Schin ponant Arabes pro Sin et Samech; quae quidem non ſine exceptione, ſed tamen regula eſt. Id non obſervaſſe multis ac magnis viris fraudi fuit.

Verum haec eſt illa moleſta ratio, quam non Bochartus ſolum, ſed plerique in Hebraicis tenent, ut, ſi de populo disputetur, ſtatim aliquem quemcunque arripiant eodem nomine appellatum, huncque patrem populo praeficiant, Amalecum, ut ſupra vidimus, Eſavi nepotem, multo antiquioribus Amalecitis. Ego vero in tanta geographiae antiquae Arabicae obſcuritate ignorare mallem, ubi Sabaei Cuſchaei a Joctanitis diverſi habitarint, quam fatui ignis indicia ſequens deludi.

Ille tamen unus, quem adeo ſprevit Bochartus, ut ne verbis quidem ejus relatis, nec refutatum, repudiaret (*), Joſephus, in aliqua veri veſtigia ducturus videtur: nec eo quidem loco, ubi origines gentium explicat, capitisque decimi Geneſis interpretem agit, ſed obiter, vitam Moſis ac facta exponens. Aethiopes enim bello ab Aegyptiis Moſe duce impetitos, ultimum confugiſſe narrat in urbem Sabam, quam poſtea Meroen in honorem ſororis Cambyſes adpellaverit. *Καὶ τέλος*, inquit L. II. Antiqu. c. X. §. 2. *συνελαθέντες εἰς Σαβὰ, πόλιν βασίλειον οὖσαν τῆς Ἀιθιοπίας, ἣν ὕστερον Καμβύσης Μερόην μετωνόμασε, ἀδελφῆς ἰδίας οὕτω καλουμένης, ἐπολιορκοῦντο.* Hic, ut concedam, atque ultro largiar, bellum illud Aethiopicum ad fabulas Judaicas referendum eſſe, et ad interpretationem loci Numer. XII, 1. confictum (quia enim Cuſchaeam in matrimonio habuiſſe Moſes dicitur, Tharbis ei apud Joſephum nubit, regis Aethiopum filia, amore hoſtis regiam urbem oppugnantis deperiens), id tamen vel ex fabula liquet, Judaeos

(*) Libr. IV. c. 3. in initio.

os partem Aethiopiae Africanae intimam, Meroen dictam exteris, Sabam appellasse. Nec veri dissimile, Aethiopes Africanos, qui ex Arabia trajecerant, suam quoque Sabam habuisse, cognominem Arabicae: ut solent coloni urbibus, regionibus, fluminibus, nomina ducere ab his, quibus in patria adsveverant. Id quidem certum, ut Arabes Sabaeae suae, rivo olim nobilitatae ac fertilis, primariam urbem Maribam dicunt, ita et Aethiopes suum Maribam, fluvium arenis haustum, habere (*). Nihil ergo veri dissimile cum narret Josephus, nec videri possit, nostri loci explicandi gratia aliquid confingere, sed aliud agens tradat, Meroën olim Sabam fuisse: quid est, cur illi fides non sit habenda? Quod si autem aliqua Aethiopiae Africanae aut urbs aut regio Sabae nomen habuit, eam hic intelligendam esse arbitror, ubi colonias Cuschaeorum Moses enumerat, quos ex Arabia in Africam trajecisse vidimus.

Meroën cum Sabam fuisse Josepho credam, non possum omnino de ejus situ silere, licet longam ingredi disputationem haud lubeat. Notum ex veteribus, Meroën (insulam Nili dicunt), reginis paruisse, quarum commune ac perpetuum nomen *Candace* fuit, unde eu-

nu-

(*) Voyage historique d'Abessinie du R. P. Jerome Lobo, par Mr. le Grand, T. I. p. 269. *Le Mareb*, verba sunt patriarchae Alexandrini, a Grandio in compendium redacta, *prend sa source à deux lieux de Debaroa, et apres un assez long cours, il tombe d'un rocher de trente coudées de haut, et se cache sous terre. Mais l'hyver il prend son cours entre les provinces de Saroa et d'Assa, d'Harve de Tooat, passe au pied du monastere d'Alleluya, et apres avoir parcouru une partie de ces païs barbare, il se perd.* Invenies eum in delineatione Abessiniae ei libro adjecta, longit. 67 - 70. latit. 15. 16.

nuchum Candaces reginae Aethiopum, cujus Act. VIII, 27. mentio fit, Meroënsem fuisse constat. Jam Jobus Ludolphus in historia Aethiopica negat, eunuchum illum Abessinum fuisse, quod Abessini feminam regnare non patiantur (*). Contra Tellezius, ac nostro quoque tempore LE GRANDIUS in dissertatione quam Lupi itinerario Abessiniae subjunxit (**), in ea sunt sententia, Meroën, insulam antiquis visam, eam esse peninsulam, quam Nilus a fonte suo recens efficit, ac prope totam flexuum ambagibus complectitur, quaeque unum est ex Abessiniae regnis, uni jam Neguso subjectis, *Gojam* dictum, quo de argumento dignus est, qui ab omnibus harum literarum cupidis legatur.

Mihi quidem haec tota lis mensurando ac computando componi debere videtur. Peninsula *Gojam*, non dubia pars Abessiniae, in delineatione geographica Lupi itineribus

(*) L. II. c. 4. *Sub Bazeno Christum natum minus ambigitur. Nulla hic mentio fit reginae Candaces, quam Aethiopum nonnulli pro sua agnoscunt, in eo sibi contrarii, quod nullam feminam sceptri Aethiopici capacem ex statuto supra allegato censent. Potius est ut locum illum Act. VIII, 27. de alia Aethiopiae parte Aegypto contermina, speciatim de insula Meroë accipiamus, in ea enim quondam regnasse feminam Candacen Plinius testatur.* Grave, non diffiteor argumentum: responderi tamen poterat, Abessiniam, ut nunc in plura regna dividatur, ita forte olim et plures reges habuisse, ex quibus Bazenus unus fuerit, alia Candace, Meroënsis Abessiniae regina. Quid? si recentior sit illa Abessinorum lex, feminas regno arcens? aut unius modo ex illis regnis, quae postea in unum coierunt?

(**) Copiosius hoc argumentum tractat, sententiamque dictam contra Tellezium defendit Ludolphus, in *commentario ad historiam Aethiopicam antea editam*, pag. 88 - 93.

bus adjecta, atque ex Jesuitarum observationibus, a gradu decimo usque ad 12½ pertinet; tota autem Abessinia a decimo usque ad decimum quintum porrigitur, sub quo gradu limites sunt regni Sennaar. Jam cum Meroë ad Nilum sit, id unum quaerendum, in hosne gradus latitudinis ex veterum narrationibus incidat, de longitudine enim prorsus non laboro, quam veterum libris, Ptolemaeoque, ubi de intima Africa quaeritur, nemo crediderit. Jam haec occurrunt latitudinis ac climatis indicia:

1) Plinio auctore constat, 873 passuum millia supra Syenen sitam fuisse Meroën. Sic ille, praemissis incertis aliorum relationibus, certa et explorata daturus (*): *verum haec omnis nuper finita disputatio, quoniam a Syene DCCLXXIII mill. Neronis exploratores renuntiavere, his modis. A Syene Hieran*
54 *Sycaminon LIV millia passuum. Inde Tama LXXIV*
74 *millia passuum. Regionem Euonymiton, Aethio-*
120 *pum primam CXX. Acinam LIV millia. Pita-*
54 *ram XXV, Tergedam CVI millia. Insulam Ga-*
25
106 *gandem esse in medio eo tractu. Inde primum visas aves, psittacos, et ab altera, (quae vocatur Artigula), animal Sphingion, a Tergedo cynoce-*
80 *phalos. Inde Napata LXXX millia, oppidum in parvum, inter praedicta solum. Ab eo ad insulam*
360 *Meroën CCCLX millia. Herbas circa Meroën demum viridiores, silvarumque aliquid adparuisse, et rhinocerotum elephantorumque vestigia. Ipsum*
873 *oppidum Meroën ab introitu insulae abesse LXX*
70
943 *millia passuum, juxtaque aliam insulam, Tadu, dex-*

(*) T. I. edit. Harduin. p. 345.

dextro subeuntibus alveo. Aedificia oppidi pauca. Regnare feminam, Candacem, quod nomen multis jam annis ad reginas transiit.

Haec si ad gradus mathematicos referas, ac sumas, nullis viarum ambagibus recta semper via versus meridiem ivisse Neronis exploratores, regno Gojam conveniunt. *Octingenta enim septuaginta ac tria passuum millia*, (873000), quibus ab initio insulae abesse Syene dicitur, *undecim* circiter *gradus ac dimidium* ($11\frac{1}{2}$) faciunt (*): cumque urbs Meroë LXX millia passuum ultra initium insulae, atque adeo 943 passuum millia supra Syenen sita fuisse dicatur, Syenen inter et urbem Meroën duodecim circiter gradus et dimidius ($12\frac{1}{2}$) interfuerint. Jam si Syene, ut fere a geographis sumitur (neque hic nisi perquam modice errari (**) potest, cum fontem habuerit solstitiali die totum soli patentem, nulla umbra), inter gradum 23 et 24 posita: subtractis $12\frac{1}{2}$ et $11\frac{1}{2}$ gradibus, Meroë pen-

(*) Meis rationibus cum in mensuris non confiderem, nec vellem solum Hasaeum sequi, 75 millia passuum uni gradui adsignantem, illustrem Kästnerum interrogavi, et vel sic intellexi nihil magni erroris in $11\frac{1}{2}$ gradibus esse. Docebat enim mille passus Romanos aequare 767 aut 765 perticas Parisienses (toïses), gradui autem modici erroris periculo dari posse 57107 perticas. Ita prodibunt, si curiosius quam opus est computem, $11\frac{36137}{57107}$ gradus. Intervallum Syenen inter et Meroën urbem ultra Nilum in media insula sitam, si computes, 943 millia passuum facient $12\frac{34581}{57107}$ gradus, id vero circiter redit ad XII gradus et dimidium.

(**) Modico errori locum relinquendum arbitror, ob fractionem radiorum, qui in puteum humores exhalantem incidunt, quod a nemine geographorum moneri mirum est. Consultus a me hoc de erroris metu Käst-

peninſula ubi incipit in duodecimum, urbs Meroë in undecimum gradum incidet, id vero eſt in ipſiſſimum regnum, peninſulamque orientis Nili, Gojamam.

Atque haec quidem pro Gojama dici poſſunt: verum non eo pertinent, ut Meroën Gojamam eſſe neceſſe ſit, ſed ut poſſit Gojama eſſe, niſi aliud quid obſtet. Quis enim tam ſit audax, ut nullo teſte ſumat, primo, Meroën ſine ulla declinatione perfecte verſus Auſtrum ſitam, ſeu, ut aliis verbis utar, ſub eodem meridiano poſitam eſſe, ſub quo Syene (*)? deinde exploratoribus Neronis nullas unquam omnino viarum ambages faciendas fuiſſe, idque in horrido et inculto deſerto, nunquam eorum iter a recta linea deflexiſſe? Horum autem ſi alterutrum eſt, ſi ambages in deſerto faciendae fuerunt, nec via aliqua tanquam ad regulam munita fuit, aut ſi Meroë alium quam Syene meridianum habuit, omnino nequeunt illa 873 et 943 millia paſſuum certa aeſtimatione ad gradus latitudinis referri. Cogita tibi Africae intima, jam abrupta montibus, jam alia ratione invia, et per quae proficiſcentibus neceſſe eſt, magna ſaepe declinatione loca exquirere, in quibus ſcaturigines, aut aliquid pabuli, aut homines: atque

Käſtnerus juſtum illum eſſe cenſebat; quod addo, ne lectores mathematum expertes, eum protinus damnent; idem tamen confirmabat, non niſi perquam modicum eſſe poſſe.

(*) Ne veteres quidem id dicunt: Ptolemaeo enim pag. 108. et 113. Meroë eſt ſub longitudine 61 grad. 30 min. Syene 62 graduum. Ac forte majus etiam diſcrimen. In longitudinibus Ptolemaeo parum tuta fides.

que suspicari incipies, magnis ambagibus exploratores Syene Meroën ivisse.

Ergo quae exploratores de 873 et 943 millibus passuum habent, ea situm Meroës non definiunt. Potuit in Gojama fuisse, potuit et extra illam.

2) Clima primum, sub quo dies maximus XIII horarum est, Ptolemaeo aliisque veterum ΔΙΑ ΜΕΡΟΗC dicitur, quod per urbem Meroën ille transire circulus credebatur: poli ergo altitudinem cum ex dierum longitudine rationibus efficerent, urbi de qua quaerimus, altitudinem poli, seu latitudinem, 16 graduum et 26 minutorum adsignarunt. Sic quidem non solum Gojama esse nequit, sed omnino extra Abessiniam quaerenda erit: sub gradu enim circiter decimo quinto Nilus ex Abessinia in regnum Sennaar influit. Sed falsas illas esse Ptolemaei rationes mathematicorum nemo ignorat, maxime quod refractionem in calculis suis omitteret (*), unde Ricciolus ita correxit, ut sub gradu 15, min. 36. sita Me-

(*) Ricciolus, L. VII. geographiae reformatae, c. 8. *erroneam*, inquit, *inde altitudinem poli deduxit, ob refractionem omissam, usumque horarum primi mobilis potius quam solarium, et ob assumtam niniam obliquitatem eclipticae; praeter errorem qui saepe latet in observatione diei maximae, crassiuscule observatae.*

In longissimo autem Meroënsium die eo magis diffido observationibus, quod ignoti, mathematici dicam? an hominis? sunt, paucique Meroën adierunt, de quibus Plinius eodem in capite, cujus partem supra excerpsi, retulit. Simonidi minori, quem quinquennium in insula Meroë moratum narrat, cum de Aethiopia scriberet, uni omnium maxime crederem: sed quid ille scripserit, omnino ignoramus.

Meroë videatur. Sed vel ſic Gojama eſſe nequit, quae ante gradum 13 deſinit: poſſit tamen ſi velis in vicinia Abeſſiniae illa in peninſula ſita fuiſſe, quam Maleg fluvius ab Occidente in Nilum influens circa gradum decimum quintum efficit, aut ad fluvium Maribam.

3) Alter locus Plinii L. II. c. 70. §. 71. qui aliquid aſtronomici de ſitu Meroës promittit, ita vagis conceptus eſt verbis, ut mathematico latitudinem inde computaturo, deſperandum ſit: *in Meroë ſolſtitio Canopus veſperi paulisper adparet*, (hoc, paulisper, quid eſt? quod temporis ſpatium exacte ſignificat?) *paucisque ante exortum Arcturi diebus pariter cum die cernitur*. Conſului tamen, ne quid intentatum omitterem, illuſtrem Kaeſtnerum, ſed idem mecum de definienda inde latitudine deſperabat. At ſuppeditavit

4) alium Plinii locum, obſervationem aſtronomicam Meroënſem habentem, quae, licet ipſa ſibi quodammodo contradicat (Plinii culpa? an librarii?), aliqua tamen ſervare videtur veri veſtigia. *Rurſus*, inquit libro II. c. 73. §. 75. pag. 110. *in Meroë*, (*inſula haec caputque gentis Aethiopicae, quinque millibus ſtadiorum a Syene in amne Nilo habitatur:*) *bis anno abſumi umbras, ſole duodeviceſimam tauri partem, et quartam decimam leonis obtinente*. Monebat me Kaeſtnerus, ſi prius de decima octava tauri parte verum ſit, prodire inde latitudinem paulo majorem quam XVII graduum, ſin poſterius de decima quarta parte leonis, ſequi, ut ſub latitudine XVI graduum et XL minutorum Meroë

roë ſita fuerit. Sumam, ſi licet poſterius, quia obſervato ſecundo de longitudine ſolſtitialis diei convenit. Videbitur ergo modici erroris cum beneficio ſub gradu decimo ſexto Meroë quaerenda eſſe.

Jam ex his quid efficiam exponam. Primo peninſula Gojam, a gradu latitudinis XVII, XVI, atque adeo XV, nimis remota, atque ne ad gradum quidem XIII pertingens, non poteſt eſſe Meroë, ſi qua fides delineationibus geographicis optimis. Dabo, delineationes Abeſſiniae non ubique adcuratas ac veras eſſe: nimis tamen magnus error, ſi Gojama, a 10 usque ad 12½ gradum delineata, decimo quinto, aut decimo ſexto, ſive adeo decimo ſeptimo gradui ſubjecta ſit. Certe ii ipſi Jeſuitae, qui Gojamam volunt Meroën eſſe, his eam gradibus non ſubjecerunt, ſed aliam a ſuis latitudinem obſervatam memorant, hac parte αὐτοκατάκριτοι. Sed haec mea dubia confeſtim damnabo, ſi quis me doceat, alium ſitum regni Gojam eſſe, quam qui in ipſa LE GRANDII delineatione expreſſus eſt. Sed LE GRANDIO aliis omnibus argumentis pro Gojama uſo, ne in mentem quidem venit, gradus latitudinis Gojamae cum his conferre, quos Meroë ex obſervationibus aſtronomicis habitura erat.

Ipſane Axuma poteſt alio nomine Meroë eſſe? Latitudo non multum abludit, eſt enim, ut habet Ludolphus L. II. hiſtoriae Aethiopicae, c. II. *ſita in decimo quarto et dimidio gradu latitudinis.* In vicinia ejus fluvius eſt, Mariba, ut Sabam Africanam hic ſperare poſſis. At non eſt inſula! nec peninſula! Fateor, ſed hoc me in Abeſſinia dubium parum habebit ſolicitum. Magna enim Abeſſiniae pars, advenis ex Aegypto inſula videri potuit, quod aeſtivis pluviis innumeri rivi in flumina creſcunt: ipſeque

ille Mariba fluvius, ſi aeſtivis pluviis tumidus per aliquot menſes arenas, quibus plerumque ebibitur, ſuperans, in Tacazam influeret, peninſula foret illa regni *Tigr* pars, in qua Axuma ſita. Nilus non alluit Axumam; et hoc fateor: ſed in Abeſſinia nullus, ut ita dicam, Nilus, ſed plures fluvii in unum Nilum confluentes, monentque, qui eam deſcripſerunt, extra Abeſſiniam demum hos fluvios omnes in unum majus flumen confuſos, Nili nomen accipere. Sed hoc utcunque ſit, Axumam a Meroë diſtinguunt veteres, eſtque apud Ptolemaeum, libro IV. c. VIII. p. 113.

	Longitudo		Latitudo
Meroës -	61 · 30	- -	16 · 26
Axumae -	65 · 30	- -	11.

ingenti utriusque urbis intervallo, ſed latitudine Axumae ſine dubio vitioſa, ſi quae nunc id nomen habet urbs regni Tigr Axuma veterum fuit.

Nihil adfirmo. Forte in ea, quae nunc ita dicitur Nubia, nimis nobis incognita, quam ut negare quidquam aut adfirmare audeas, aut in regno Sennaar, ſub gradu 15 aut 16, aut ſi malis 17, ſita illa Meroë fuit, quam Joſephus Sabae nomen habuiſſe volebat. Nec obſtrepo Voſſio, qui urbem *Baroo* ſub gradu latitudinis 16, et 23 minutis, Meroën volebat: ſed in tanta geographiae illarum terrarum obſcuritate et ignorantio, dubito, donec aliquid certae lucis adfulgeat. Nec tamen nihil actum puto, erroribus refutatis, excluſaque Gojama et Axuma.

Ad סבא revertor poſt longum divergium. Pſeudojonathan in Pentateucho, atque Chaldaeus chronicorum interpres, *Sinraeos* (סינראי) vertit, quod mendoſum, atque a Beckio felici conjectura reſtitutum eſt, סינדאי

סינדאי, *Sindi.* Solent nempe Orientales *Sind* et *Hind* componere, eoque nomine Indiam complecti ab utroque Indi fluminis latere sitam (*). Ut ergo Hindiam et Sindiam Orientales componunt, ita hic statim post סינדאי apud Chaldaeum interpretem sequuntur הנדקויא *Hindicoje*, i. e. Indi, ut facile agnoscas, non ignotos eum Sinraeos, sed Sindos, nominasse.

Nulla quidem ratio adparet, cur Sabaei nostri, Sindi, et qui sequuntur Chavilaei, Indi haberi debeant. Sed in sequente etiam versu videbimus, plures ex Orientalibus in eo consensisse, ut Sindos Indosque Cuschaeorum colonias facerent, in quo nigredinem coloris eos secutos existimo. Abulpharagius quoque pagina 17. historiae dynastiarum, Chami filiis cessisse ait, *quidquid versus Austrum est, tractus nempe Africae, et Zing, Aegyptumque, Nubiamque, Abessiniamque, atque Sind et Hind:* (والسند, والهند) idque, ex eo? an aliunde sumtum? Persici quoque scriptores tradere solent.

* * *

וחוילה *Et Chavila.*

Duplex eodem nomine populus, noster, aliusque Joctane ortus (v. 29.), in genealogia gentium Mosaica memoratur: neuter autem illam habitasse Chavilam videtur, quam Phasis paradisi fluvius circumibat, atque a reliqua sejungebat Asia. Genes. II, 11.

Jonathan in versione nostri capitis, ac paraphrastes chronicorum, ut jam antea dixi, Indos intellexit, partim,

(*) HERBELOT biblioth. Orient. p. 447. et 804.

tim, ut videtur, cutis similitudinem sequutus, ac credens, omnes Nigritas ejusdem stirpis esse, partim locum Genes. II, 11. explicare cupiens. Cum enim Chavilam paradisi ut auri ditissimam, magnoque praetentam fluvio Moses descripsisset, Arabia autem fluminibus careat, de India ibi Jonathan cogitavit, vertitque: *nomen fluminis primi est Phison, qui omnem Indorum terram* (הינדיקי) *ambit, ubi aurum est. Aurum vero illius terrae est lectissimum.* Conjectura non inepta, et plerisque reliquis praeferenda: Indus enim ex eodem oritur montium jugo, auri ditissimo, ex quo et Gihon, in fluviis paradisi numeratus, erumpit. Obstat tamen primo quod nimia futura sit paradisi magnitudo, si Euphrate et Indo rigabatur: deinde, quod nullum nominis *Chavilae* in India, ac *Phison* in Indo, vestigia hucusque reperta sunt, nisi forte Hyphasin, qui in Indum ab Oriente illabitur, Phisonem facere tentes.

Gaetulos intellexit Josephus, in qua explicatione praeter conjecturam quidquam esse non video.

Arabicus interpres, cum noster tum chronicorum, *Zavila* (زويلة) vertit, quod nomen et Genes. II, 11. XXV, 18. pro Hebraico Chavila posuit. Quam autem Zavilam intellexerit, pro certo non adfirmem. Est aliqua Nigritarum Occidentalium Zavila (*), de qua cogitare potuit, Cuschaeorum coloniis sedes quaerens: est et Zablestan (**), Indiae interioris, quam Sindiam vocant, regio, quam si voluit Arabs, cum Jonathane Chavilam in India, ejusque amoenissima parte, paradiso apta, quaesivit.

(*) *Herbelot* p. 924.

(**) *Herbelot* p. 918. In delineatione Asiae d'Anvilliana invenies sub gradu long. 85. lat. 35.

vit. Nec obſtat, quod *Zableſtan* per B ſcribitur: ſaepe enim Vau et Be Arabibus permutantur, ipſumque verbum Arabicum, ſono proximum, promiſcue زول et زبل ſcribitur.

Bochartus L. IV. c. XI. Chaulataeos Arabiae intellexit: ne ipſe quidem certi quid adferens. Ut enim concedam, Chaulotaeos ad Chavilam pertinere, quis quaeſo nos docebit, utrum ad Cuſchaeorum coloniam, de qua hic agimus, an Chavilam Joctane ortum (v. 29.) referendi ſint. Id vero utcunque ſit, veriſimiliora reliquis Bochartum diſputaſſe arbitror, ac malim quoque Chaulotaeos ad Cuſchi poſteros quam ad Joctanitas referre, quia Chaulotaea extra felicem Arabiam ſita.

Geneſ. XXV, 18. et 1 Sam. XV, 7. Chavila, regio Arabiae memoratur, ſed iterum incertum, utrum noſtra ſit, an Joctanitica.

* * *

וסבתה *Et Sabtha.*

Samaritanus pro more ſuo, סבתה omiſſa alternis copula.

De hujus nominis non ſolum vera explicatione deſpero, dum hae ſunt geographiae Africanae tenebrae, ſed et laboro in intelligendis interpretibus.

Joſephus, *Sabathes*, inquit, *Sabathenos procreavit, qui a Graecis Aſtabari* (Ἀστάβαροι) *nominantur.* Hi vero Aſtabari quinam? aut ubinam? Num forte, qui ad Aſtaboram colunt, Aethiopiae fluvium, cum Nilo confluentem? Id ſi voluit, conjecturam feciſſe videtur, non pro teſte dixiſſe.

Quae

Quae regio sit زغاوة (*Zogava*) ab Arabico interprete pentateuchi et chronicorum nominata, adhucdum ignoro. Scripsitne زغارة, *Zogara?* eoque nomine, aut antiquos Sodomorum incolas intellexit, aut accolas maris mortui? regio enim circa mare mortuum, a Zoara urbe Arabum geographis زغر et زغار dici solet, ut, in Abulfedae Syria pag. 8. 9.

Pseudojonathan et Chaldaei chronicorum interpretes, סמראי habent, id vero est, *qui circa urbem Samaram colunt.* Est autem *Samara*, seu alio nomine *Sermenrai*, urbs ad Tigrim, sub gradu latitudinis 34, quam Motassemus octavus, Chalifa, regiam sibi condidit, cum Bagdadensium civium moribus et adfectu parum delectaretur. In hujus autem Samarae vicinia, sunt, qui turrim Babylonicam conditam putent, magno quidem errore, cum Babylone ingente intervallo distet: sed videtur interpres Chaldaeus, eodem errore imbutus, viciniam turris Babylonicae uni ex posteris Cuschi adsignare voluisse, quod auctor ejus turris aedificandae, simulque totius populi rex, Nimrodus Cuschaeus fuit. Vide Herbeloti bibliothecam Orientalem pag. 752. et 808. atque Abulpharagii historiam dynastiarum, p. 18. conditam turrim ajentis, بأرض شنعار وهي السامرة *in terra Sinear, quae est Samara* (*).

Bochartus c. X. Sabataeos in Persiam traducit, mutationibus literarum usus, et plura de transpositione literarum

(*) Aliquid verae interpretationis per transennam vidit Beckius, in eo tamen falsus, quod Samaraeos putavit esse Babylonios. Sic ille ad 1 Paral. I, 9. סמראי *cum Resch, Jonathan* סמדאי *per Daleth. Sed melius noster legere videtur. Caeterum quale hoc nomen sit, apud*

rarum, deque Perſis equitandi peritia nobilitatis, quam de Sabataeis, commentatus.

Malim Sabataeos ignorare, quam illos ita fingere. In mentem mihi venit caſtelli felicis Arabiae, *Sabtan*, a Büſchingio p. 548. memorati; ſed non recordor, illud me nomen Arabicis literis ſcriptum unquam legiſſe, unde nec exiſtimare poſſum, ſitne cum nomine סבתה conferendum. Invita enim orthographia nihil tentaverim: ſolus vocabulorum ſonus in Orientalibus ſaepe nos deludit.

* * *

ורעמה *Et Ragma*, vel, *Raama*.

De hoc nomine, in Ezechielis quoque capite XXVII, v. 22. obvio, ne diſputatione quidem opus futurum mihi videbatur, cum de eo commentari inciperem. Certiſſimam enim et unice veram ſententiam a LXX interpretibus dudum dictam, atque a Bocharto ornatam, arbitrabar: illis in Pentateucho Ῥεγμα vertentibus, et hoc eam verſionem libro IV, c. V. defendente, Rhegmamque, Arabiae urbem ad ſinum Perſicum illuſtrante. Concinunt omnia, ſitus in Arabia in qua Cuſchaei habitarunt, et nomen, nec artificio aliquo grammatico depravatum, ſed plane illis Graecis literis ſcriptum, quibus רעמה exprimi fas erat. Qua de urbe utinam plura ex geographis noſtri mediique aevi ſciremus! Qui ex antiquis ejus mentionem faciunt, (quamquam ipſi pauci ſunt, ac fruſtra evolvas, qui-

apud neminem expoſitum video, niſi quod Abulpharagius, turrim Babylon in regione quadam אלסאמרה *dicta excitatam fuiſſe, quam alio nomine* שנער *dicit. Ex quo colligo Thargumiſtas huc quoque colliNeare, et per* סמראי *Babylonios ſignificare velle.*

quibus forte adſveviſti, Strabonem ac Plinium) eos Bochartus nominavit.

Ignoraſſe Rhegmam, vel, ut aliter ſcribitur, Rhegamam, plerique etiam veterum videntur. Certe LXX in Ezechiele Ῥαμμα reponunt, ſolas literas Hebraicas qualicunque ſcriptione reddituri, cum quae iſta eſſe Ramma ignorarent. Joſephus quoque, Rhegmae ut videtur ignoratione, *Rhagmaeos* vocavit, eoque nomine Africae aliquem populum intellexit, quippe cui extremos verſus Occidentem Aethiopas pro coloniis adſignavit. Ῥαγμὸς, inquit, ῥαγμαίους ᾤκισε, καὶ δύο παῖδας ἔσχεν, ὧν Ἰουδάδας μὲν Ἰουδαδαίους, Αἰθιοπικὸν ἔθνος τῶν ἑσπερίων οἰκίσας, ἐπώνυμον αὐτοῦ κατέλιπε: i. e. *Rhagmus Rhagmaeos condidit, duoque filios habuit, ex quibus Judadas Judadaeos, gentem occidentalium Aethiopum, ſibi cognominem reliquit.* Jonathan לובאי, *Libyes* habebat: chronicorum paraphraſtes, primo Libyam, ac deinde, ubi in eodem verſu recurrit, FILII RAGMAE SUNT, Mauretaniam (*), utraque verſione unam fundente ſententiam. Arabicus cum pentateuchi tum chronicorum interpres obſcurum nomen, فاقو (*Phakû*) poſuit, quod quam gentem ſignificet, ignoro, ne lectioni quidem ſatis fidens. Phe enim et Kuph in nominibus propriis Arabum ſaepe vitio ponuntur, jam inter ſe permutatae, jam pro ث, ب, aliisque ſcriptae. Suſpicabar aliquando, urbem regnumque Kucu, quod ſub ipſo cancri tropico ad occidentem Nubiae et Aegypti invenies, intelligendum, corrigendumque eſſe, ثاقو: ſed Nubienſem geo-

(*) De varietate lectionis praeter Beckii notas etiam Wilkinſii editionem conſule, מוּרִיאַטִינוּס habentem.

geographum nuper nactus, ex pagina 16. textus Arabici scriptionem illius nominis رعمة discens, conjecturam meam statim damnavi.

Quam ergo Bochartus habet Rhegemam, ea plerisque antiquorum hunc locum interpretantium ignota fuisse videtur. Quin Hieronymus ad Ezech. XXVII, 22. *Reama*, inquit, *sive juxta septuaginta Rhegma, in nullo alio scripturarum loco invenire potui, nec quae regio sit, quidve significet; nisi quod manifestum est, et ex eo quod jungitur Saba, vicinam huic provinciae esse regionem.*

Haec postquam scripseram, primum nactus sum Büschingii geographiam Arabiae, in qua dum Rhegmam urbem, Josepho Hieronymoque ignoratam, et a paucis nominatam geographis antiquis, quaero, scire cupidus, quo loco sita fuerit, idemne adhuc nomen an aliud habeat, urbs an rudera supersint: nihil horum omnium inveni. Nullam ad sinum Persicum Rhegmam habet, non magis quam delineatio d'Anvillii: ut prope dubitare inciperem, de urbe a Ptolemaeo et Stephano prodita, ac certe vereri, ne aut in nomine describendo lapsi essent librarii, aut ῥῆγμα (sic Stephanus scribit), Graecum nomen fuerit urbis Arabicae, aliter ab indigenis, antiquioribusque appellatae. Quod autem non quaerebam, id ultro se mihi obtulit, conjectura, quam de רעמה pag. 551. fecit, veri adeo similis, ut de his subdubitare inciperem, quae supra de Rhegma, asseverantius prope quam soleo, scripseram (*). Suspicatur enim, *Reamam*, Arabiae felicis

(*) Scripseram primum: *de hoc nomine vix ulla disputatione opus.* Sed id molliendum censui.

licis urbem, quam Barthema descripsit, ut magnam mercaturam facientem, incolasque valde nigros habentem, esse Mosis Raamam. Probabiliter ille sane, sive situm urbis spectes, sive colorem Cuschaeorum colonia dignum, sive denique] mercaturae celebritatem, a qua Ezechiel Raamam laudat: ac potest רעמה ab Europaeo aeque recte *Reama* et *Rhegma* efferri. Quod si nomen urbis hujus رعمه per Ain Arabibus scribitur, rem exploratam puto: sed de orthographia Arabica Barthema, ut plerique, silet. Forte ubi prodierint commentarii itineris in Arabiam Felicem jussu Regis Daniae suscepti, certi quid habebimus: urbem enim Remam, non procul a Sanaa versus Austrum, sub latitudine 15¼ gradus, Niebuhrium invenisse scio, eodem circiter loco, quo Barthema Reamam habet: scriptionem nominis Arabicam et reliqua adhuc ignoro.

* * *

וסבתכא *Et Sabtheca.*

Per He finale, וסבתכה, scripsit Samaritanus, concinente Onkeloso. Sitne et hoc ad varietatem lectionis referendum, quod Josephus Sabactam vocat, (ὤκιζει δὲ Σαβάκτας Σαβακτηνούς) ac si esset וסבכתא, an auribus Graecis id dederit, incertum. Extra hanc populorum genealogiam nomen nuspiam in codice Hebraeo occurrit: unde non potest non valde obscurum esse.

Conjectura et literarum permutatione Sabatcaeos in Caramaniam, Persiae provinciam, migrare jussit Bochartus, L. IV. c. IV. in qua Stephanus urbem habeat *Samydacen*. Ego, ut facile concedo, saepe Arabes M et B per-

permutare, tamen nullo alio indicio, ac cum ne constet quidem Cuschaeos in Persia habitasse, minus firmam hanc puto sine teste conjecturam, cui duplici literarum permutatione, B in M, et Th in D, opus est.

Jonathan זנגאי, *Zingitas*, vertit, et paraphrastes chronicorum דנגאי, *Dingitas*, quod eodem redit, nec est nisi orthographiae Arabicae et Chaldaicae diversitas. Abulpharagius quoque pag. 17. الزنج, *Zingitas*, Chamo posteros assignat. Sunt autem Arabibus Nigritae ad mare Indicum, quorum patriam *Zanghebar* dicimus, ut Nubiensis geographus docet in climatis primi parte septima statim ab initio. Ptolemaeo quoque (Libr. IV. pag. 117.) Zingis urbs est extremae Aethiopiae Orientalis, quae Aegypto subjacet. Hi quidem, si parum certi, nihil tamen inepti tradiderunt, cum Zanguebar vicina sit Aethiopiae.

Arabicus chronicorum interpres دمس (*Dams*) reddidit, quod nomen quid in geographia significet, adhucdum ignoro: appellative *densas tenebras* sonat. Succurrebat, Oceanum Occidentalem, nobis Atlanticum, *mare tenebrarum* ab Arabibus vocari: verum non nomine Dams utuntur, sed *Thulumath* (بحر الظلمات), ut verear illius nominis comparatione solari ignorantiam.

* * *

ובני רעמה שבא

Et filii Ragmae, Saba.

Hos Sabaeos ad sinum Persicum quaerit Bochartus, quod ibi montes sint Sabo dicti, aut, ut ab aliis scribuntur, Asabo vel Pasabo. Hoc vero si sufficiat Sabaeis inve-

veniendis, quae orbis terrarum regio illorum non plena erit? Evolve, cujuscunque Europae, Asiaeque regni lubuerit, indicem geographiae Büschingianae, nec erit, ubi non in S, A, et B incidas. Mihi vero cum illa in literis ludendi temeritas displicet, tum ipsa non omnino probatur Bocharti diligentia et confidentia in triplicibus Sabaeis sola conjectura dispertiendis: quasi vero nihil sit, quod ignorare virum doctum deceat. Atqui, si vel in ipsa Felice Arabia duplex mihi monstraretur Sabaeorum gens, tamen nisi alia accederent argumenta vix dignoscerem, utra ad Ragmam referenda sit, utra ad Joctanem.

Quid? si utraque gens שְׁבָא una? id est, si eorundem Sabaeorum aliquae familiae Joctanem, aliae Ragmam, generis auctorem referebant, unum in populum coalescentibus Ragmaeis et Joctanitis? Hanc sane explicationem Mosis verba non abnuunt. Nec equidem quidquam adfirmo, sed in exemplo novae interpretationis pono, quam sit haec tota quaestio dubia, ne certo quidem, his Sabaeis extra Sabaeam Joctanitarum proprias sedes assignandas esse. Quo magis abhorret a verecundia hominis, solum verum quaerentis, adseverantius pronuntiare, maxime si pro testibus et argumentis satis dissonae vocabulorum sunt consonantiae. Nihil ergo ipse aut statuens, aut conjiciens, Bochartique sine teste sententiam nec refellens nec verisimilem putans, ad antiquos interpretes pergo, qui de nostris Sabaeis sententiam dixerunt.

Arabica versio in polyglottis evulgata, سند, *Sindos*, hic habet, ut postea pro Dedan هند, *Indos*. Jam supra dixi, plures in eo consentire interpretes, ut Indos velint in Cuschi posteris numerari.

Pseu-

Pseudojonathan זמרגד *Smaragdum* habet, pro quo nomine versio Chaldaica chronicorum vitiose זמרג in Beckiana, et mutato ad Chaldaicam regulam nomine דמרגד in Wilkinsiana habet. Nomen זמרגד et in Jobi libro c. I, 15. VI, 19. pro שבא poni, monet Beckius, incertus, quae sit, Smaragdi illa regio (*). Mihi quidem, recordanti, Orientalibus Smaragdos Aegypti prae reliquis laudatos fuisse (**), quos viridiores et duriores reli-

(*) Sic ille: "ubi terrarum haec „exstiterit, de eo divisae sunt aucto-„rum sententiae. Car. Stephanus „in dictionario geographico scribit: „*Smaragdites est nomen juxta Car-„chedonem, ubi Smaragdus gemma „legitur.* PLINIUS." (Interpellare liceat. Locum Plinii invenies L. XXXVII. cap. V. §. 18. pag. 775. lin. 35. Sed pro Carchedone, quae Carthago est, libri manuscripti habent Chalcedonem, Bithyniae urbem, sicque edidit Harduinus. Jam ergo hic Smaragdites nihil ad nos: in Bithynia enim nemo Sabaeos quaesiverit. Pergit Beckius): "Bo-„chartus vero, *Smaragdum mon-„tem esse in Ichthyophagis, Arabiae „populo,* scribit P. I. geograph. S. „L. IV. c. 3. Quae posterior senten-„tia ideo magis placet, quod Sma-„ragditidem, perinde atque Jona-„than Job. I. et VI. Chaldaeae et U-„sitidi vicinam facit." - - Mihi non succurrit, ubi in Ichthyophagis Smaragdum montem invenerit Bochartus; nec ipse prodidit. Locumne Strabonis, libr. XVII. pag. 1125. al. 779. spectabat? λέγεται καὶ διότι ὁ σμάραγδος καὶ ὁ βήρυλλος ἐν τοῖς τοῦ χρυσίου μετάλλοις ἐγγίνεται: *fertur* (in Arabia) *smaragdum et beryllum in auri minera nasci.*

(**) Chardin T. IV des Voyages en Perse, p. 69. 70, edition en 12, de l'année 1711. *J'ajoute à ce chapitre, que les Persans font une distinction entre les Emeraudes, comme nous faisons entre les Rubis. Ils appellent la plus belle sorte, Emeraudes d'Egypte, la sorte suivante, Emeraudes vieilles, et la troisième, Emeraudes nouvelles. Avant la decouverte du nouveau monde les Emeraudes leurs venoient de l'Egypte, plus hautes en couleur, à ce qu'ils prêtendent, et plus dures, que les Emeraudes de l'Occident. Ils m'ont fait voir plusieurs fois de ces E-me-*

reliquis putant, voluntque, circa Syenen inveniri; Plinium praeterea Aegyptios laudare Smaragdos, qui circa Copton, oppidum Thebaidis, ex cautibus eruantur (*), aliosque Aethiopicos acriter virides, trium dierum itinere a Copto inventos; denique Nubiensem geographum fodinam Smaragdi circa Syenen impense laudare (**); verisimile videtur, Smaragdi nomine Chaldaeos regionem supra Syenen, id vero est, Nubiam, intellexisse, consentanee certe, cum רעמה Libyam verterint, recte ne vero an secus? an omnino quo indicio? nemo dixerit, antequam Nubiam cognitam habeamus. Illi tamen nominis רעמה explicationi, quam supra probavi, magis consentaneum, Sabaeos a Ragmaeis ortos in Arabia, quam in Nubia quaerere. Non ignoro, nullos hoc tempore ex Aegypto Smaragdos adferri, nec id quisquam mirabitur in tanta superioris Aegypti ac Nubiae perturbatione ac vastitate. At Prosperi Alpini tempore smaragdi adhuc pretiosissimi in Gait, Aegypti meridionalis provincia, ex fodina *Bir el Smerud* dicta effodiebantur, quibus de divitiis copiose in *rerum Aegyptiacarum* libro III. cap. IV. retulit. Non ergo erat, cur Chardinius de veritate eorum, quae

meraudes, qu'ils appellent, Zemeroud Mesri, *l'encien nom de l'Egypte, et aussi*, Zemeroud Asvani, *d'Asvan, ville de la Thebaide, nommée Syene par les anciens geographes. Mais quoique elles me parussent très-belles, d'un verd fort enfoncé, et d'un poliment fort vif; il me sembloit, d'avoir vû d'aussi belles des Indes Occidentales.*

(*) Libr. XXXVII, cap. V. §. XVII. pag. 774. lin. 20. et §. XVIII. pag. 775. lin. 15. 16.

(**) p. 18. versionis latinae: *non procul ab urbe Asvan ad latus Nili meridionale est etiam mons alius, cujus in radicibus exstat fodina Smaragdi in deserto ab aedificiis remoto. Nec reperitur in toto terrarum orbe Smaragdus, quam ex hac fodina,*

quae a Perſis audierat, dubitaret, ſuſpicareturque, Aegyptiis Smaragdos, quos deinde aliis vendebant, per mare rubrum ex India, Perſis multo propinquiore, allatos fuiſſe (*).

Non inepta haec Chaldaei ſententia: ſed teſtis nimis recens ac minutus, quam ut ei ſine argumentis credi poſſit. Ergo aut hos Sabaeos et v. 28. nominatos unum populum putemus, ex duobus concretum Arabiam Felicem habitantibus, aut ignoremus Sabaeos Ragmaeis ortos, donec aliquid novae lucis adfulgeat.

* * *

ודדן *Et Dedan.*

Idem nomen quater adhuc occurrit, Jerem. XXV, 23. XLIX, 8. Ezech. XXV, 13. XXVII, 15. Sed ex his locis duo, Ezechielis c. XXV, et Jeremiae c. XLIX, nihil omnino ad gentem de qua quaerimus: qui enim ibi memorantur Dedanitae non Cuſchaei ſunt, ſed Abrahami poſteri, incertum, utrum natalibus Idumaei, an ab illo Dedane, qui Geneſ. XXV, 3. Abrahamo nepos ſcribitur, orti, et cum Idumaeis conſociati. Primus Jeremiae locus c. XXV, dubius. Ezechielem autem capite XXVII, 13. de noſtris Dedanitis loqui, ex mercium enumeratione colligo.

Sed

fodina, (Nempe reliquis ſmaragdis nomen hoc abjudicat Nubienſis, quod aut minus virides, aut molliores ſint, aut alia de cauſſa vitioſi.) *quae foſſoribus perfrequens eſt, ex hac enim eductus distrahitur poſtea in partes univerſas.*

(*) loco citato, i. e. T. IV. itinerum p. 70. 71.

Sed antequam qui ſint noſtri Dedanitae expediam, de lectionis varietate nonnihil praemittendum. Primo ergo Syrus Doron ſcribit, (ܕܘܪܢ) ac ſi eſſet דרן (*), nec hoc ſolum loco, ſed ubique. Nullam autem inde puto varietatem lectionis Hebraicae exſculpendam: in Syriacis D et R multo facilius quam in Hebraicis confunduntur, quia ſolo puncto diacritico diſcerni poſſunt, cui omittendo librarii pene adſveverunt; videbimusque infra, inſulam Daden in libris Syriacis, ſcriptionis ut credo errore, frequenter Dirin (ܕܝܪܝܢ) dici.

At pro ודדן, omiſſo Nun, Vau pro parte vocabuli habito, et Jod praepoſito, יודד legiſſe in ſuo codice Joſephus videtur, aut, ſi minus mutari lubeat, יודדן. Sic enim ille L. I. c. VI. §. 2. Ἰουδάδας μὲν Ἰουδαδαίους, Αἰθιοπικὸν ἔθνος τῶν Ἑσπερίων, οἰκίσας, ἐπώνυμον αὐτοῦ

(*) Inverſam lectionis varietatem in Ezechielis loco, cap. XXVII, 15. ex verſione Graeca LXX virorum diſcimus, רדן, ſeu, ut in gratiam eorum, qui Hebraica non legunt, latinis literis exprimam, omiſſis tamen vocalibus, RDN. Cum enim reliqui omnes, quos habemus, Graeci interpretes conſvetae lectioni דדן concinant, Aquila, Symmachus, Theodotio; Hieronymusque eam literis quoque Latinis DADAN expreſſerit: LXX interpretes ſoli *Rhodiorum* (Ῥοδίων) nomen habent. Obſervavit, caſtigavitque his verbis Hieronymus: *neſcio quid volentes LXX filios Rhodiorum interpretati ſunt, niſi forte primae literae falſi* (decepti) *ſimilitudine, ut pro* DADAN *legerent* RADAN, *quae et ipſa Cycladum maxima eſt.* Id quidem certum, Rhodi mentionem ab Ezechiele exſpectari hic non poſſe: merces enim eas laudat, ex דדן Tyrum allatas, quas Rhodus nunquam Tyriis miſerit, Indicas atque Aethiopicas. Eſt ergo manifeſtum ſphalma ejus codicis Hebraici, quo in vertendis Ezechielis vaticiniis uſi ſunt Septuaginta.

αὐτοῦ κατέλιπεν, ex quibus (Ragmae filiis) *Judadas gentem sibi cognominem Judadaeorum, quae Aethiopiae Occidentalis est, a se conditam reliquit.* Hos Judadaeos, ut alios non paucos Africae antiquae populos, ignoro, id unum ex totius paragraphi serie colligens, nomen gentis Josephi tempore adhuc viguisse, Graecisque scriptoribus fuisse frequentatum. Consentient mecum, qui ipsum Josephum inspicient.

Arabi Polyglottorum Dedanaeos Indos esse, (هند) jam supra monitum. Pseudojonathan מזג vertit, Chaldaeusque chronicorum interpres מזגנ, de quo obscuro nomine conjecturas tentavit Beckius, nos certi nihil habemus.

Verissimam dixisse sententiam videtur Bochartus, L. IV. c. VI. p. 219. urbem Daden ad sinum Persicum intelligens: quam in tabula Asiae d'Anvilliana invenies extra ostium sinus Persici non procul ab ipso mari Indico, inter *Daban* et *Kourfekian*, auctore situs Odoardo Barbosa. Id unum molestum initio videbatur, quod minus de hac urbe, quam vellem, a Bocharto edocerer, silerentque de ea Abulfeda, lexica Arabum, et Herbelotus. Consultus ergo a me per literas Büschingius, in eadem mihi bibliotheca Assemani Orientali, quam toties citatam hic neglexeram, eam ipsam, quam cupiebam, Dadenam demonstravit: jam in Asiae geographia pag. 456. 457. ita de ea egit, ut ablegare ad eum lectores possim. Sed quia paucis Assemani bibliotheca ad manus est, praecipua excerpam. Habet illa Dadenam, literis Arabicis دادين scriptam, T. III. P. II. p. 744. dicitque, insulam esse maris Persici, ab Arabibus Catarensibus habitatam, Syris dictam ܕܝܪܝܢ Dirin. Tomo III. P. I. pag. 145. 146. Thomas

Maragenſis narrat, *Ananjeſum monachum tegumenta altari attuliſſe texta in Dirin inſulae Catarenſium* (ܒܕܝܪܝܢ ܓܙܪܬܐ ܕܒܝܬ ܩܛܪܝܐ). Idem pag. 513. iterum legitur. T. III. P. II. p. 184. episcopus Dirinae, inſulae Catarenſium, laudatur, ſubjungiturque, eam in quibusdam codicibus manuſcriptis *Dadianam* dici. Eſt autem Catara, ut idem docet T. III. P. II. p. 604., emendans quae in parte prima ſcripſerat, urbs mediterranea Arabiae Felicis contra Perſidem, a qua Plinio populi Cataraei dicti. Quod autem *Dirin* Syriace vocatur, non duplicis nominis eſſe putem, ſed vitii librariorum, qui punctum diacriticum male poſuerunt, cum ܕܝܕܝܢ ſcribendum fuiſſet. Scriptio Arabica دادين ſufficit naevo Syriacae corrigendo, quod apud Arabes D et R a librariis confundi non facile poteſt.

Antequam hanc diſputationem finiam, de mercibus dicendum, quas Dadena Tyrios petiiſſe Ezechiel narrat, c. XXVII, 15. Ac de ebore quidem, *dente* (שן) dicto, res manifeſta eſt. Ex India illud adventitium Tyriis Dadenenſes vendebant, exque loco Ezechielis adparet, Dadenam illo tempore mercaturam Indiae feciſſe, opportuno ſitu, qui diu poſtea Ormum ditavit. At de קרנות et הובנים, quid ſignificent, dubia ſane et anceps diſputatio.

קרנות, *cornua*, non pauci cum ſequente שן conſtruunt, voluntque ebur dici *cornua dentis*. Praeiverunt illis, LXX, Vulgata antiqua, Hieronymus, Arabs, Kimchius. Inconcinna dictio, ac mirum, ſi ita et redundanter, et vitioſe, et contra uſum Hebraeorum de ebore ſcripſit Ezechiel. Ebur enim ſi quis *dentem* dicat, quod verum

verum eſt et naturae conſentiens rei vocabulum, laniarii enim dentes exſerti elephantorum ebur ſunt, quid eſt, cur eodem halitu *cornua* vocet? idque ea in lingua, quae *dentis* nomini adſveverat? Nec video, quomodo illa defendi verſio poſſit, niſi forte hoc discriminis inter *ebur*, et, *cornua eboris*, fingamus, ut illud ſit ebur factum et elaboratum, cornu autem eboris ipſi laniarii dentes, nondum manum artificis experti, ſed quales a natura cornua rudi plebeculae ſimulant.

Cornua alii, et dentes diſtinxerunt. Ita aliqui Graecorum bibliorum codices, aliter quam impreſſi exhibentes: THEODORETUS enim haec textus, quem explicandum ſuſcipit, verba habet, *κέρατα καὶ ὀδόντας ἐλεφαντίνους*, *cornua*, *dentesque elephantinos*. Nec tamen quae haec ſint cornua, ab ebore diverſa, ſatis adparet. Chaldaeus interpres discrimen ſignavit, cornua ibicum (*) interpretatus. Sequitur illum Raſchi. Non inepta interpretatio, nec tamen, me arbitro, veriſimilis. Ibices enim cum Palaeſtina et Syria haberet, frequentemque adeo mentionem codex ſacer injiciat, quid opus erat, cornua ibicum longinque ab iisdem litoribus adferri, quae ebore abundabant.

Probabilem conjecturam tentavit, conſultus a me de hac re Büttnerus, cornu piſcis monocerotis, quem *Nahrwal*

(*) קַרְנִין דִיעֲלִין וְשֵׁן דְפִיל. De Ibice (*Steinbock*, *Etainbouc*) vide quaeſtionem 81. exploratoribus Arabiae propoſitam: ad quam reſponſum illuſtris Halleri tuli, qui ipſe ibicem, Helvetium animal, domi ſuae habuit, moresque et figuram ita deſcripſit, ut uni, quod me adhuc urebat, dubio, ſit ſatisfactum.

wal vocant, deſignari, quod ebori ſimillimum eſt, inventumque ac venditum fabulae de monocerote terreſtri, ſolis noto antiquis et a recentioribus ubique fruſtra quaeſito, dedit occaſionem. Eſt ille piſcis maris Indici indigena. Non diſſimulo, hanc mihi explicationem veriſimillimam videri.

Nec tamen licet ſolum verum quaerenti variae lectionis mentionem omittere, quamvis eam non probem: fas enim eſt, nihil eorum, quae dubitaturus ſcire cupiat, ſubticere. Syrus habet, ܩܪ̈ܢܐ ܕܡܫܚܐ, *cornua unguenti*, ſeu cornua unguento plena, ac ſi legiſſet, קרנות שמן. Phraſin Hebraicam invenies 1 Sam. XVI, 1. 1 Reg. I, 39. ubi vas unguento plenum cornu dicitur. Indica aut Arabica merces, unguenta: ſed unius interpretis fide nolim in textu Ezechielis contra reliquorum omnium conſenſum verbum mutare.

הובנים, vel ut eſt in Keri, הבנים, hebenum intelligunt recentiores, Fullerus in miſcellaneis ſacris libr. VI. c. 14. eoque multo copioſior Bochartus, P. II. hierozoici L. I. c. 20. p. 140. ſeqq. Ducuntur illi et ſoni convenientia, et quod hebenum in Indicis et Aethiopicis mercibus laudatur. Virgilius:

ſola India nigrum
Fert hebenum.

Nec obſtare pluralem docent, in lignorum nominibus, ut עצי שטים aliisque, frequentem. Laudant quoque auctores ſententiae antiquos, Symmachum (*), et Hierony-

(*) In Montfauconii quidem Hexaplis Origenianis nihil de Symmacho notatum eſt: at ex Theodoreto diſco, eum de hebeno cogitaſſe. Τὰ κέρατα, inquit ad h. l. ὁ Συμμαχος ἐβένους ἡρμήνευσεν, ἀφ' ὧν τὰ

nymum (*). Idem ſenſit, et ex Arabica lingua probari poſſe putavit, Kimchius, ſed hac parte falſus, quod Arabicam vocem exiſtimat, quae a Graecis adventitia ex terminatione intelligitur: העץ שנקרא בערבי אבנוס, *lignum, quod vocatur Arabice Ebenos* (أَبَنُوس).

Equidem non obnitor; parum tamen certam interpretationem, nec gravia argumenta puto. Ἔβενος enim, nomen mere Graecum, et linguis Orientalibus ignotum, non poteſt illuſtrando vocabulo Hebraico adhiberi, niſi et velis, Hebraeos, ipſosque adeo, Tyrios, primam hebeni notitiam, cumque ea nomen, a Graecis habuiſſe: quod huic ipſi Ezechielis loco, de hebeno accepto, contradiceret. Nec India, hebeni locus natalis, multum ad rem facit, namque nec Daden in India ſita, ſed in ſinu Perſico, unde et alias merces praeter Indicas potuit Tyriis mittere, et India, hebenum habens, aliis praeterea naturae donis dives eſt, quae הובנים eſſe poſſint.

Facile tamen hanc interpretationem praefero Chaldaicae, *pavones* intelligenti, nullo, quantum mihi liquet, argumento. Sequitur eam Raſchi, et plures, quos Bochartus nominat.

Aliam lectionem, ולבנים, vel potius, ולבנה reperiſſe videtur Syrus, thus vertens. Thure quidem nihil ad hunc locum aptius, cum Daden emporium ſit Arabiae, quae ſola thus habuit: atque etiam hoc accedit, quod

τὰ ἐβένια καλούμενα γίνεται, i. e. *cornua Symmachus ebenos interpretatus eſt, ex quibus ſic dicta ebenina fiunt.* Ergo hebeni nomen in hoc verſu apud Symmachum legit, ſed male ad קרנות retulit.

(*) *ligna hebenina, quae nigri coloris pretioſiſſima ſunt.*

quod in toto capite alia thuris expreſſa mentio non fit, viderique poſſit, in mercibus illud Tyriorum omitti non debuiſſe. Eſt ergo lectio non ſpernenda.

Sed non uno modo in hoc vocabulo codices antiqui diſſidebant. Graeci verterunt: *καὶ τοῖς εἰσαγομένοις ἀντεδίδους τοὺς μισθούς σου*, i. e. *pro illatis mercibus alias dediſti, ac paria cum mercatoribus feciſti.* Negari nequit, ſecus eos legiſſe, quam nunc Hebraica edita ſunt: nec tamen, ut Fullerus Bochartusque volunt, הֻבָאִים, quaene vox quidem Hebraica eſt, debuiſſetque מובאים ſcribi. Legeruntne, וְלַבָּאִים הֲשֵׁבֹתָ, *et ingredientibus reddidiſti?* Sic et Lamed, quod Syrus in Hebraico textu, iidem repererint. Comparemus lectiones,

Hebr.	- - -	והבנים השיבו
Syr.	- - -	ולבנה השיבו
LXX.	- - -	ולבאים השבת

ut ſententiam de illis ferre certiorem, aut veriſimiliorem, detur.

Nec duplici hac varietate contentus, tertiam quoque, ſuſpicionem, quae animum ſolicitat, expendi a lectoribus velim. 1 Reg. X, 20. in ſimili argumento, merciumque Indicarum aut Africanarum enumeratione, שנהבים legitur. Eſtne noſtrum שן והבנים idem cum illo? locusne libri regum ex Ezechiele, an Ezechielis ex libris regum corrigendus? Utrique vocabulo explicando nihil adhuc praeter conjecturas adlatum. Non liquet!

GENES.

GENES. X, 8.

Possem hunc versum, nihil geographici continentem praetermittere: sed quia totum reliquum caput mihi pertractandum est, nolim hac una lacuna ejus interpretationem divelli, maxime cum historiae antiquae nonnihil lucis ex philologia, eaque ipsa, quae alias mihi minuta videtur, etymologia adfundi possit, ex qua si vel hoc unum didicerimus, Nimrodi nomen adscititium, et ab Hebraeis tyranno inditum esse, sufficit.

* * *

וכוש ילד את נמרד

Et Cusch genuit Nimrodem.

Pro ילד Samaritanus codex habet הוליד magis propriam conjugationem ponens. Ita enim nonnunquam differunt hujus verbi Kal et Hiphil, ut illud sit, *parere*, dicaturque de matribus, hoc, *gignere*, quasi diceres, facere, ut femina pariat, gravidam illam reddere. Nec tamen ideo reprehendenda aut damnanda Hebraica lectio: persaepe enim, quod docere Buxtorfii concordantiae quemque possunt, ילד in Kal latius sumtum de patribus ponitur. Mihi lectio Samaritana suspecta, grammatici correctionem, ut multa in codice Samaritano, redolens.

Pro נמרד plene נמרוד habent codices Samaritani, et ex Hebraicis nonnulli, de quibus vide varias lectiones bibliorum Halensium. Scriptio indifferens.

Hic demum aliquis non populus, sed homo unicus, ac proprie ita dictus sive filius sive nepos, Cuscho proge-

nitori tribuitur: isque ita a reliquis, qui verſu praecedente nominati erant, a Moſe ipſo diſtinctus, ut vel ex hac filiorum disjunctione ſuſpicari neceſſe ſit, reliquos non proprio verbi ſenſu filios, ſed populos eſſe Cuſcho ortos. Si enim eodem modo, quo Nimrodus, Saba quoque et reliqui filii Cuſchi fuerunt, quid erat, cur non ita potius Moſes ſcriberet: *et filii Cuſchi ſunt, Saba, et Chavila, et Sabtha, et Ragma, et Sabthecha, et Nimrod?* Non placent ergo, qui VI. Cuſcho filios tribuunt, nec, qui illis Ant. I. c. VI. §. 2. praeivit, Joſephus. Quinque populos ab eo ortos ſcio, Nimrodum Cuſchaeum fuiſſe ſcio, Moſe utrumque teſte: quot autem filios habuerit Cuſchus, Nimrodusne filius ejus fuerit, an nepos, an pronepos, ignoro, deque ea glorior ignorantia.

De nominis etymo ſupervacanea videri diſputatio poſſet, niſi et loquaces hic eſſent veteres, eaque ſcripſiſſent, quae paſſim a recentioribus inopia linguae Hebraicae non intelliguntur, atque injuſte damnantur: et veriſimile eſſet, nomen Nimrodo non a parentibus impoſitum, ſed inditum a poſteris. Solent enim Orientales non paucos nobiles viros nominibus compellare, non quae dum viverent geſſerunt, ſed poſt fata inditis, unde mirus nonnunquam inter nomina et res geſtas conſenſus. Ex his ergo nominibus Nimrodi quoque eſſe ſuſpicor: quod eo pertinebit, ut mirum videri non debeat altum Graecorum Latinorumque ſcriptorum de Nimrodo ſilentium, maxime ſi hoc nomen ita ſit contumelioſum, ut non a civibus, ſed ab his, quibus odio fuit ejus tyrannis, inditum videatur. Quod ſi eſt habuiſſe quidem Nimrodum, ſed alio ſub nomine, Babyloniorum videbitur hiſtoria.

Omitto

Omitto autem etyma a recentioribus excogitata, ut, cum Simonis, invita ſane grammatica, נין מרוד, *filium rebellem* interpretatur (*), aut Perizonius (**) nomen ei ductum putat, quod ſemper ingeminaret, נמרד, *rebellemus contra Noachi conſilium!* Quis credat, rebellionis ſvaſorem atroci hac voce uſum eſſe? Accuſatoris illa, et contra rebellionem dicentis fuiſſet: magni autem et immanis ſceleris auctores mollire illud verbis, non in invidiam adducere ſolent.

מרד *rebellare* eſſe, nemo ignorat. A rebellione ſi nomen Nimrodo duxerunt Hebraei, *rebellem Deo* nominaſſe videntur, quod et turrim Babylonicam invito Deo exſtruere conatus eſt, atque, ut narrare Orientales ſolent, idololatriae auctor ac promotor fuit. Talem Joſephus L. I. c. 4. §. 2. Nimrodum deſcripſit, ſumta forte ex nomine viri hiſtoria. Ἐξῆρεν, inquit, *αὐτοὺς πρὸς τὴν ὕβριν τοῦ Θεοῦ καὶ καταφρόνησιν* Νεβρώδης, - - ὃς ἔπειθεν αὐτοὺς, μὴ τῷ Θεῷ διδόναι τὸ δι᾽ ἐκεῖνον εὐδαιμονεῖν, ἀλλὰ τὴν ἰδίαν ἀρετὴν ταῦτα παρέχειν αὐτοῖς ἡγεῖσθαι. *Ad Dei autem contemtum animum illis addidit Nebrodes, - - docens, non Deo acceptam referendam felicitatem, ſed cuique ſuam virtutem praeſtare omnia.* Addit ſtatim, ſperaſſe eum, occupata tyrannide ἀποστήσειν ἀνθρώπους τοῦ φόβου τοῦ παρὰ τοῦ Θεοῦ *abducturum ſe homines, quo minus a Deo quidquam metuerent*, ipſo eo verbo uſus, quod ſaepe LXX pro Hebraico מרד ponunt: quin et fabulas Orientalium ſequutus addit, Nimrodum eo conſilio turrim aedificaſſe, ut Deo bellum indiceret. De quo talia fere-

(*) Onomaſt. Sacr. p. 472. (**) Origines Babylon. c. 8.

ferebantur, eum nomine proprio REBELLEM dixisse posteros, non mirum.

Ad rebellionem redit, quod lexicon nominum Hebraicorum in operibus Hieronymi editum pag. 227. primo habet, *ἄνταρσιν*, *insurrectionem*, ac deinde, *αὐτομόλησιν*, *fugam*, vel, *profugium*. Sumtum posterius ex Philone, qui in libro de gigantibus, T. I. editionis Mangeyanae pag. 272. *redditur*, inquit, *Nebrod αὐτομόλησις. Nec enim miserae animae sufficiebat, neutrarum partium esse, sed accedens hostibus manifestum cum amicis bellum gessit.* Forte haec significatio profugi vel transfugae non spernenda, eximie apta Jobi loco, cap. XXIV, 12. Quid enim in sceleratos verius his dici potest: *fugiunt a luce, nec ambulant in viis ejus.* Chaldaeis onagri מרדין dicti, incertum, utrum a fuga hominum, quae in hoc animali maxima, an quod sint contumaces et indomiti.

Lexicon Hieronymianum *tyrannum* quoque reddidit. Nec id ab usu linguarum Orientalium, historiaque Nimrodi abludit, licet vocabularia recentiorum illam significationem ignorent. Arabibus enim مَرِيدٌ est, *valde contumax ac superbus*, inque historia martyrii christianorum Syriaca tyrannus Judaeus, qui multos christianos Nagranenses saevissimis suppliciis adfecerat, vocatur, ܗܢܐ ܡܠܟܐ ܡܪܝܪܐ, *rex hic crudelis*. (Assem. bibl. Orient. T. I. p. 369.) Primus autem mortalium post diluvium regno per vim potitus Nimrod legitur, seu ut Hieronymi verbis utar a Josepho mutuis, *arripuisse primus insuetam tyrannidem:* eundemque ut crudelem, quique veri Dei cultorem Abrahamum in fornacem ignis conjecerit,

rit, Orientalium fabulae defcribunt. Quin et Nimrodus nomen fuum tyrannis ita commune reliquit, ut, نمارده *Nimrodi*, idem fit, quod, tyranni, tefte Herbeloto p. 669. bibliothecae Orientalis.

Haec ergo fententiae meae fumma, Nimrodum alio primum nomine fuiffe, fed five ob Dei contemtum, five ob arreptam tyrannidem, ab his, qui idololatriam ab eo invectam, aut regnum oderant, Nimrodum dictum fuiffe. Nec dubium, quin alio nomine nihil opprobrii habente in Babyloniorum olim annalibus vocatus fit, quos fequuti fcriptores Graeci Nimrodi nomen ignorant.

* * *

הוא החל להיות גבר בארץ

Hic coepit tyrannus effe in terra.

i. e. hic primus per vim tyrannide potitus eft, humanoque generi, quae hucusque fratrum aequalium focietas erat, libertatem eripuit. Verbis Jofephi eandem repetere fententiam lubet: *τολμηρὸς, καὶ κατὰ χεῖρα γενναῖος, - - περιίστα κατ' ὀλίγου εἰς τυραννίδα τὰ πράγματα: audax manuque promtus rem publicam in tyrannidem mutavit.*

גבר, feu ut iterum pro more fuo plene fcribit Samaritanus, גבור, ut notum fuaque lingua ufitatum, Onkelos, Syrus et Arabes retinuerunt, interpretatione in fupervacaneis habita: lexicographi noftri *fortem*, *validum*, reddere folent. Non male hi quidem, alia loca fi fpectes, fed huic verfui ea fignificatio parum apta. De genere

nere enim humano quis tam male ſperet, ut putet, primum Nimrodum virum fortem fuiſſe, omnibus ante illum, qui tot diluvii pericula emenſi erant, ferasque edomuerant, aut cum illis, ut neceſſe initio fuit, pugnaverant ac bella geſſerant, imbellibus? Incogitantius Abenesra vult *eum primum fortitudinis humanae ſpecimina edidiſſe contra feras:* sine qua fortitudine ne ſalvi quidem eſſe potuiſſent, qui ante eum nati ſunt.

Tenendum ergo, גבור vituperii quoque eſſe, et ad vim injuſtam praedonis, parricidae, tyranni referri. Arabibus quidem جبّار et *parricidam* et *praedonem*, ſonat: ut in Sura Corani XXVI, v. 130. *cum inciditis in viatores, prehenditis illos* جبّارين *praedones facti*, et Sur. XXVIII, 18. *visne me occidere, Moſes, ut heri aliquem occidiſti? visne fieri* جبّار *parricida in terra? an bonus?* Unde et Golius, praeeuntibus Arabum lexicographis, vertit, *ſuperbe ſe efferens, contumax, quem ira ad caedem impellit.*

Nec haec ſignificatio Hebraeis inuſitata. Pſalmus LII, 3. Doegum, nulla fortitudine inſignem, ſed ex delatore carnificem inermium, גבר compellat: *quid de malo*, inquit, *gloriaris parricida?* Pſalmo CXX, 4. verba obtrectatoris dicuntur, חצי גבור, *ſagittae*, non fortis, quis enim fortitudinis laudem obtrectatori ut crimini propriam concedat? ſed, *praedonis*, vel *ſicarii*. Nec defuerunt, qui גבור in deterius acciperent interpretes, ut Chaldaeus Pſ. LII, 3. *fortis ad effundendum ſanguinem innocentem*, et 1 Paral. I, 10. *coepit eſſe fortis in peccato, effudit ſanguinem innocentem, et rebellavit coram Jehova;*

va: quamvis in eo filum potius orationis, quam linguae antiquae notitiam; hos interpretes sequutos fuisse, si quis dixerit, non obnitar. Clarius enim et sine istis ambagibus interpretaturi erant, si nominis vim ex usu Arabici جبار satis cognitam habuissent.

Haec ergo, ni fallor, sententia, vi et caedibus in fratres grassatum Nimrodum, armatorumque stipatum manu, eo pervenisse, ut primus tyrannide potiretur.

LXX interpretibus *gigas* est, quo et nomine Genes. VI, 4. Hebraicum גבור reddunt. Figurate acciperem, de violento ac crudeli, tyrannidemque saevius exercente (*), nisi certum esset, Orientales Nimrodum ad gigantes retulisse (**), atque etiam ex usu linguarum non omnino haec significatio vocabulo גבור abjudicanda videretur. Arabibus enim *procerior palma* جبار dicitur, verbumque Hebraicum Genes. VII, 18. 19. 20. de altitudine invalescentis aquae ponitur. Sed quidquid sit, gigantis significatio nostro loco non apta: quid enim, *coepit* gigas esse?

(*) PISIDES de Chosroë apud Svidam: γιγαντιᾷ δὲ, καὶ τυραννῆσαι θέλει, *gigantem agebat, tyrannidemque exercere audebat.*

(**) Baal Hattur ad hunc locum monet, verbum ויאמר ter poni, v. 9. de Nimrodo, et Ps. LXXXVII, 5. de filiis Sionis, *propterea quod omnis in ea natus sit* גבור *et statura arduus, ut Nimrod.* In astronomia Orientali Orionis sidus ad Nimrodum refertur: vocaturque, jam Gibbor (גבור a Judaeis, ܓܢܒܪܐ Syris, الجبار Arabibus) jam כְּסִילָא, *gigas*. Vide Castelli lexicon sub כסיל, Kircheri Oedipum P. II. p. 202. et Hydii notas ad Ulugbeigh tabulas fixarum p. 44. sqq. Fabula quoque, quae montem intremuisse tradit, in quem Nimrodus excussus erat, ab Herbeloto p. 669. bibliothecae relata, sumit, gigantea eum statura fuisse.

esse? idque, *in conspectu Dei?* aut, quis *gigas venationis?*

* * *

לפני יהוה *Coram Jehova.*

i. e. vidente et indignante Deo. Nempe eo pertinet, ut in conspectu omniscii numinis, excusso ejus metu ac reverentia, vi fraternum opprimere genus auderet. Vide cap. VI, 11. 12.

Male hic Abenesra fingit, Nimrodum altaria aedificasse, inque illis feras, quas capiebat, Deo immolasse, atque hac de caussa fortem in conspectu Dei dici. Feras immolare, ita Hebraeis insolitum, ut si id factum a Nimrodo esset, velletque Moses intelligi, multo dicendum clarius et expressius fuisset.

GENES. X, 9.

הוא היה גבר ציד לפני יהוה

Hic ex venatore factus est tyrannus in conspectu Jehovae.

* * *

Antequam ad sententiam accedam, de verborum lectione atque appellatione haec praemittam.

1) Noli suspicari, pro הוא היה Latinum interpretem legisse, והיה. Vertit quidem, *et fuit:* cum autem solus omnino pro ILLE habeat ET, libertatis id potius

tius, qua interpretes uti aliquando ſolent, quam variae lectionis eſſe putem.

2) Pro גבר iterum plene גבור habent codices Samaritani, inque fine verſus כנמרוד.

3) צַיִד (*Said*) habent biblia maſorethica, quod vertendum, *praedo*, vel, *tyrannus venationis*, id vero eſt, ex venatore praedo vel tyrannus factus. Eadem ſententia, ſed diverſa fuiſſe videtur plerorumque ex veteribus appellatio, צַיָּד (*Sajjad*) *praedo venator*, in quam plures pene conſentiunt, quam ut ad merum caſum, interpretandique libertatem referri poſſit. *Venatorem* enim habent, LXX, Vulgata, Syrus: alii non venatoris quidem, ſed tamen perſonae nomen ponunt, non actionis, ut Onkeloſus, תַּקִּיף, *fortis*, anonymus Graecus *βίαιος*, *violentus*,. Arabs polyglottorum مُخَوِّف *terrorem incutiens*. Quas ſignificationes neſcio unde arripuerunt, id tamen certum, nomen eos concretum צַיָּד, non abſtractum צַיִד, in animis defixum habuiſſe. Pauci abſtractum habent, et recentiores, Pſeudojonathan, Arabsque ab Erpenio editus, (جبار في الصيادة *fortis in venatione*) punctis conſentaneè. Non magna lis eſt, nec ejus mentionem feciſſem, niſi notatu dignum videretur, antiquos interpretes omnes punctis contradicere, idque eo in loco, ubi vel puncta nulla legens tamen cum illis conſenſurus fuiſſe videtur: aurium enim judicio צַיִד facile vincit.

 4) Poſt

4) Post יהוה LXX, ut saepe, addunt אלהים (ἐναντίον Κυρίου τοῦ Θεοῦ) quod utrum ad licentiam interpretis referam, an ad varietatem lectionis, ambigo. Saepe quidem in Graeco pentateucho recurrit, nec, licet sensu eodem manente, nullius momenti est, varietas, postquam nominum divinorum indicio investigasse sibi visus est Astrucius fontes, ex quibus Moses historiam hausit (*). Sed ejus omnes rationes Graecus pentateuchus, de quo non cogitaverat, turbat.

Sed his omissis ad lectionem consvetam explicandam me confero.

Praedo, vel tyrannus venationis fuisse dicitur Nimrodus, id vero est, nisi me omnia fallunt, *ex venatore praedo, aut tyrannus.* Venationi se dans, primo feras, deinde homines domare didicit, est enim fortitudinis belique rudimentum venatio: jamque formidatus aliis, et coacta aut servorum aut sui similium manu, qui virum fortem ducem sequerentur, primo latrocinia et caedes exercuit, ultimumque, favente fortuna, tyrannidem invasit. Aliorum explicationes omitto, jamdudum cupiens, ad geographica cursum reflectere.

* * *

עלכן יאמר

Propterea dicitur: ut Nimrod, ex venatore tyrannus, in conspectu Jehovae.

Ple-

(*) *Conjectures sur les memoires originaux dont il paroit que Möyse s'est servi, pour composer le livre de la Genese.* Vide relationum de libris novis fasciculum XI. num. VIII.

Plerique proverbium citari putant, ut, Vulgata, et ex Judaeis, Rafchi, Abenesra, aliique. Mirari autem fubit, fi proverbium illud fuit, nuspiam in facris literis occurrere, (reliquis enim linguis Orientalibus quod ignotum eft, antiquitati forte rerum tribuetur) nec video, in quem dici potuerit. Pauci enim praeter Nimrodum a venatione ad tyrannidem gradum faciunt. Non cafus rariores complecti proverbia, fed de quotidianis loqui folent.

Jonathan audacter fupplet: *propterea dicitur: a die creationis mundi non fuit ut Nimrod.*

Ephraemo formula eft falutationis, qua adclamatum fit regibus: *efto ut Nimrod.* In bonam ergo partem accepit (*), homo, in illa Mefopotamia natus, in qua olim Nimrodi regnum fuit, mitiusque adhuc de eo fentiebatur.

Mihi verifimile, carminis hiftorici, noti Ifraëlitis, verbi citari, in qua alius tyrannus, nefcio quis, Nimrodo comparabatur.

GENES. X, 10.

ותהי ראשית ממלכתו בבל

Et fuit initium regni ejus, Babylon etc.

Vi imperium fundavit Nimrodes, quod ut notum fumit Mofes, initia ab incrementis diftincturus.

Pri-

(*) Duplicem habet interpretationem locutionis, גבור ציר. In primo enim ac breviore in Genefin commentario, venatorem Dei fuiffe

Primo loco urbs ponitur ex reliquis maxime meridionalis, Babylon; de qua non disputabo. Antiqua enim satis nota: hoc tempore quae urbis sint rudera, ac de situ ejus certiora, ex Nieburii, qui Babylonem adiit, itinerario discere aveo.

Vulgari errore Babylon cum Bagdad confundi solet: hinc factum, ut Arabs Erpenii, et Persa, بغداد verterent.

* * *

אֶרֶךְ *Erech*, i. e. *Edessa*.

Non nisi hoc uno loco nomen urbis occurrit: gentilitium tamen, *Edessenus*, Ezr. IV, 9. legitur, interpretibus nostri loci non observatum. Varie ibi scribitur; in *Cthib.* ארכוי, in Keri אַרְכְּוָיֵא, in codice Cassellano אַרְכְּוָיֵי, et a Syro interprete, cujus in nomine geographico Mesopotamiae praecipua auctoritas, ܐܘܪܗܝ. Edessenos Syris ܐܘܪܗܝܐ dici, infra monebo, nec in vocalium exigua diversitate laboro: vocales enim bibliorum Syriacorum non sunt ex codicibus fideliter descriptae, sed ab editore correctae, quo in negotio saepe imperite versatus videtur.

Ipsius nostri nominis אֶרֶךְ vocales diversimode ab inter-

se ait Nimrodum, quod mortales, uno in loco considere cupientes, coëgerit, eas terras occupare, quas cuique *familiae* Deus attribuerat: solum enim Babylone regnare voluisse. At in secundo commentario (T. I. p. 153.) venatione victum quaesivisse ait Nimrodum turris Babylonicae conditoribus.

terpretibus antiquis efferuntur. ERECH Masorethae voluerunt: LXX Ὀρεχ habent, *Arach* Vulgata, et qui ei concinit, Syrus. Hic enim ܐܪܟ habet, quod ex Orientalium Syrorum appellatione ARACH est, et secundum Occidentales OROCH. In Aramaea urbe cum Syris credi fas sit, accedatque Vulgata, et quodammodo Graeca Versio, in prima syllaba O habens, ex Occidentalium illud Syrorum appellatione: praetulerim punctis masorethicis hanc nominis scriptionem, אָרָךְ, inque Ezrae loco, אַרְכְוָיֵא. Sed de his appellationis punctorumque minutiis non multum laboraverim, si quis fortiter neget: quae urbs a Mose, ארך dicta fuerit, id vero est, quod maxime quaeritur.

Edessam, nobilem Mesopotamiae urbem, ii omnes in ארך invenerunt, in quorum aut sententia aut testimonio aliquid auctoritatis residet, quod regiones circa Euphratem adcuratius cognitas habere poterant. Solet autem pluribus Edessa nominibus vocari, quod ideo monere necesse est, quia interpretes jam hoc utuntur jam illo. *Edessam* Graeci dixerunt, ab Edessa Macedoniae, iidemque ob vicinos fontes rivosque, Καλλιῤῥόην, quod nomen detruncatum Syri in *Urhoi*, (ܐܘܪܗܝ) Arabes in *El-raha* (الرها) mutarunt. Recentioribus plerumque *Orfa* (اورفا) dicitur, quo de nomine placet conjectura auditoris mei, cum geographiam antiquam tractarem, Schulzii, Wertheimensis, *Orfa* ex *Orha* ortum more Aeolum suspicantis, qui et pro spiritu Graecorum F Latinum ponunt, atque in medio quoque vocum aliquando hoc spiritus labialis signum inserunt. Quibus de nominibus, si placet, consule Assemanum T. II. bibliothecae

Orientalis. Nullum eorum Alexandro Magno haberi pot est antiquius: unde sequitur, ut ante illum aliud urbi nomen, Syriacae originis, fuerit.

Jam ergo utrumque Thargum sequioris aevi, הדס Edessam vertit. Ephraemus Syrus, qui ipse Edessae vixit, nec nomen urbis suae ignorasse videtur, pagina 15. nomini adscripsit, ܐܘܪܗܝ ܕܐܝܬܝܗ̇, *quae est Urhoi*, et p. 58. ܒܐܘܪܟ ܕܐܝܬܝܗ̇ ܐܘܪܗܝ, *in Oroch, quae est Edessa.* Hieronymus, qui a magistro suo, Judaeo, discere potuit, quae urbs Mesopotamiae ארך diceretur: *in Arach, hoc est, in Edessa.* Abulpharagius quoque, sed is sine dubio Ephraemum sequutus, pagina 18. historiae dynastiarum *El-raham* (الرها) interpretatus est.

In tanto veterum, et vero Syrorum, consensu, parum me movet recentiorum, in quibus maxima quoque nomina Salmasii, Bocharti, Hydii, Bayeri, dissensus: Bayero tamen largiente, Edessenos ipsos se ܐܘܪܟܝܐ (*Arachenses* vel *Orochenses*) vocare. Atque illorum quidem, qui ante editam Assemani bibliothecam scripserunt, dissensum nec miror nec aegre fero; soli enim Hieronymo, et sequioribus Chaldaeis credere, intutum putabant: Bayeri, qui ex Assemano didicerat, ipsum ita prodidisse Ephraemum, pene inverecunda est cum veteribus pugna. Nec argumenta illis opponit, sed sine argumentis adfirmat, de Edessa eos, *Urhoi* dicta, scripsisse, quae de alia urbe cognomine vera sint, scribique debuissent. Miror, eruditissimum hominem tam sui in initio elaboratissimi operis fieri potuisse dissimilem. Nulla uspiam alia *Urhoi*, quae cum nostra confundi a veteribus potuerit, nisi quod eam conjecturis et literarum permuta-

tio-

tionibus Hydius, Bayerusque creaverant: sed fac fuisse! suspicari licuisset, utramque a veteribus confundi potuisse; non debebat sine argumento edici, esse confusam. Sed de Bocharti Bayerique sententia disputemus curatius.

Bochartus ergo, qui quantique viri ארך Edessam fuisse testarentur ignorans, argumentis tamen usus est, in hac opinione refellenda. *Nec nomina convenire*, ait, *nec situm* (*). Situs vero egregie convenire videtur! Habemus urbem Mesopotamiae: nec obstat, quod illa sit a Babylone versus boream paullo remotior. Nec enim soli circa Babylonem tractui Nimrodum imperitasse, quisquam adfirmavit, velitque Bochartus: quaeque versu sequente trans Tigrim quoque condita dicitur Ninive, aliaeque Assyriae urbes, certe non suburbanae Babyloni fuerunt. De nomine minus etiam laboraverim, testes habens. Constat enim, multas Orientis urbes post Alexandri victorias nomina mutasse; inque his sine dubio Edessa censenda. *Edessa* enim, et *Callirrhoe*, Graecam originem ultro fatentur: ex Callirrhoe, *Urhoi* et *Raha* depravata sunt, *Urfa* nomen prorsus recens, ac veteribus ignotum: et tamen ante Graecorum tempora aliquo nomine barbaro Edessam, si qua ibi locorum urbs fuit, appellatam fuisse necesse est. Quidni ergo et pluribus testibus, et vero civi Edesseno, Ephraemo, credamus, *Arach* ei nomen fuisse? Sed nec nominis monumentis caremus, cum ipsi sibi Edesseni *Araceni* (أرَكصيا) sint.

Vult autem Bochartus, Salmasium, ut dixi, sequutus, ארך *Areccam* esse Ptolemaei, in Susianae et Babyloniae

(*) Libr. IV. c. 16.

niae confinio ſitam. Nec obſtreperem, ſi quem ex antiquis teſtem haberet, nec potius omnium teſtium auctoritati ſolam opponeret ex concentu nominis ductam conjecturam. Hac enim ſola, in tanta nominum propriorum multitudine, quorum aliqua caſu convenire neceſſe eſt, uti periculoſum, maxime, ſi nomen Orientale habeas latine aut Graece ſcriptum, cujus Orientalem orthographiam ignores. Forte enim *Areccae* nomen illis literis ſcribitur, quibus parum cum ארך commune.

Haec vero, modeſta adhuc et verecunda, conjecturis et literarum mutationibus mire auxerunt Hydius et Bayerus. Areccam Babyloniae primo confert cum *Irac* (عراق) regionis nomine: deinde vult, Uram eſſe Chaldaeorum, (אור כשדים) Abrahami patriam, ab igne dictam, quod ignicolae eam Chaldaei habitaverint: tertio, nullo auctore, narrat, אור Syriace ܐܘܪܗܝ dictam fuiſſe; idque nomen tandem ita detorquet, ut Ὀρχηνοὶ Strabonis inde prodeant. Hic vero quot ſententiae, tot ruinae. Namque

1) عراق (עראק) nomen provinciae cis ac trans Euphratem, per Ain ſcribitur, noſtrae urbis nomen per Aleph: nec habet omnino literam cum noſtro nomine communem praeter R. Compara עראק et ארך, intelligesque conjecturae temeritatem.

2) Ex אור nunquam ארך, nec ex ארך fieri אור poteſt, quia litera Caph non ex his eſt, quas addere aut demere Orientales ſolent.

3) Nec niſi conjectura eſt etymologica, Uram ab ignicolis nomen accepiſſe. His autem conjecturis fidere, hiſtoriamque aut geographiam ex etymologiis hau-

haurire, intutum, cum plerorumque nominum propriorum origines caussasque ignoremus. Certe non Chaldaei ignicolae, sed Persae: nec ignis cultus in toto codice sacro commemoratur ante Ezechielem, ut veri dissimile sit, ignicolarum religionibus Abrahami majores innutritos fuisse.

4) Nec אור in אורהי (*Urhoi*) mutari potest. Fingit quidem, totus jam etymologicus, Bayerus, הי esse pronomen pro verbo positum, IGNIS EST: sed ita ܐܘܪܗܝ (*Uri*) dicendum fuisset: nec nomen proprium geographicum eodem modo compositum, totus nobis Oriens dederit.

5) Nec ullo teste constat, aliam urbem praeter Edessam, ܐܘܪܗܝ vocitatam fuisse: Areccae enim hoc nomen sine teste, solo ingenio et benevolentia largitus est Bayerus.

6) Nec אורהי et Ὀρχηνοὶ, adfinia nomina sunt. He enim Orientalium a Graecis plerumque omittitur, non in χ mutatur.

De sola Saadiae versione Arabica ut dicam, restat. Vertit ille, البرس (*Elbars*) quod nomen nuspiam reperire potui. Suspicor, vitiosam scriptionem esse, restituendumque البرسف, ut sit *Borsippa*, urbs Babyloniae, Thalmudicis בורסיף. Vide Cellarium pag. 749. et Buxtorfii lexicon Thalm. col. 362. Nempe cum ignoraret Saadias, in Aegypto vivens, quae ארך esset, videretque eam cum Babylone componi, ejus urbis nomen ex conjectura posuit, quam frequentissime magistri ante vel post Babylonem nominant, ut, cum dicunt, *Babylon et Borsippa mali ominis sunt legi.*

ואכר *Et Accad.*

Primo triplex notanda lectionis varietas. Hebraicae scriptioni, אכר, consentiunt, Samaritanus, Onkelos, Vulgata, Arabs uterque, et Persa.

Soli LXX habent Ἀρχὰδ, ac si esset ארכר, quod unum, repudiatis reliquis omnibus, ac nescio quam ob caussam verius habitum, explicandum sibi desumsit Bochartus (*), nec quasi lectionem probaret, sed quod putabat, *Arcad* pro *Accad* more Chaldaeorum scribi, cujus quidem mutationis grammaticae exempla non omnino desiderantur. Nullum autem urbis *Arcad* vestigium in tota reperiens geographia antiqua, ad fluvium recurrit *Argadem*, cujus Aelianus, L. XVI. de animalibus c. 42. his verbis mentionem injecit: Κτησίας γε μὲν ὁ Κνίδιος λέγει, περὶ τὴν Περσικὴν Σιττάκην ποταμὸν εἶναι, Ἀργάδην ὄνομα, *Ctesias Gnidius refert, ad Sittacen Persicam fluvium esse, Argadem nomine.* Huic fluvio cognominem urbem quis neget esse POSSE? Id tamen multis exemplis probat, eaque urbs, quae esse potuit, Bocharto est, nullo teste aut indicio. Hanc ergo urbem, unam ex possibilium numero, Arcadam facit a Nimrodo conditam, ac, quasi id parum temeritatis esset, addit, alio eam nomine Sittacen dici, deliberans, unde ita vocari potuerit. Denique ex hac sua conjectura locum Strabonis emendat. Quae quidem ita sunt ruinosa, ut sola enarratione convellantur. Geographiae equidem Orientalis fortunam doleo, quod has sibi conjecturas Bocharti quoque permittere sustinuerunt.

Syrus

(*) L. IV. c. 17.

Syrus per Resch ܐܟܪ scripsit, ut אכר (*Achar*) legisse videatur. Haec vero una lectio sententiam praestat, cum Accad et Arcad urbes ignoremus. Nempe, ut jam ad ipsam geographiam accedamus, *Achar* (ܐܟܪ אָכָר) antiquum fuit nomen urbis nobilissimae, quae deinde, forte a praesidiis ibi collocatis נציבין (quasi tu *Praesidia* diceres) Latine *Nesibis* appellata fuit. Ita Mesopotamiae peritissimus interpres, Ephraemus, ܘܒܐܟܪ ܕܐܝܬܝܗ ܢܨܝܒܝܢ, *et in Achar, quae est Nesibis*: eumque sequutus Abulfaragius. Similiter Hieronymus, a magistro suo nisi fallor edoctus, *et in Achad, quae nunc dicitur Nisibis*. Nomen urbis, secus quam Syri solent, per D scripsit, incertum, utrum ita in Hebraicis legens, an ab editoribus ad vulgarem lectionem correctus. Thargum quoque Hierosolymitanum et Jonathanis Nesibin (נציבין) habet, ut videri possint per Resch אכר legisse.

Pro certa haberem hanc explicationem, a Syris, et Chaldaeis traditam, confirmatam ab Hieronymo: in Mesopotamiae enim geographia Mesopotamiae incolis et Chaldaeis plurimum fidei haberi fas est. Aliquid tamen dubii movet alius ex Chaldaeis interpretibus, Jonathan verus, qui כַּנֵּה Ezech. XXVII, 23. Nesibin vertit: nec enim verisimile est, urbem, antequam Nesibis vocaretur, duo jam antiquiora nomina habuisse, ergo si prophetarum interpretem sequutus primum ejus nomen *Canne* facias, non videtur Mosis tempore *Achar* fuisse. Hoc tamen dubium diluetur, si כנה non antiquius urbis nomen facias, sed synonymum nominis נציבין adpellative accepti. Nempe his vocalibus, כַּנָּה, lectum nomen, *stationem mili-*

tum interpretatus Jonathan videtur, eoque nomine urbem, נציבין i. e. *ſtationes* dictam intellexiſſe, quod inſolitum non eſt Orientalibus, nomina propria appellativorum more vertere, ac ſynonymis appellativis mutare. In quo quam aut recte conjecerit aut prave, aliud erit judicandi tempus locusque, nunc ſufficit, interpretem Ezechielis Chaldaeum his non contradicere, qui antiquum Neſibis nomen *Achar* fuiſſe teſtantur.

* * *

וְכַלְנֵה *Et Calne.*

Ad ſcriptionem nominis et appellationem quod attinet, primo conſvetudini Rabbinorum Arabica literis Hebraicis ſcribentium, tribuendum, quod Saadias خلني per *Cha* habet: melius Maurus كلنة retinuit.

Graecis eſt χαλάννη, et Vulgatae *Chalanne*, ex quorum appellatione puncta vocalia haec erunt כַּלַּנֵּה, ſecus quam leguntur in bibliis maſorethicis. Hieronymus quoque, ubi aliquid Graecae lectionis corrigit, tamen CHALANN retinet, ut videantur omnino hae vocales maſorethicis, CHALNE, praeſtare. Ad Jeſaiae enim locum, c. X, 9. adſcripſit: *primo ſciendum, quod in Hebraico non habet* CHALANE, *ſed* CHALANNO. *Ultima enim nominis hujus litera non eſt Jod, ut LXX putaverunt, ſed Vau, quae literae ſola inter ſe diſtant magnitudine.* Chalannen ergo potius, quam Calnen, vocitemus.

Major lectionis diverſitas in Syriaca verſione, ܚܠܢ, ſeu, ut in editione Romana operum Ephraemi expreſſum eſt,

eſt, ܟܠܝܢܐ habente. Nec tamen quisquam, libris Syrorum adſvetus, putabit, interpretem in textu Hebraico כליח legiſſe, ſed manifeſtum mendum erroremque librariorum Syriacorum ſtatim agnoſcet, qui literas Jod et Nun, figura apud Syros ſimillimas, frequentiſſime confundunt. Confirmat ea quae dixi editio Romana Ephraemi, Jeſ. X, 9. et Amos VI, 2. cum enim biblia polyglotta in Jeſaia ܟܠܝܗ, inque Amoſo ܟܠܝܢܐ, utrumque per Jod, habeant, in Ephraemi commentariis utrobique per Nun, ܟܠܢܗ et ܟܠܢܐ legitur.

Samaritanus textus וכלהן habet, quod appellative poſſet accipi, *et hae omnes urbes ſunt in terra Sinear*, eſtque ita ab interprete Samaritano intellectum, וכהלין בארעא צופה, *et omnes illae ſunt in terra Sopha*. Nempe כהל Samaritanis *omnes* ſignificat, et ין ſuffixum eſt plurale femininum; quod ſi quis ignorat, teſtemque deſiderat, inveniet in CASTELLI lex. pag. 1688. et CELLARII horis Samaritanis pag. 80.

Nobilem eſſe, regiamque olim urbem, ex Jeſ. X, 9. et Amos VI, 2. diſcitur, ubi jam per He, ut hic, jam per Vau כלנו ſcribitur. Quam autem tertiam ſcriptionem ex Ezech. XXVII, 23. Bochartus addidit, כנה, non argumentis nititur, ſed ſola conjectura. Cum enim, quae eſſet illa Ezechielis Canna ignorarent, nec quidquam ignorari a ſe poſſe confiderent interpretes, Chalannam ex illa fecerunt. Male illi certe: nec enim Lamed ex literis eſt, quas abjici grammatica Hebraeorum concedit; nec variae lectionis ullum veſtigium. Omnes enim ſine Lamed habent, LXX Χαναα, Vulgata *Chene*, Hieronymus in commentario *Channe*, Syrus ܟܢܐ, Chaldaeusque,

que, ut paullo ante dixi, *Canna*, quod Nesibin interpretatus est.

Haec quidem de scriptione. Ad interpretationem nominis quod attinet, omnino sequor Bochartum, qui libro IV. c. 18. erudite et copiose disputavit, כלנה Ctesiphontem esse, pagum antiquissimum et nobilissimum ad Tigrim, in ea Assyriae parte, quae Chalonitis dicitur situm, nomine quoque regionis nomini Hebraico urbis concinente. Atque de hac quidem Ctesiphonte, e regione Seleuciae sita, soloque ab ea flumine Tigri ita diremta, ut Ctesiphon Occidentalis fluvio sit, Seleucia Orientalis, legi omnino velim Assemanum T. III. bibliothecae Orientalis P. II. p. 622 - 626. Seleucia ipsa eo loco a Seleuco Nicatore condita, ubi ignobilior olim Coche fuit, aut certe proxime a Coche: urbem autem utramque, Seleuciam et Ctesiphontem, uno nomine Arabes المداين (*Madain*) Syri ܡܕ̈ܝܢܬܐ, id est, *urbes*, vocant.

Hanc autem urbem כלנה esse consentiunt omnes, qui regionum circa Tigrim periti videri possunt: ex quibus Chaldaeos interpretes, seu, ut distinctius dicam, Thargum Hierosolymitanum et Jonathanem (*), Hieronymumque (**) et Eusebium nominavit Bochartus. Sed majores addere testes possum, Ephraemum Syrum et Abulpharagium, quorum ille ܩܛܝܣܦܘܢ (*Ctesiphontem*) hic مداين (*Madain*) interpretatus est.

Id

(*) קטספון

(**) *et in Chalanne, quae postea verso nomine a Seleuco rege est dicta Seleucia*, *vel certe, quae nunc* Κτησιφῶν *appellatur*. Quaest. in Genes. Ambigebat ergo inter vicinas urbes, Ctesiphontem et Seleuciam. Fidentior idem ad Amos VI, 2. *transite omnes in Chalane, quae nunc appellatur Ctesiphon.*

Id unum adhuc monendum, de Seleucia et Ctesiphonte Graecos quoque Jesaiae interpretes cogitasse videri, cum Jes. X, 9. haec scriberent: χαλάνη, οὗ ὁ πυργὸς ᾠκοδομήθη, *Chalane, ubi turris exstructa est.* Nempe Seleucia et Ctesiphon, postquam regia facta est Seleucidarum, totiusque Babyloniae metropolis, Babylonis nomen sibi arripuit (*): unde factum est, ut interpres, antiquae geographiae imperitus, circa Chalannam crederet turrim Babylonicam conditam fuisse, quod ab illo ad patres Graecos fluxit. Lege Bochartum libr. I. c. 9. qui locum Jesaiae attigit, sed fontem erroris, Seleuciam Babylonem vocitatam, non invenit, alia conjiciens.

* * *

בארץ שנער *in terra Schinear.*

Vide Bochartum L. I. c. 5. Dubio vacat, nomen esse regionis circa Babylonem, quod eam Genes. XI, 2. in planitie Sinear conditam legimus: sed quousque illa exporrecta fuerit, id vero quis in tanta rerum antiquitate dixerit? Mihi quidem, qui supra Nesibin et Edessam inveni, necesse est, omnem cum Babylonia Mesopotamiam campestrem sub Sinearitidis nomen cogere. Quod nec ab his abludit, quae jam de nominis reliquiis dicam.

Josephus in ipsa Babylonia vestigia ejus apud Hestiaeum historicum invenit. *Planitiem*, inquit, *Sennaar in Babyloniorum regione, commemoravit quoque Hestiaeus, his verbis: "qui vero de sacerdotibus servati „erant, cum Jovis Enyalii sacris in Sennaar Babyloniae „con-*

(*) Vide, Einleitung in die göttlichen Schriften des neuen Bundes, pag. 1637 - 1642.

„*concesserunt.* (Περὶ δὲ πεδίου τοῦ λεγομένου Σενναὰρ ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ χώρᾳ, μνημονεύει Ἑστιαῖος, λέγων οὕτως· "τῶν δὲ ἱερέων τοὺς διασωθέντας, τὰ „τοῦ Ἐνυαλίου Διὸς ἱερώματα λαβόντας, εἰς Σενναὰρ „τῆς Βαβυλωνίας ἐλθεῖν." libr. I. Ant. c. IV. §. 3.) Borealior est, in Mesopotamiae tamen planitie ab Austro Nesibis sita Singara urbs, quae et ipsa videri possit antiquum nomen servasse, Ain Hebraeorum per Gamma Graecorum expresso: quamquam et Arabes ac Syri nomen urbis per Gimel scribunt, سنجار, et ܫܝܓܪ (*), seu, ut corrigendum puto ܫܝܢܓܪ. Nec obstat Singaris, quod obvertit CELLARIUS (**), *circa Babylonem potius, quam in remotiore Mesopotamiae parte judicio veterum terram Sinear quaerendam esse.* Potuit enim utramque, et Babyloniam et Mesopotamiam complecti, estque sine dubio complexa, cum urbes, Babylonem, Edessam, Nesibin et Ctesiphontem habuerit.

Arabica versio, quae in polyglottis expressa est, sine G et Ain nomen scripsit, شِنْئُور, licentiane interpretis? an librarii vitio? an per opprobrium, quod Babyloniam aliis quoque ignominiosis notatam nominibus, *infamem* aut *malignam* detorto nomine dicerent? Est enim شَنَّار *dedecus*, et شِنِّير *malignus*. Ea quam Erpenius edidit, ab imprimentis manu habet, prorsus Hebraicis consentanee, شنعر, sed quod ipsa Erpenii manus (*,*) correxit adscripto in margine, سنجر. Nempe

(*) Assem. bibl. Or. T. III. P. II. p. 779.

(**) pag. 722.

(*,*) Illud testor exemplum libri,

pe qui typographo praeivit Arabica, festinantius, calamo oculis praecurrente, Hebraicorum recordatione, شنعر descripsit: errorem serius, finita jam parte libri intelligens editor, ex ipso codice Arabico شنجر restituit.

Duplex superest apud veteres nominis interpretatio, quam nondum satis illustratam video. Samaritanus, suis ille nominibus geographicis uti solitus, ארעא צופה, *terram Sopha*, vocavit: per errorem enim factum est, ut Castellus pag. 3149. sui heptaglotti ei *Aram Supha* tribueret. Haec autem terra *Sopha*, quae? ipsane Babylonia, ab his, quorum coloniae Samariam olim deductae sunt, ita dicta? an Syria Soba, quam Nesibin esse, alibi (*) disputavi? an denique terra speculae Babylonicae? Posterius praeplacet: a צפה *speculari*, turri Babylonicae nomen duci potuit. *Terram turris*, Babyloniam dicere, Judaeis frequentissimum.

ארעא דפונטוס *terram Ponti*, cum hic, tum c. XI, 3. XIV, 1. vertit Jonathan: mire, cum ea regio, in qua Babylon, Edessa, Nesibis, et Ctesiphon sitae, Pontum Romanis sic dictum nulla parte attingat. Ergo de illo cogitari Ponto nequit, quem inter et Mesopotamiam tota interposita est Armenia et Cappadocia. Pro Βοττικῇ Pon-

bri, quod olim Erpenii fuit, habetque nunc bibliotheca academica Goettingensis, copiosius a me descriptum in dissertatione de chronologia Mosis post diluvium, p. 177. not. **** commentationum, quas Societati regiae per annos 1763 - 1768. obtuli.

(*) In commentatione *de Syria Sobaea, quam Davides sub jugum misit.* Vide commentationes nostras ab anno 1763. ad 1768. Societati regiae oblatas.

Ponti nomen poſitum conjiciebat Bochartus, ita Chaldaeam vocatam fuiſſe ex etymologico magno aſſerens: ſed unius modo literae T ſimilitudine hoc quidquid eſt conjecturae nititur, ut malim adhuc fateri ignorantiam. Mihi quidem in mentem venit, et Pundae, urbis Babyloniae a Ptolemaeo commemoratae, et Euphratis Tigridisque, magnam Babyloniae partem Auguſto menſe maris in morem inundantium (*), unde ponti regio dici poterat. Sed malo et haec ad conjecturas ablegare, quibus tum denique lectores utentur, cum nova veriſimilitudo acceſſerit.

GENES. X, 11.

מן הארץ ההוא יצא

Ex hac terra egreſſus eſt.

* * *

Sententia, ex hac terra quae Tigride et Euphrate includitur, egreſſum eſſe, ſive Aſſyrium, ſive Nimrodum, (hoc enim adhuc in dubiis ponemus) ſuperatoque Tigri eas, quae deinde nominantur, urbes in Adiabene condidiſſe. Verbum exeundi apte poſitum: eſt enim Meſopotamia ſeparata a reliqua Aſia regio, et aliqua tanquam inſula, quo et nomine Orientalibus vocatur.

Pro ההוא, pronomine generis communis, Samaritanus ut ſolet femininum ההיא poſuit; quod hic nec laudo, nec vitupero, eos tamen audiendos non puto, qui textum Hebraicum ut manifeſti vitii grammaticalis reum ob-

(*) Büſching pag. 175. Aſiae.

objurgant, ubi הוא feminine ponitur. Ignorantne viri docti, pronomina generis communis dari?

* * *

אשור *Assur.*

Dubitatur, quomodo reddendum sit, utrum in nominativo, *Assur*, ita, ut ex terra Sinear egressus Assur sit, an, *in Assyriam*, ut Nimrodus ex terra Sinear in Assyriam egressus dicatur. Prius faciunt omnes pene veteres, LXX, Vulgata, Arabs uterque, Onkelos, et Thargum Hierosolymitanum, adduntque et caussam Judaei, nihil ignoraturi, cur ex regno Nimrodi Assur exierit. *Cum Assur*, inquit Raschi, *videret, filios suos Nimrodo aures praebere, Deique obedientiam exsuere, ita ut turrim aedificarent, egressus est ex medio eorum.* Ex alia traditione, cujus infra mentionem faciam (*), tyrannidem Nimrodi fugisse dixeris.

Posterius Bocharto placuit, L. IV. c. 12. et diu ante illum Jonathani. Hic quidem et fabulam addit; noluisse Nimrodum, hominem ut videmus valde pium, participem fieri consilii ejus aetatis, id vero est, noluisse consentire ad turrim Babylonicam aedificandam; urbes ergo, quas in Babylonia possidebat, ultro reliquisse, ejusque rei praemium a Deo novum in Assyria regnum habuisse. Ita Nimrodus magnum ac primum exemplum relictarum Dei caussa possessionum omnium, earumque magno cum foenere receptarum. Altera fabula cum impium Nimrodum fingat, haec ejus honori consulit, inque gratiam primi Mesopotamiae regis excogitata a Syro aliquo videtur. Vide simile quid supra pag. 219. observatum.

Mihi

(*) pag. 238.

Ponti nomen poſitum conjiciebat Bochartus, ita Chaldaeam vocatam fuiſſe ex etymologico magno aſſerens: ſed unius modo literae T ſimilitudine hoc quidquid eſt conjecturae nititur, ut malim adhuc fateri ignorantiam. Mihi quidem in mentem venit, et Pundae, urbis Babyloniae a Ptolemaeo commemoratae, et Euphratis Tigridisque, magnam Babyloniae partem Auguſto menſe maris in morem inundantium (*), unde ponti regio dici poterat. Sed malo et haec ad conjecturas ablegare, quibus tum denique lectores utentur, cum nova veriſimilitudo acceſſerit.

GENES. X, 11.

מן הארץ ההוא יצא

Ex hac terra egreſſus eſt.

* * *

Sententia, ex hac terra quae Tigride et Euphrate includitur, egreſſum eſſe, ſive Aſſyrium, ſive Nimrodum, (hoc enim adhuc in dubiis ponemus) ſuperatoque Tigri eas, quae deinde nominantur, urbes in Adiabene condidiſſe. Verbum exeundi apte poſitum: eſt enim Meſopotamia ſeparata a reliqua Aſia regio, et aliqua tanquam inſula, quo et nomine Orientalibus vocatur.

Pro ההוא, pronomine generis communis, Samaritanus ut ſolet femininum ההיא poſuit; quod hic nec laudo, nec vitupero, eos tamen audiendos non puto, qui textum Hebraicum ut manifeſti vitii grammaticalis reum ob-

(*) Büſching pag. 175. Aſiae.

objurgant, ubi הוא feminine ponitur. Ignorantne viri docti, pronomina generis communis dari?

* * *

אשור *Assur.*

Dubitatur, quomodo reddendum sit, utrum in nominativo, *Assur*, ita, ut ex terra Sinear egressus Assur sit, an, *in Assyriam*, ut Nimrodus ex terra Sinear in Assyriam egressus dicatur. Prius faciunt omnes pene veteres, LXX, Vulgata, Arabs uterque, Onkelos, et Thargum Hierosolymitanum, adduntque et caussam Judaei, nihil ignoraturi, cur ex regno Nimrodi Assur exierit. *Cum Assur*, inquit Raschi, *videret, filios suos Nimrodo aures praebere, Deique obedientiam exsuere, ita ut turrim aedificarent, egressus est ex medio eorum.* Ex alia traditione, cujus infra mentionem faciam (*), tyrannidem Nimrodi fugisse dixeris.

Posterius Bocharto placuit, L. IV. c. 12. et diu ante illum Jonathani. Hic quidem et fabulam addit; noluisse Nimrodum, hominem ut videmus valde pium, participem fieri consilii ejus aetatis, id vero est, noluisse consentire ad turrim Babylonicam aedificandam; urbes ergo, quas in Babylonia possidebat, ultro reliquisse, ejusque rei praemium a Deo novum in Assyria regnum habuisse. Ita Nimrodus magnum ac primum exemplum relictarum Dei caussa possessionum omnium, earumque magno cum foenere receptarum. Altera fabula cum impium Nimrodum fingat, haec ejus honori consulit, inque gratiam primi Mesopotamiae regis excogitata a Syro aliquo videtur. Vide simile quid supra pag. 219. observatum.

Mihi

(*) pag. 238.

Mihi vero prior interpretatio, *ex ea terra Assur egressus est*, multo videtur altera verisimilior, cum quod prima legenti succurrit, tum quod, *egressus est in Assyriam*, dicturus Moses, non אשור, sed אשורה cum He locali scripturus fuisse videtur. Scio, omitti illud He locale posse: hic vero perspicue et distincte scripturi erat, non omittere. Ex argumentis Bocharti nullum, quod vel minimam habeat vim probandi, idque solum sufficere poterat, ut veterum potius omnium consensum, quam novam sequamur Bocharti opinionem. Enarrabo, quae pro argumentis habet.

1) *Primo alienam* putat *ab hoc loco mentionem Assuri, filii Semi, quia genealogia texatur Hami non Semi.*

Pro certo ergo sumit, de eo Assuro, quem Semus genuit, Mosen hic loqui; quod ipsum est valde incertum. Abenesra quidem Assurum nostrum Japhetitam facit, ab Assuro Semi filio diversum. Sed ut concedam Bocharto, quod equidem serio negare nolim, Assyrios Semo ortos fuisse, poterat tamen in Nimrodi historia id quoque commemorari, Assyrios, sive voluntate et auspiciis Nimrodi, sive ab eo deficientes, ex Mesopotamia egressos sedes ultra Tigrim posuisse.

2) *Non pati ordinem historiae, ut Assuri gesta referat Moses versu undecimo, et nativitatem versu vicesimo secundo.*

Historiam ordine ac serie scriptam si hic legeremus, aliquid diceret Bochartus: at in genealogia eum obiter dataque occasione nominari, cujus nativitas

vitas ob ſtemmatis rationem narrari nondum potuit, nihil vitii habet. Quamquam ne in hiſtorica quidem ſcriptione reprehendendum, ſi, ut exemplo utar, Svecicas res exponens narres, Carolum cum Petro Magno bellum geſſiſſe, antequam de nato Petro verbum dixeris, quod ubi ad Ruſſica perveneris facies. Mirum, quas leges hiſtoriae ſcribendae comminiſci ſoleant ſacri codicis interpretes.

3) *Non fuiſſe peculiare Aſſuro, ex Sinearitide egredi.*

Facile id concedo: ſed nec Nimrodo peculiare fuit. At egreſſum illas urbes condere, quae a Moſe nominantur, id vero peculiare.

4) *Babylonem, aliasque urbes,* PRINCIPIUM *dici regni Nimrodi, unde conſequi, ut aliud priori regno regnum addiderit in Aſſyria.*

Addiderit vero! Idne obſtabit huic verſioni: *et egreſſus eſt ex hac terra Aſſur?* Potuerunt enim juſſu et auſpiciis Nimrodi exire Aſſyrii, inque colonias ultra Tigrim deduci. Quamquam et haec poſſit eſſe verborum ſententia: *initium regni Nimrodi fuiſſe Babylonem; reliquas urbes, Edeſſam, Neſibin, Cteſiphontem, ſerius ab eo conditas.*

5) *Aſſyriam a Micha c. V, 5. dici terram Nimrodi.*

Id vero valde dubium: poteſt enim eo nomine Babylonia quoque et Meſopotamia intelligi. Sed fac, de Aſſyria Micham loqui, nihil illud ad litem de noſtri loci verſione decidendam. Nimrodi enim juſſu et auſpiciis ſi Aſſur colonias in Aſſyriam duxit,

 quis

quis dubitabit, quin Aſſyria *terra Nimrodi* dici poſſit?

6) Idem reponendum ſextae Bocharti objectioni: *ſecundum hiſtoriam Graecam Aſſyriae et Babyloni ultimis temporibus eosdem reges fuiſſe.* Quamquam, ut verum fatear, in antiquis Aſſyriorum rebus exigua mihi eſt Graecorum auctoritas, quos ſaepe mendaces deprehendi, quod barbara nimis contemnerent, ac raro linguas barbaras diſcerent.

Fueritne autem Aſſur progenitor eorum, qui ex Sinearitide in Aſſyriam ierunt, an dux, de eo nihil certi habeo dicere, malimque aliquid a Moſe non proditum ignorare, quam res tam antiquas aut comminiſci, aut fidiculis ex verborum, quam putant, proprietate extorquere. Nec ſatis liquet, juſſune et voluntate Nimrodi, Adiabenen occupare cupientis, egreſſus ſit, an rebellaverit, fugeritque cum ſuis inſolitam novi domini tyrannidem. Armenios hoc feciſſe, ex antiquo chronico, chaldaice ſcripto (*) juſſuque Alexandri in Graecum ſermonem verſo, Maribas Catinenſis, a Moſe Chorenenſi excerptus, memoriae prodidit. Narrat quippe: *Haicum contra Belum rebellaſſe, Belo autem victore, Haicum, ſervire nolentem, cum ſuis in terram Ararat aufugiſſe, nec Belo revocanti paruiſſe. Hinc factum, ut ipſi Armeniae bellum inferret Belus, ſed in quo Haici manu interemtus ſit.* Vide Moſis Chorenenſis hiſtoriam Armeniae libr. I. cap. 9. et 10. Quod ergo Armeni, idem forte et Aſſyrii fecerint.

Pro

(*) Moſes Chorenenſis p. 23.

Pro אשור Samaritanus interpres *Aſton* (עסטון) ponit, quod quid ſit, neſcio: nomen forte Aſſyriorum, quo a majoribus Samaritanorum vocabantur. Multa ejusmodi nomina geographica, Hebraeis aliisque Orientalibus ignota, in Samaritanis occurrunt. *Aſton* in omni quidem geographia earum terrarum, de quibus hic agitur, invenire non potui: quem enim fluvium Arabiae *Aſtan* circa inſulam Bahrain ſinui Perſico ſe miſcentem habet delineatio d' Anvilliana, quid ille ad Aſſyrios?

Moſen Chorenenſem legenti, ex eoque diſcenti, Perſicum استان (*Oſtan*) ultra Aſſyriam quoque in Armeniam immigraſſe, conjectura ſubnata, עסטון Samaritanorum et استان Perſarum idem eſſe poſſe vocabulum: nec obſtare videbatur orthographiae diverſitas, Perſico verbo per Ain, Samaritano per Aleph ſcripto; adeo enim frequens harum literarum apud Samaritanos permutatio, ut ſoluta pene legibus orthographicis lingua eorum hac parte videatur. Nec multum quidem huic conjecturae tribuo: in tanta tamen vocabuli obſcuritate non omnino illam reticendam, ſed timide ac verecunde, ut conjecturam decet, exponendam eſſe arbitror. Plura autem استان ſignificat: ut, *deſertum*, forte a libertate et quod nullius eſt, dictum, Deut. XXXII, 10. *limen oſtii*, *aulam ſeu palatium regis*, Caſtello teſte, inque Armenia, ut Moſes nos Chorenenſis (*) docet, *libertatis perfugium*. Quin et *praeſidium regium* ſonat, ut alio ex loco Moſis Chorenenſis (**) diſcitur: *Ad regiam*, inquit, *cuſtodiendam quatuor cohortes conſtituit, quas cohortes* VERUM OSTANUM *nominavit*,

(*) libr. I. c. 29. quod totum caput legi ab his velim, qui de mea qualicunque conjectura judicabunt.

(**) pag. 93.

navit, quae deinde per multas aetates oppida et villas, avitas opes tenuerunt. Jam vero Perſarum reges alias cohortes inſtituere, quibus idem Oſtani nomen indidere. Poſſis ergo, prout ſive hanc, ſive illam ſignificationem nomini aptes, triplicem verſioni Samaritanae ſententiam ſubjicere: primam, *ex Meſopotamia Nimrodum in deſertam tunc, vacuamque ab habitatoribus, Aſſyriam egreſſum eſſe*: alteram, *ex Meſopotamia egreſſos in Aſſyria aſylum ſibi libertatisque perfugium quaeſiviſſe*: tertiam: *ex Meſopotamia praeſidium regium egreſſum eſſe.* Sic Aſſyrios Nimrodi ſatellites faceret Samaritanus. Sed ohe jam ſatis eſt, pudetque pene conjecturarum, cum aliorum conjecturis ſaepe fuerim ſeverior. Praeſtat fateri ignorantiam.

* * *

את נינוה *Niniven.*

De hac urbe nihil dico, quod nihil de illa habeo, praeter occupata ab aliis.

* * *

ואת רחבת עיר

Et Rechoboth Ir.

Plene Samaritanus, רחבות, pro more ſuo: ſed conſentientem hic nactus Syrum, ܪܚܒܘܬ habentem.

Dubitari autem poteſt, primo, nomen רחבת proprie ſit, an appellative accipiendum? deinde, quid adjectum עיר, (*urbem?* an, *urbis?*) ſibi velit?

Pla-

Plateas civitatis, appellative, habet Vulgata, idque ab Hieronymi manu, ſententiam verborum ita declarante: *quod autem ait: Niniven et Rooboth civitatem:* (ita nempe ante Hieronymum habebat Vulgata) *non putemus, duas eſſe urbes: ſed quia Rooboth plateae interpretantur, ita legendum eſt; et aedificavit Niniven et plateas civitatis.* Plateas ergo ipſius urbis Nini intelligebat: male, ut opinor. Quid enim opus dictu, Aſſurum non ſolam urbem Niniven, ſed ejus quoque plateas, condidiſſe? aut quis, רחבת media inter urbium nomina, eodemque modo conſtructum legens, non ipſum quoque nomen eſſe proprium exiſtimabit? Ac ne ſatis quidem grammatica eſt verſio: Moſes enim ſi plateas Nini dicere voluiſſet, ſcripturus erat, ורחבתיה *et plateas ejus*, aut certe cum He articuli, רחבת העיר, *die Straſſen* DER *Stadt*.

Nec tamen puto vertendum, *et Rechoboth urbem*: quid enim opus erat addi illud, URBEM, quod per ſe clarum in reliquis nominibus omnibus tacetur? Suſpicor potius, partem nominis proprii עיר fuiſſe, urbemque noſtram *Rechoboth Ir* dictam, ut ab alia urbe, *Rechoboth Hannahar* (*), ſeu fluminis, ad Euphratem paulo infra oſtium Chaborae ſita, diſtingueretur. Sic et Onkelos habet

(*) Geneſ. XXXVI, 37. ex hac *fluminis Rechobetha* ortus fuiſſe dicitur Saulus Idumaeae rex. Vide Schultenſii indicem geographicum, ex quo diſces رحبة (*Rahabam*) ſitam fuiſſe ad brachium Euphratis, Said dictum, tribus a Circeſio paraſangis. Vicus erat tempore Abulfedae, ſed turres antiquas aliaque monumenta ſervans, nocturnumque hoſpitium praebens ex Syria in Iracam euntibus. Habet eundem vicum Büſchingius p. 215.

bet in ſtatu conſtructo, רחובי קרתא, et Thargum Hieroſolymitanum פלטיתא דקרתא, *plateam civitatis*. Huic quidem quid rationis fuerit, pro רחבת ſynonymum recens Graecae originis פלטיתא (*Platitha*) ponendi, non intelligo. Itane a Graecis, nomina barbara interpretari inque ſuam linguam vertere ſolitis, vocabatur?

Jam diſpiciamus, quae ſit haec Aſſyriorum ſive Rehaba, ſive, ut Graeco nomine dicam, *Plataea?* כתכן repoſuit Samaritanus interpres, id vero eſt ſine dubio, *Sittacen*, oppidum et regionem Aſſyriae, licet de ſitu non prorſus conſtet (*). Sed cur Rechoboth hanc potius, quam aliam Aſſyriae urbem denotet, ejus quidem rei rationem, praeter exiguam Samaritani interpretis auctoritatem, nullam invenio.

Thalmudici in tractatu Joma פרת דמישן verterunt, ſuſpicante Bocharto, Phrath Miſchon Miſenen eſſe. Hoc vero non dubium, ſed certum prorſus et exploratum videbitur, lectis quae Aſſemanus habet, T. III. P. II. pag. 415. 728. 764. bibliothecae Orientalis. ܦܪܬ ܕܡܝܫܢ (*Euphrates Maiſchon*) Syris eſt regio circa Baſſoram, ab urbe epiſcopali ܡܝܫܢ (*Maiſchon*) nomen ſortita, quin et ipſa Baſſora, poſtquam caput regionis facta eſt, Euphrates Maiſchon vocari coepit. Ergo quid Thalmudici dicant, video: cur id dicant, cauſſam reddere nullam poſſum; namque nec nominis Hebraici ullum in Meſene veſtigium, nec veriſimile eſt, de urbe ad ipſum Tigridis oſtium hic loqui Moſen, cum in eo ſit, ut Aſſyriae urbes antiquiſſimas deſcribat.

Si

(*) Vide Cellarium T. II. p. 773.

Si quid lucis ſperandum, Syri id nobis accenſuri videntur. Interpres quidem, non explicans, ſed vertens, habet, ܪܚܒܘܬ ܡܕܝܢܬܐ *Rochebuth civitatis*, ſed id nomen interpretatur, earum regionum cognitor Ephraemus, ܚܕܝܒ *Chadjab*, ſeu *Adiabenen*. Eſt autem ܚܕܝܒ, quo de nomine conſuli velim Bochartum (*), Aſſemanum (**), et Schultenſium (***), primo fluvii nomen, quem Lycon vocarunt Graeci, Orientales זאב Syriaceque ܕܐܒ *lupum*, vel etiam ܚܕ ܕܐܒ (*Chad-dib*) *lupum celerem*, quod rapido maxime curſu fertur: *Zabus* eſt recentioribus, quod ex זאב ortum. Duo autem eodem nomine cum fluvii ſint, qui ab Oriente in Tigrim influunt, major et minor, illa Aſſyriae pars, quam Zabus uterque et Tigris complectuntur, ipſa quoque ܚܕܝܒ (*Chadjab*) dicitur, quod Graeci in Adiabenen mutarunt, Graecum quoque, ut ſolent, etymon commenti. Ita fluvium habemus Chadjab, regionem Chadjab, ſed quae non ſufficiunt urbem quaerentibus: urbem enim eo nomine aedificatam in Aſſyria Ephraemus referebat. Sed et hanc Ammiano monſtrante inveni, licet in tabulis geographicis locum ei ſatis certum adſignare nequeam. *Reges Ninive*, inquit L. XVIII, *Adiabene ingenti civitate transmiſſa, in medio pontis Auzabae hoſtiis caeſis, extisque proſperantibus, tranſiere laetiſſimi.* Habemus ergo hic Adiabenen, ingentem civitatem, in Aſſyria maxime propria non procul ab aliquo Zabi fluminis ponte ſitam, ſed noſtris geographis ignotam, et cujus rudera nemo adhuc, quantum ſcio, deſcripſit: pauci enim illuc terrarum pene-

tra-

(*) L. IV. c. 19.

(**) T. III. P. II. p. 414.

(***) In indice geographico ſub fluvio *Zaba*.

trarunt. Nec certum, ubi ille pons Zabi quaerendus ſit, a quo prope Adiabene aberat. Büſchingii Aſiam nuper legens, ad pontes Zabi, de quibus retulit, attendi curioſius. Habet autem pagina 169, primo ſub numero 4, *Altun-Kieupri, ſeu pontem aureum, qui ſit pons lapideus flumini cognomini impoſitus*, ſed quem ipſi Zabo dat Danvillius; deinde ſub numero 6, *Schirkzul, non procul a Zabo majore, qui magnum hic pontem fert, lapide quadro conſtructum.*

Quidquid ſit, donec nova aliqua lux adfulgeat, Ephraemo et Ammiano teſtibus contentus, credo, *Rechoboth Ir*, Adiabenen eſſe, non procul ab aliquo Zabi ponte ſitam: de qua et conferri velim, quae in hiſtoria belli Neſibeni pag. 100. 101. ſcripſi, veriſimile habens, ejus regem in hoſtibus Davidis numerari.

Bochartus, qui Ephraemum teſtem audire non potuit, conjecturis pro ſuo more uſus eſt. *Beritha* (בריתא) inquit, apud Chaldaeos plateam ſignificat: ergo fortaſſe רחבת, quod ipſum plateam ſonat, *Birtha* erit Ptolemaei *Virta* Ammiani, ad Tigris occaſum ſita. Ut autem reliquas ruinas non attingam, urbem quaerimus non ad occaſum Tigris ſed ad ortum, in Aſſyria ſitam, non, ut Virta Ammiani, in Meſopotamia.

* * *

ואת כלח *Et Celach.*

In ea et Bochartus eſt ſententia, et ſequutus illum Cellarius, eandem hanc urbem eſſe cum חלח (*Hhalach*), 2 Reg. XVII, 6. commemorata. Id quidem ſi verum ſit, non aliquod ad Tigrim oppidum, quod nullo auctore aut teſte in

in ſua Meſopotamiae ac Babyloniae delineatione poſuit Cellarius, ſed ipſa Holvana intelligenda erit, celeberrima medio aevo urbs, ac Chalipharum aeſtivos per menſes regia, quam apud Haſaeum in tabula ſecunda aetiolegica regni Davidis, inque d'Anvillii delineatione Aſiae ſub gradu longitudinis 35, latitudinis 63, invenies. Holvanam enim Arabum (حلوان), Syris jam ܚܘܠܘܢ (*Hhulon*) dici, jam ܚܠܟ (*Hhalach*) ex Syrorum monumentis docuit Aſſemanus, T. III. bibl. Or. P. II. pag. 418. 419. Sitne ab ea dicta Calachena Aſſyriae provincia, in incertis relinquo, ſitu Holvanae, ut ab Haſaeo et d'Anvillio ponitur, adverſante.

Sed hanc Hhalacham in libro regum memoratam, Syrisque et Hebraeis per Chet, חלח et ܚܠܚ ſcriptam, cum noſtra Calacha, a Caph incipiente, (כלח) conferre, per leges grammaticas non licet. Nuspiam enim in ſacro codice Caph et Chet literae permutantur, quibus diſtinguendis alias, quam nos, aures habent Hebraei. Utcunque ergo ab homine Europaeo pronuntiata concinant חלח et כלח, diverſarum tamen urbium nomina ſunt.

Ephraemus, quem in his rebus maxime auctorem ſequor, ܚܛܪܐ (*Chetro*) interpretatus eſt, ſeu, ut latino nomine dicam, Hatram. Id vero a Moſis narratione multum videri poſſit abludere, urbes trans Tigrim deſcribentis: Meſopotamiae enim urbs Hatra eſt, quam in Haſaei regno Davidis tab. IV. ſub gradu longitudinis 60, latitudinis 36, e regione Zabi in Tigrim influentis, conſpicies. Vide quoque Cellarii geogr. pag. 737. 738. in fine capitis XV, quod de Meſopotamia agit. Verum de hac Hatra non intelligendus Ephraemus, ſed de alia ܚܛܪܐ,

nunc vico, trans Tigrim in regione Maragae ſito, quem deſcripſit, atque ab Ephraemo innui docuit, Aſſemanus T. III. P. I. p. 485. P. II. p. 709. ſimul monens, eandem videri urbem cum *Chatracharta* Ptolemaei (*), quod nomen *Chatram urbem* (**) ſonat. Ab hac Hatra, olim Calacha, ſi quis Calachenen Aſſyriae provinciam dictam putet, non me habebit repugnantem, modo non ad Tigrim, ut fecit Cellarius, ſed in Maraga atque ultra Lyci fontes verſus orientem locum ei aſſignet.

Ignotum hic nomen habent Chaldaei ſequiores, diverſimode ſcriptum, Thargum Hieroſolymitanum חֲרֵיָת, vel, ut eſt in polyglottis, חֲרְיָת, Jonathan in hoc verſu פְּרִיוֹת, at in ſequente חֲדְיָת, per Daleth. Mendis haec plena eſſe, ipſa arguit diſcordia. Conſenſeruntne cum Ephraemo et חתרא ſcripſerunt?

Obollam (أُبُلَّة) vertit, in hac parte geographiae auctor non gravis, Saadias. Eſt vero Obolla et vicus quarta paraſanga ſupra Baſſoram, ad Tigrim, ſeu Schat-el-Areb; et fluvius ſeu canalis juxta hunc vicum ex Tigride derivatus, Baſſoramque fluens. Vide Aſſemani bibl. Or. T. III. P. II. p. 706. 719. et Büſchingii Aſiam, pag. 193. 196. Forte autem non de hoc vico cogitavit Saadias, ſed de ipſa Baſſora, quae facile confundi cum Obolla potuit. Quidquid ſit, non video, quo ductus argumento Obollam Saadias interpretatus ſit, nec concinere videtur ſitus Obollae, ab Aſſyria nimis remotae.

Igno-

(*) libr. VI. c. I. pag. 147. Cellarius in Meſopotamiae delineatione Chatrachartam nimis facere occidentalem Tigridique propinquam videtur.

(**) חטרא קרתא

Ignotum, ut saepe in geographicis, nomen ponit Samaritanus, לקסה, *Lacsa*. Urbemne aliquam ad Lycum fluvium ita vocabant? Graecum certe lupi nomen, *λύκος*, civitatem Chaldaicam adeptum est, לוקוס.

GENES. X, 12.

ואת רסן *Et Resen.*

* * *

Per Daleth legisse videntur LXX, דסן, habent enim, aut ΔΑΣΗ, aut ΔΑΣΕΜ. Reliqui omnes hebraicae lectioni concinunt.

Haec tanta olim urbs, Mosisque tempore Assyriae ac forte totius Asiae maxima, quae fuerit, obscurum. Bochartus, L. IV. c. 23. audaci literarum permutatione ex Resen *Larissam* fecit, a Xenophonte commemoratam, adque Pigretem amnem in Assyria sitam, moenia centum pedum altitudine, XXV latitudine, ambitu duarum parasangarum, habentem (*). Putat autem Resen in Larissam a Graecis mutatam, quod forte interrogantibus, cujus urbis rudera haec essent? Assyrii homines, addito ל genitivi indicio responderint, לרסן, *ad Resen pertinentia.* Haec quam caduca omnia! Quod autem addit: *fateri se, hanc magnitudinem cum magnitudine Ninives non esse comparandam: sed nec conferre Mosen:* id vero vix ferendum est, cum ipse fateatur Bochartus, verba, *haec*

(*) In Hasaei regno Davidis invenies in typo aetiologico primo, (tab. IV.) sub gradu longitudinis 60, lat. 36.

haec est urbs magna, seu *maxima*, non de Ninive, sed Resena accipienda esse. *Aedificavit*, inquit Moses, *Resenam, Niniven inter et Calach: haec est urbs maxima.* His lectis quis dubitare poterit, Niniven cum Resena comparari? Sed conjecturis, quas semel in clientelam susceperat Bochartus, ita favebat, ut nulla eum res turbare aut ad dubitandum inclinare posset.

Nomen iisdem literis scriptum ex Orientalibus retinent Onkelos, Syrus, et Arabs ab Erpenio editus: quorum forte duo priores urbem eo nomine cognitam habuerunt, nobis tamen eam non demonstrant, nec situm indicant. Ephraemus in commentario suo duobus verbis, ܪܣܐ ܪܝܫ ܥܝܢܐ, *Rassa est Rischaina*, quod copiosius explicat Assemanus, T. III. biblioth. Or. P. II. p. 709. *Rese*, inquit, *quae Ephraemo Rhesaina, non ea est, quae in Mesopotamia tumulo Gordiani junioris nobilitata fuit*, (*Cellar. L. III. c. 17. pag. 122.*) *sed altera in Assyria ultra Tigrim inter Niniven et Calach, quae Thomae Margensi in historia monastica dicitur*, ܪܝܫ ܥܝܢ ܩܪܝܬܐ ܕܨܦܣܦܐ ܕܒܐܬܪܐ ܕܡܪܓܐ *Rhesin vicus Saphsaphae, in regione Margae. In chronico Dionysii Jacobitarum patriarchae ad annum 772, inter urbes regionis Mosulanae, quas Arabes depopulati feruntur, recensetur*, ܪܣܝܢ (Ressin) *quam esse Resen scripturae nullus dubito. Ibi enim conjungitur cum Bethgarma, Hasa, Marga, Chonizapor, Coch et Salacha, quae sunt urbes Assyriae.* Adsentior omnino Assemano, nec ullus dubito, quin haec Syrorum ܪܣܝܢ, a Dionysio commemorata, Resena sit Mosaica. Eademne et *Rischain*, ܪܝܫ ܥܝܢܐ, *Resaena*, vocitata ob vicinos fluminis alicujus fontes fuerit, de eo nihil certi habeo:

habeo: crediderim tamen locorum perito Ephraemo, donec erroris arguatur. Id unum cavendum, ne utrumque nomen idem putemus, ac *Resen* ex *Rischain* vel *Resaena* ortum: quantumvis enim latinis literis scripta nomina Resen et Resaena conveniant, sunt tamen orientalibus ita diversa, ut alterum ex altero, Mosis certe tempore, oriri non potuerit. ܪܝܫ ܥܝܢܐ, *Rischaino*, *Rhesaina*, *Resaena*, vel ut semel scripsit Assemanus, *Rhesin*, Hebraicis literis est, ראש עין, *caput fontis*, seu locus, ubi fluvius primum e terra erumpit, unde multis urbibus vicisque Orientales nomen duxerunt, illique maxime Rhesainae Mesopotamiae, ad quam Chaboras oritur: at רסן, Syriacumque ܪܣܢ (*Ressin*), aliis omnino literis scribitur, adpellative *capistrum* significans; nec per leges linguae Hebraicae veteris fieri potest, ut, Ain litera omissa, ראש עין in רסין vel רסן contrahatur. Ergo si utraque urbs eadem, nomina tamen diversa sunt, alterumque ריש עין serius a situ ad fontes fluminis alicujus accepit.

Situm urbis nondum me adcurate cognitum habere fateor, nec recentior, quantum equidem scio, geographia, Resenam aut Rischainam inter Niniven et Maragam prodit. Si tamen ex Ephraemo tuto sumere liceat, Resen alio nomine Rischaino, caput fontis, dictam fuisse: suspicari ausim, non procul eam a Scherezur eo loco quaerendam esse, quo Diala fluvius ex terra erumpit: is enim locus Niniven inter et Maragam fere medius est, quem situm nostrae urbi Moses assignat (*). Suntne ibi tractuum magnae urbis rudera? Sed quis est, ex quo haec

(*) hoc ipso versu: *inter Niniven et Calach.*

haec quaeram? Pauci enim nostrorum Assyriam veterem adierunt, pauciores de ea retulerunt, peragravit nemo, sed si qui illuc aut delati aut profecti sunt, trita ac tuta viarum sequuti, interiora et reposta non viderunt.

Cum Ressina Coch urbem conjungi supra ex Assemano audivimus, quae aut ipsa est Seleucia, aut Seleuciae proxima (*). Nempe Dionysius patriarcha, ab eodem Assemano T. II. p. 115. excerptus, narrat: *Arabes Taalabitas et Maaddenos anno 1083*, id vero est, anno Christi 772, *e finibus suis egressos, regiones Mosol, Bethgarmae, Hezae, Margae, Cannisaporae, Ressinae,* (رصيف) *Cochae et Salachae occupasse.* Pro extenuando errore Saadiae adferri id possit, in hac vicinia Resenam quaerentis, et *Madainam*, (المداين) id vero est, Seleuciam et Ctesiphontem vertentis. Ab erroris tamen culpa absolvi non potest: Madaina enim inter Niniven et Calach sita nullo modo dici potest, si modo Calach Hatra est Maragae. Sed eum magnae urbis nomen decepit, quo Resenam nostram Moses cohonestavit; idque unum sequutus eam urbem nominavit, quae, Judaeorum rebus ad Euphratem ac Tigrim florentibus, earum terrarum fuit maxima. Ita in antiqua geographia cum nostro tempore comparanda saepe obliviscimur, quam fluxae sint et mutabiles res humanae, easque urbes, quae nostra majorumque memoria aut ignobiles sunt, aut vici, aut ruinae, ante aliquot millia annorum maximas fuisse orbis terrarum.

Samaritanus, ut saepe, ignotum, ac solis forte accolis usitatum nomen urbis ponit, עספה, *Asfa*, quae ubi sita, aut quo alias nomine vocata fuerit, ignoro: indico tamen,

(*) Vide pag. 230.

tamen, quod poſſit forte alios urbis noſtrae ſitum inveſtigaturos, juvare. *Osfanam* (عسفان) quidem Arabiae, Meccam inter et Medinam in provincia Higaz ſitam (*), aut *Asfunam* (اصفون) Aegypti urbem (**), nemo intellexerit, Moſe de Aſſyriae urbibus loquente. De Iſpahana forte quis cogitaverit, quamvis ſit et valde remota verſus Orientem, aliisque literis اصبهان ſcribi ſoleat: ſunt enim in orthographia ſolutiores Samaritani, maxime in gutturalibus. Nolim tamen errorem ab interprete tam turpem admiſſum eſſe: Iſpahana enim nullo modo media inter Niniven et Calach dici poteſt.

Thelaſſaram habent ſequiores Chaldaei, תלאסר Thargum Hieroſolymitanum ſcribens, et Jonathan ſine Aleph תלסר. Quod quo indicio fecerint, atque utrum jure an injuria, exiſtimare non poſſum, quae ſit Thelaſſara ignorans. Hanc tamen occaſionem nactus obiter de Thelaſſara dicam.

Thelaſſarae nomen, ut urbis aut regionis ab Aſſyriis victae, 2 Reg. XIX, 12. תְּלַאשָּׂר et Jeſ. XXXVII, 12. תלשר ſcriptum legitur: habet praeterea Jonathan pro Hebraico אֶלָּסָר, Geneſ. XIV, 1. vereor ut recte, cauſſam enim nullam video, cur תלאשר et אלסר pro uno eodemque nomine habenda ſint. Syrus tamen utrumque nomen pro ſynonymo habet, atque ܕܠܣܪ (*Dolaſſar*) reddit: ſed haec Syri Dolaſſara aeque ignota, ac Thelaſſara, et Ellaſſara. Eſt

(*) Vide ABULFEDAE deſcriptionem peninſulae Arabum pag. 51. et 53. editionis in folio.

(**) Voyage d'Egypte fait par Norden, planche CXIV. ſub hora itineris 141.

Eſt autem ex obſcuriſſimis nominibus geographicis Thelaſſar. Nihil de eo Bochartus: Clericus ad Gen. XIV, 1. occaſione Elaſſarae de eo diſputans, male rem egit. Sumit nomina ſynonyma eſſe. Situm urbis putat inde definiri poſſe, quod Jeſaia teſte filii Eden in Thelaſſar habitaverint. Hic ut taceam, nomen Eden multis regionibus urbibusque in Oriente commune eſſe, potuerunt filii Eden in coloniam deducti longe a patria ſua habitare, nec de ſitu Thelaſſarae ex ſitu Edenis colligi quidquam poteſt. Quid? ſi quis Carthaginem Tyro, aut Salisburgenſem epiſcopatum Boruſſiae et Georgiae vicinum putet, quod eo coloniae iverunt? Nec vero antiqui interpretes certiora de ſitu Thelaſſarae adferunt. Syrum obſcurius ܐܠܣܪ, reponere, jam dixi. Vulgata Geneſ. XIV, 1. regem Ponti habet pro rege Ellaſſarae; forte תלסר, quod pro אלסר legebatur, cum Graeco Θαλασσα conferens. LXX in Jeſaia Θεεμαθ, in libro regum Θαεσθεν ſcripſerunt, quae nomina nunquam alias aut legi aut audivi. Arabici pentateuchi interpretes אל in אלסר pro articulo Arabico habuiſſe videntur, unde hac ſyllaba omiſſa ſcribunt, Maurus quidem سر, et Saadias سَرِيَات. Ne haec quidem nomina agnoſco, niſi forte per ش ſcripta fuerunt ab interpretibus, cogitaveruntque de Schara (شراة) (*) Arabiae provincia, quam deſcriptam invenies in Büſchingii Aſia, pag. 515 - 518. Quamquam ſi id fecerunt, erroribus adnumerandum eſt: cum enim quatuor reges, quorum unus eſt rex Elaſſarae, per Damaſcum in patriam redierint (**), manifeſtum eſt, Elaſſaram non Scharam eſſe poſſe, proximam Palaeſtinae ab Auſtro et Oriente.

Id

(*) Vide Abulfedae Syriam ex KOELERI editione pag. 8. 11. 14. 15.

(**) Geneſ. XIV. 14. 15.

Id quidem certum, multas Syriae, Mesopotamiae, Assyriae urbes, nomina habere ab initio cum תל composita. At תלאשר et תלשר sitne punctis consentanee *Thelassar* adpellandum, an תְּלַאשַּׂר, תְּלַשָּׂר, aut utcunque volueris, urbisne nomen Assar, Aschar, Lassar, Ellassar fuerit, nemo docere nos potest, antequam novae quid lucis ex geographia adfulgeat. Quod donec fiat, quae Elassara ac Thelassara sit, ignorare malim, quam comminisci: inquirere tamen pergam, et si quid aut certi aut vero similis invenero, in tomo tertio spicilegii prodam.

* * *

הוא העיר הגדלה

Haec est urbs magna.

Pro הוא, pronomine olim generis communis, Samaritanum היא habere, vix opus est ut moneam: fert enim ita mos librarii, quae vetustate ignota erant, ad vulgatum et notiorem Hebraismum mutantis.

De Resena Mosen loqui, nullus dubito, licet aliqui ad Niniven haec referant. Resenam describit, ut inter Niniven et Calacham sitam: jam cum addit, *haec est urbs maxima*, loqui putandus est de ea urbe, quam describere coeperat, non de alia obiter nominata, atque omnium minime de Ninive. Quodsi enim ad alteram urbium, inter quas sita Resena, eximiae magnitudinis laus referenda esset, Calacha potius proxime praecedens hunc sibi honorem vindicare, quam Ninive, posset. *Urbs magna*, cum He articuli, est, reliquarum maxima. Latina versio ambigua, culpa linguae articulum non haben-

 tis,

tis, at si germanice vertas, *dis ist die grosse Stadt*, auribus etiam sine artis ope percipietur verborum sententia.

Incredibile videri possit, urbem, cujus nomen vix reperire nobis licuit, majorem fuisse celebrata Assyriorum regia. Sed de Ninive, qualis Mosis tempore fuit, conjectura non facienda est ex his, quae Jonas aut Graeci scriptores de ejus magnitudine retulerunt. Crescunt urbes ac decrescunt, potuitque illa Ninive, quae adulto Assyriorum regno quotannis quadraginta nascentium millia habebat, mediocris adhuc esse, multumque a Resena vinci, cum Moses haec scriberet. Sic superiore adhuc seculo Berolini mediocritas multum Koenigsbergae concedebat: nostro tempore immensum crevit, longoque post se intervallo omnes ditionis Borussicae urbes relinquit.

GENES. X, 13.

Haec, quae sequuntur, nomina, non singulorum hominum esse, sed populorum ex Aegypto egressorum, indicio est pluralis numerus, ut recte monuit Abenesra. Licet enim et virorum singulorum nomina nonnunquam pluraliter terminentur, est tamen veri dissimillimum, unius patris omnes filios nomina pluralia habituros fuisse.

Plerosque autem populos, quorum originem Moses ad Aegyptios retulit, penitus ignoramus, inque maxima versamur antiquarum ac nimis remotarum rerum obscuritate: idque omnino necesse habeo praefari, quod ignorationem potius profiteri, quam conjecturis uti audacibus, statutum habeo. Intellexit hunc geographiae defectum suo

ſuo jam tempore Joſephus, Palaeſtina Libyaque exceptis, reliquas omnes urbes gentesve interiiſſe monens, cujus rei cauſſam in bellum Aethiopicum derivat, duce, ut vult, Moſe ab Aegyptiis geſtum, quo everſae ſint. *Reliquorum*, inquit, *nihil praeter nomina novimus, bellum enim Aethiopicum, de quo deinceps dicemus, urbes eorum evertit.* Παρὰ τῶν ὀνομάτων ὀυδὲν ἴσμεν. Ὁ γὰρ Ἀιθιοπικὸς πόλεμος, περὶ ὅῦ δηλώσομεν ὕστερον, ἀναστάτους ἀυτῶν τὰς πόλεις ἐποίησεν. L. I. Ant. c. VI. §. 2. Male ille quidem. Bellumne enim, quod victores Aegyptios cum Aethiopibus geſſiſſe narrat, colonias Aegyptiorum ita vaſtaverit, ut nulla earum memoria ſupereſſet? Quod ſi autem Aethiopico bello iſtae omnes coloniae perierunt, quid erat, cur hic in libro ſerius ſcripto a Moſe commemorarentur? Bellum enim Aethiopicum Moſe duce geſtum vult, antequam ex Aegypto in Arabiam fugeret.

Rectius dixiſſet, interiora Africae, ac tanquam inſulas vaſta inter deſerta arenarumque aequora interjectas, incognita eſſe. Quod vel in hunc usque diem fateamur, neceſſe eſt. Intima enim Africa quid ignotius? Sola pertentavimus litora, illisque proxima, aut quo nos flumina deduxerunt: nec novimus, ut exemplo utar, ubi habitet populus, cujus mercatores per immania deſerta magno agmine Cairum adire ſolent. Adde, Graecorum geographos nomina urbium gentiumque Aegyptia aut ignoraſſe, aut memoriae non prodidiſſe, Graecis uſos: LXX autem interpretes, Aegyptiae alioquin geographiae probe peritos, multamque ei lucem adfundentes, nihil hic habere praeter nomina Moſaica Graecis utcunque literis ſcripta; forte quod colo-

coloniarum aliquae in interiorem Africam, ipsis quoque incognitam, deductae essent.

* * *

לוּדִים *Ludim.*

In Paralipomenis cum duplici Jod scribitur, לודיים, male notantibus masorethis, Jod superfluum esse. Redundat quiden, si vocales sequaris; sed hoc ipsum vocales vitii arguit, estque indicio, לֻדִיִּם, inque libro Mosis לֻדִיִּם legendum esse (*). Sic et LXX interpretes adpellari voluerunt, in Genesi λουδιειμ, in Paralipomenis λωδιειμ scribentes.

Gravior lectionis varietas in Samaritano textu et versione, hac לודים, illo להודים habente. Suspicatus aliquando sum, hanc lectionem ex alia, הודים, *Indi*, ortam fuisse: possint enim, nisi Indi in universum, magnates tamen eorum Bramanes, ob magnum morum opinionumque consensum, Aegyptiae haberi originis: sed tamen audacior justo conjectura videtur.

Hebraicam lectionem si sequutus *Ludijim* efferas, duplices a Mose memorabuntur Ludaei, seu, ut volunt, Lydii; nostri, Aegyptiorum colonia, et versu 22. alii a Semo orti. Frequens praeterea populi in sacris literis mentio, Jes. LXVI, 19. Jerem. XLVI, 9. Ezech. XXVII, 10.

(*) Nempe a formis עברי pluralis flecti potest עִבְרִים et עִבְרִיִּם, licetque posteriorem formam plenius scribere, עבריים, sed quam scriptionem saepe ut redundantem notarunt masorethae, quod vocalibus adversaretur. Vide Esther VIII, 13. IX, 18. 1 Paral. XIV, 10.

10. XXX, 5. ſed ut certa notitia Ludaeorum inde peti nequeat. Id tamen veriſimile, de noſtris haec loca Ludaeis accipienda eſſe, non de alteris Semo ortis, quod cum Africanis populis, Aethiopibus, Phutaeis, ſuperiorisque Aegypti incolis, componuntur. Jeſaiae quidem gens ſunt valde remota, cujus mentionem cum Tarteſſo et פול, id vero eſt, Philis, Nili circa catarrhactas inſula et urbe, conjungit. Apud Jeremiam et Ezechielem cum Aethiopibus et Phutaeis componuntur, ſuntque mercenarii Aegyptiorum et Tyriorum milites. Unde conſequi videtur, ut gens ſint Africana, *fortitudinis laude aliquando* nobilitata, valde a Palaeſtina remota, nec tamen in intimis Africae receſſibus, ſed forte ad Occidentem quaerenda: fac enim, ultra Philas in Aethiopia aut Nubia Ludaeos habitaſſe, veriſimile non eſt, ſtipendia eos Tyriis facturos fuiſſe.

Si quid ultra haec quaeras, nihil quod probari, ac ne quidem quod aequis auribus ferri poſſit, ab omnibus illis reſponderi audies, qui in hunc usque diem ſententias dixerunt. Aethiopiam, et vero illam ejus partem, quae nobis Abeſſinia dicitur, interpretatur Bochartus L. IV. c. XXVI, decem argumentis uſus, ſed ex quibus vix unum refutatione dignum eſt. Nec credo quemquam, iis lectis, quae paginis praecedentibus ſcripſimus, in ejus ſententiam conceſſurum: ac ſi vel ei dederim, quod dari per Ezech. XXVII, 10. non licet, in intima Africa Ludaeos habitaſſe, non tamen apparet, cur Abeſſini potius quam alii ſint Africae mediterraneae habitatores.

Qui antiquis Hetruriae monumentis linguaeque nuper in Italia ſtudium addixerunt, eorum aliqui valde ſibi in hac Aegyptiorum colonia plaudunt: Hetruſcae credo

lin-

linguae peritiores, quam, quas in subsidium vocant, Copticae et Hebraicae. Lydios intelligunt, eosque ex Aegypto egressos Mosis jam testimonio efficiunt: a Lydiis Hetrusci oriundi; ergo et hi natalibus Aegyptii, eorumque monumenta ex *lingua* Aegyptia illustrari possunt. Hanc vero cum Hebraicae putent cognatam, Hebraicorumque verborum significationes vocabulariorum deterrimis credant: magna usi literas detorquendi et mutandi licentia Hebraica prave intellecta Hetruscis comparant; ignari, nihil veteri linguae Aegyptiae cum Hebraica cognationis intercedere.

Arabicus pentateuchus in bibliis polyglottis expressus Tanisienses, (تنيسيون) habet, id vero est, Taniticos, urbs enim Tanis Arabibus تنّيس scribitur: Paralipomena Arabica, صعيديون, *superioris Aegypti incolas:* utrumque ex conjectura, ex quibus prior manifesti erroris rea est. Tanis enim Hebraeis צען dicitur. Jonathani, sed et huic nihil praeter conjecturas habenti, Ludaei sunt נווטאי, seu, ut recte explicat Bochartus, *incolae nomi Neut.* Est ille nomus in insula situs, quam Taniticum Mendesiumque ostium ambeunt, nec procul a Tani, ut uno fonte derivata Jonathanis et Arabis interpretatio, nec re diversa, sed nominibus, videri possit. In Aegypto ergo, atque adeo in Delta, coloniam Aegyptiorum quaerebat, cum Saadias, tum Jonathan: quorum si patrocinium suscipiendum esset, dicerem, Delta Aegypti serius e mari emersisse, limo quem Nilus devehit, et regum operibus exaggeratum; nec ergo abludere a vero, earum insularum quas Nilus nunc efficit incolas, filios Aegyptiorum, id vero est, colonias ex superiore

Aegy-

Aegypto deductas, dici. Sed nolo hac fraude uti. Jesaias Ludaeos ut valde remotam gentem nominavit: non erga circa Tanin in vicinia Palaestinae sedes habere potuerunt. Cujus Jesaiae loci immemor si quis conjicere voluisset, non vere quidem, verisimilius tamen, *Lyddam* Palaestinae, nomine consonantem, et *Philistaeis* ortu Aegyptiis vicinam, coloniam Aegyptiam facere potuisset. Sed vel hanc nominis interpretationem Jesaias damnat: reliquae omnes ita sunt comparatae, ut malim Ludaeos ignorare, quam ullam earum, non dicam meam facere, sed omnino dignam putare, de qua anquiratur.

Haec ipsa cum in collegio critico, caput Genesis X, geographiamque veterem explicans disputarem, auditorum unus, Gustavus Murray, philosophiae magister, conjecturam tentavit reliquis omnibus multo verisimiliorem. Quaerebat enim ex me, possitne de eo populo cogitari, quem *Luday* dictum in Africae Occidentalis litore ab Austro regni Maroccani sub gradu latitudinis 25 habeat delineatio Africae Hasaeana, ac diu ante Ludovicus Marmolius (*), sub gradu 23. et 24. Situm locorum non obstare agnovi, cum Phutaei et Ludaei *aliquoties*, ac semel etiam Lud et Tharschisch conjungantur. Sed vereor, ne ille populus *Luday* et *les Ludayes* dictus, Arabicae sit originis, quod si est, non potest a Mose ut colonia Aegyptia commemorari: qui enim Africam occidenta-

(*) In descriptione Africae. Prodiit Hispanice Tomus I. et II. anno 1573. Granatae, tertius Malagae 1599. Ego vero non nisi versionem Gallicam nancisci potui, quae 1667. Parisiis prodiit. In hujus editionis Tomo III. statim in initio invenies delineationem partis Africae, populum *Ludayes* dictum habentem.

talem habitant Arabes, post Muhammedem demum ex Asia se in illam effuderunt. Marmolius quidem ipse bis Ludayos suos ad Arabes refert: p. 5. *elles souffrent beaucoup des courses des Arabes du desert, qu'on appelle Bérébéches, Sénégues, et Ludayes;* et pag. 7. *ils sont sujets aux Arabes des Ludayes.*

* * *

ענמים *Anamim.*

Ab hoc inde populo nomina in Graecis bibliis transponuntur, hoc ordine, נפתחים ענמים להבים. Est tamen varia in bibliis Complutensibus lectio, ad Hebraicum textum, ut suspicor, ab editoribus correcta.

Samaritanus scribit עינמים, cui scriptioni concinit Graecus pentateuchi interpres (*), Ἐνεμετιεὶμ, vel Ἀινεμετιεὶμ habens, nisi quod T quoque addito עינמטים in suis exemplis legisse Graeci videri possint. Est quidem haec lectionis varietas non contemnenda, partim quia Bocharti sententiae intercedit, ex etymologia populum Anamaeorum invenientis, quae tota perit, si עינמים scribas: partim quod his literis compositum nomen explicationem admittit non omnino reprehendendam. Habet enim Palaestina urbem עֵינָם (*Aenam*) Jos. XV, 34. in vicinia ipsorum eorum Philistaeorum, quos ex Aegypto adventitios Moses narrat. Quidni ergo et urbs Aenam colonia fuisse Aegyptiorum potuerit?

Quod

(*) In Paralipomenis Graecus Ἀναμιεὶμ ponens, nullam habet lectionis varietatem: a punctis tamen masorethicis recedit, appellatque, ac si עֲנָמִים esset. Vide notata de לודים pag. 256.

Quod Syrus habet ܝܥܒܝܡ (*Jaabim*) nec interpretatio esse videtur, nec ex varia lectione textus Hebraici ortum, sed mendum versionis Syriacae. In gentis ignotae nomine errari facile a librario potuit: pro Nun Syriaco saepe per errorem Jod pingi, jam aliquoties monui, Beth autem et Mem Orientalibus similitudine soni confunduntur. Forte ergo pro ענמים primo transpositis literis ܢܥܡܝܡ scriptum, indeque ܝܥܒܝܡ exstitit.

Varie interpretantur, qui conjecturae periculum fecerunt.

1) Bocharto L. IV. c. 30. sunt Nomades circa templum Jovis Ammonis, quos solo ductus etymo, ab ovibus, Arabice غَنَم, invenit. Quid autem, si nomen sit Aegyptium, nec ex Hebraica Arabicave lingua derivandum? aut, si lectio Samaritana עינמים sit Hebraica verior?

2) Saadias in versione Arabica *Alexandrinos* vertit.

3) Paralipomenorum interpres Arabicus Bahisanianos, بهسنيون, mihi ignotos, reposuit: sed suspicor, mutatis punctis diacriticis بهنسيون scribendum, quod nomen sub sequente להבים explicabo.

4) Jonathan, Thargum Hierosolymitanum, interpresque Chaldaeus chronicorum, מריוטאי, vel מראטאי habent, id est, ut dudum alii monuerunt, Mareotidis incolas.

In his cum nihil sit solidi, nec interpres interpreti concinat, malim ignorantiam profiteri.

לְהָבִים *Lehabim.*

In appellatione nominis, vocalibusque, non omnino veteribus cum codice punctato Hebraico convenit. Vulgata enim *Lahabim* habet, ac si esset להבים, non agnita lege grammatica, quae abjici vocales crescentis in plurali nominis jubet, ac LXX Λαβιειμ, quasi cum Jod mobili scribendum sit, להביים.

In aliis libris aliquoties Lubaeorum mentio fit, populi Africani, cujus nomen iisdem prope literis לובים scribitur, Nahum III, 9. Dan. XI, 43. 2 Paral. XII, 3. XVI, 8. *Libyes* ubique vertunt LXX et Vulgata, atque, quod eodem fere redit, *Nubienses*, Arabs in Nahumo et Daniele. Hi ergo לובים si iidem cum nostris להבים, ut supra Ludaeorum nomen לודים et להדים scribi vidimus, interpretationem certe aliquam nominis habemus, sed multo, quam optarem, latiorem; nihil enim ex ea colligi potest, praeter hoc unum, sedes genti in aliqua Africae parte extra Aegyptum assignari. Quod enim Bochartus (*) addit, Libyaegyptios esse, Melae (**), Plinio (*,*), et Ptolemaeo (*,**,*) memoratos, lusus est in nomine. Libyaegyptii his auctoribus sunt gens mediterranea Africae incognitae, qua parte Libya Aegypto erat, ut

(*) L. IV. c. 28.

(**) L. I. c. 4.

(*,*) L. V. c. 8. *versus superque Gaetulos intervenientibus desertis primi omnium Libyaegyptii.* Ex his verbis nemo situm agnoverit.

(*,**,*) L. IV. c. 5. p. 104. Gradum non notat, interponit tamen inter

long. 59 : 30. lat. 29 : 30.
long. 62 : 40. lat. 29 : 15.

ut in tanta vaſtitate et ſolitudine, contermina: quae nec ubi ſita fuerit ita deſcribunt, ut inveniri poſſit, nec conſtat, Aegyptiosne colonos habuerit, an alios. Hic vero Libyam quaerimus, non qualicunque de cauſſa ab aliquo cum Aegypti nomine compoſitam, ſed ab Aegyptiis habitatam. Melius forte de ipſa cogitari occidentali Aegypto potuiſſet, maximeque de vallibus ejus ultra arenoſa deſerta, immiſſo per ingentes aquae ductus Nilo foecundatis(*). Strabo quidem teſtis eſt, ut ea, quae ab Oriente Nili ſunt, Arabiam, ita Occidentalia huic flumini Libyam, adpellari conſveviſſe: ἐντεῦθεν ὁ Νεῖλος ἐστὶν ὁ ὑπὲρ τοῦ Δέλτα. Τούτου δὲ τά μεν δεξιὰ καλοῦσι Λιβύην ἀναπλέοντι, ὥσπερ καὶ τὰ περὶ τὴν Ἀλεξάνδρειαν, καὶ τὴν Μαρεώτιν· τὰ δὲ ἐν ἀριστερᾷ Ἀραβίαν. (L. XVI. p. 806. al. 1160.) Quin Ptolemaeus L. IV. c. 5. Marmaricam inter et Aegyptum Libyae nomum interponit: vallesque illae occidentales, trans montes arenoſos, quibus reges Aegypti Nilum arte induxiſſe putantur, ſine dubio nova aliqua Aegyptus erant, in quam colonias deductas fuiſſe nemo dubitabit. Mihi veriſimillimum, noſtram Libyam ab Aegyptiis habitatam, his in partibus quaerendam eſſe: a qua immenſi deinceps Africae Occidentalis tractus Libyae nomen mutuum ſumſerunt.

Libyae enim nomen antiquum eſſe, ex Hebraeorum monumentis conſtat, atque ſi להבים et לובים iidem, ex noſtro loco collegeris, primo alicui Africae parti ab Aegyptiorum coloniis habitatae proprium fuiſſe, atque dein-

(*) Vide *Paul* LUCAS *Voyage de la haute Egypte*, L. V. p. 103. 104. 105. et tabulas geographicas Haſaei regni Davidis adjectas, ſub gradu 26½ latitudinis, 48 et 49 longitudinis.

deinde latius pro magna Africae parte usurpari coepisse. Servarunt idem nomen ut notum, suisque linguis receptum versiones, Syriaca Dan. XI, 43. haecque et Chaldaica Nahum. III, 9. itemque Chaldaica sola 2 Paral. XII, 3. XVI, 8. Arabibus quoque iisdem literis radicalibus لوبية dicitur, licet in bibliorum versione hoc me nomen legere non meminerim, sed ejus loco Nubiam.

Etymologiae alias parcus cultor, ubi de re geographica quaeritur, dissimulare tamen non debebo, Libyae, sive להב sive לוב scriptae adpellativam significationem, non posci, sed ultro offerre linguas Orientales. Si enim להבים scribitur, potuit dici a להב, *flamma* solis, qua uritur,

torrida semper ab igne,

ut vel finxerint exteri, aliquos Africae interioris populos soli Orienti et Occidenti maledicere, quod ipsis agrisque suis exitialis sit (*). לובים si malis, dici potuerunt a لوب *sitire*, tanquam, *terrae sitientis incolae*. Forte ergo hoc nomen non fuit Africanum, gentibusque quas designabat domesticum, sed ab Asiaticis, sive Phoenicibus sive Hebraeis, illis inditum.

Ad versiones antiquas accedo, quae להבים interpretari ausae sunt:

1) Jonathan hic habet ליווקאי, quod Libycos (לִיוְקָאֵי) legendum censet Bochartus. Ab interprete chronicorum לאקאי scribitur, quod, nisi depravatum a li-

(*) Plinius hist. nat. L. V. c. 8. Male in etymo investigando lusit Kimchius, interpretationis loco ad Genes. X, 13. adscribens: *quorum vultus sunt flammae similes.*

a librariis fit, non poteſt Libyam ſonare, licet quid ſignificet ignorem. Correxit in ſua editione Wilkinſius: quo jure? non pro certo ſtatuerim. Interpres quidem chronicorum alio jam loco (*) Libyam, לוב ſcriptam, memoraverat, ut a poſteris Cuſchi occupatam: unde veriſimile non eſt, hic quoque eum, alias literas habentem, de Libya loqui, eamque Aegyptiorum aſſignare coloniis. Nihil tamen adfirmo: accidere enim poteſt, ut ignarus interpres, plures compilans, turpiter quoque erret, eundemque populum diverſimode ſcriptum in duo populos dispertiatur.

2) Lycios ex ſola etymologia extundit Hillerus, pag. 281. onomaſtici, inque diſſertatione de Philiſtaeis pag. 14. quod להב *flammam* ſignificet, Lycia autem *locorum nominibus* (ad Hebraicam nempe originem detortis) *multa ignium et flammarum argumenta contineat, ut Chimaeram, noctibus flagrantem, a* כמר *dictam*, etc. Haec etymologica ſomnia in quaeſtione geographica non digna erant commemoratu, niſi Chaldaicae interpretationes, ליווקאי et לאקאי, Lyciam ſonare, ſi velis, poſſent.

3) بَهْنَسِيُّونَ *Bahaniſenſes* Arabi ſunt in polyglottis expreſſo. Vere interpretatus videtur Bochartus (**), urbem بهنس, a Nubienſi commemoratam, licet porro eum ſequi non audeam, Bahnas pro Panopoli habentem. Bahnaſam deſcripſit Nubienſis (*_*), ut urbem ad Nilum ſeptem ſupra Cairam die-

(*) 1 Paral. I, 9.

(**) p. 263.

(*_*) clim. II. Part. 4. p. 43. et clim. III. part. 3. pag. 106.

dierum itinere; eandem, nunc vicum, vidit Nordenius (*), nomenque minus orthographice Arabicis literis scripsit, باخانس, i. e. *Bachanes*, pro quo per errorem latinae literae *Baghanes* habent. Sed hanc Panopolin veterum dubito. Illa enim ad Orientem Nili sita dicitur (**), Bahanasam et Nubiensis (***), et Nordenius, occidentalem faciunt. Verum ista de Panopoli quaestio parum ad nos: de Bahanasa, Aegypti urbe, quaecunque veteribus fuerit, *interpretem* Arabicum, qui ipse in Aegypto vixit, intelligo, simulque ejus sententiam damno; displicet enim, Aegyptiorum colonias in mediam Aegyptum deduci. Mallem equidem, de Banassa Tingitanae urbe intelligi posset, quam Ptolemaeus L. III. c. 1. pag. 93. sub longitudine 6 grad. 30. minut. et latitudine 34. grad. 20 minut. ponit: sed forte ne nomen quidem illius Banassae Saadias audierat.

4) Thargum Hierosolymitanum *Pentapolitanos* (פנטפוליטאי) nominavit. Est autem Pentapolitana regio pars Cyrenaicae, quinque urbibus, Berenice, Ar-

(*) Voyage d'Egypte et de Nubie pag. 154. Vide et delineationem nonagesimam quartam libro adjectam, sub 108 a Caira milliari, in qua nomen Arabicum reperies: his enim, quae latino charactere scripsit Nordenius nonnunquam parum tuta fides, ob describentium errores.

(**) Ptolemaeus libr. IV. c. 5. pag. 107.

(***) Nubiensis p. 43. *Albahnasa, quae jacet ad ripam occidentalem.* Nordenius: *vis à vis de Gjesiret Abdelkadir sont deux autres villages, Baganes et Beniberfa. Le premier est situé sur la rive Occidentale du fleuve.* Sic et delineatio habet cursus Nili.

Arſinoe, Ptolemaide, Apollonia, ipſaque Cyrene illuſtris. Vide Plinium L. V. c. 5.

* * *

ואת נפתחים *Et Naphthuchaeos.*

Ad lectionis varietatem non refero, ſed ad libertatem cuivis interpreti conceſſam, quod Vulgata praefixum Vau non vertit, aut Maurus plene نفتوحيم ſcripſit. Syriaca verſio ܢܦܬܘܚܝܡ cum hic tum in chronicis habet, errore librariorum manifeſto, Jod et Nun Syriacum confundere ſolitorum. Nec niſi mendum Graecorum librariorum puto, quod LXX Νεφθαλειμ in Geneſi, inque Paralipomenis Νεφθαλιμ habent; pro ignoto ſono, quem non intelligebant librarii, notius nomen. Ergo in lectione Hebraica nihil dubii aut diverſi.

Saadiae ſunt قَرَمَنِيُّون *Caramanii*, quo nomine quam gentem intellexerit, non prorſus liquet. Putem tamen, Cilices, Arabibus enim قَرْمَانٌ et قَرَمَانٌ eſt Cilicia regionesque adjacentes (*) Hosne ergo Aegyptiorum faciebat coloniam? Garamantas quidem, intimae Africae populum, eum in animo habuiſſe non putem, cum nomen ſit ſolis Graecis Latinisque ſcriptoribus uſitatum.

Veriſſime huic nomini et acutiſſime Nephthyn Aegyptiorum contulit Bochartus, L. IV. c. 29.

(*) Vide Golii lex. p. 1894. et, qui curatius fines regionis deſcripſit, Büſchingium pag. 90. Aſiae.

c. 29. Eſt nempe Nephthys et Dea, uxor Typhonis mali genii, et teſte Plutarcho extrema Aegypti ora ad mare. *Nephthyn*, inquit (*), *vocant terrae extrema ac limitanea, quae mari alluuntur. Unde et Nephthyn cognominant* ULTIMAM, *dantque Typhoni uxorem.* (Νέφθυν καλοῦσι τῆς γῆς τὰ ἔσχατα καὶ παρόρια, καὶ ψαύοντα τῆς θαλάττης. Διὸ καὶ τελευταίαν ἐπονομάζουσι τὴν Νέφθυν, καὶ Τυφῶνι δὲ συνοικεῖν λέγουσι). Hanc autem Nephthyn Aegyptiam malim ad limites Aſiae Caſiumque montem ponere, quam cum Bocharto ad mare rubrum aut in Marmarica. Eſt enim in illo ipſo Aſiae Aegyptique confinio lacus Sirbonis, quem *Typhonis exhalationes* vocabant, inque eo deliteſcere Typhonem fingebant. Hic ergo, ubi Typhonem habemus, terram quoque uxori ejus ſacram quaerere fas eſt. Ergo mihi Nephthys ſunt limitanea Aegyptum inter et Aſiam deſerta (**) in Sirbonidis vicinia, ubi paulatim arenae verſus montem Caſium ita eriguntur, ut Nilo, niſi ſupra modum exundante, mergi nequeant. Sic quidem Plutarchus ſtatim poſt illa verba, quorum initium ſolum deſcripſerat Bochartus, parte praecipua, (ejus enim ſententiis repugnabat) neglecta: Ὅταν δὲ ὑπερβαλὼν καὶ πλεονάσας ὁ Νεῖλος ἐπέκεινα πλησιάσῃ τοῖς ἐσχατεύουσι, τοῦτο μίξιν Ὀσίριδος πρὸς Νέφθυν καλοῦσιν, ὑπὸ ἀναβλαστανόντων φυτῶν ἐλεγχομένην. Ὧν καὶ τὸ μελίλωτόν ἐστιν, οὗ, φησὶ μύθος, ἀποῤῥυέντος καὶ ἀπολειφθέντος αἴσθησιν γενέσθαι Τυφῶνι τῆς

(*) libro de Iſide pag. 96. editionis Squirianae.

(**) Arabico nomine nunc جفار dicuntur, inveniesque in Danvillii Aſia ſub hoc nomine *al Giofar*.

τῆς περὶ τὸν γάμον ἀδικίας. i. e. *Nilus autem cum valde exundans ad extrema accedit, ſtuprum id ab Oſiride Nephthyi illatum vocant, quod herbis propullulantibus prodatur. In his quoque melilotus, qua defluente et relicta, ut fabula vult, Typhon intellexit, ſtupratam eſſe uxorem.* Haec quidem deſcriptio quomodo Marmaricae ſuae, immenſum a Nilo remotae, aptari poſſit, nunquam dixerit Bochartus: illi deſerto, quod in Sirbonidis vicinia leniter ſe attollit, et humiliora aliquando largiori Nilo ſubmittit, perfecte convenit.

Cum mea explicatione ex medii aevi ſcriptoribus, quos verum vidiſſe prope miror, conſentiunt Jonathan et Chaldaeus chronicorum interpres, *Pentaſchoenos* (פנטסכינאי) habentes: ſita enim Pentaſchoenus Peluſium inter et Caſium montem, lacumque Sirbonidem, ac quodammodo jam extra fines Aegypti, ut poſſit in coloniis numerari. Eodem quoque refero לוסטאי, *Lyſtaeos*, ab interprete Hieroſolymitano nominatos, quo nomine non dubito quin latrones intelligendi ſint (*). Graecum enim Ληστης omnes fere linguae Orientales in ſuam civitatem receperunt, Chaldaei לסטים, Syri ܠܣܛܝܐ, Arabes لص, et لصوص habentes. Fuerunt autem, qui paludoſa Aegypti circa mare colebant, latrociniis infames, bucolia pro refugiis habentes, ut ex Heliodori Aethiopicis notum: inque harum paludum vicinia circa Pentaſchoenum ſenſim ea

(*) Primus, quod ſciam, latrones intelligendos eſſe conjecit Beckius ad 1 Paral. I, 11. aliorum quoque conjecturas narrans. Bocharto, לוּסְטָאֵי efferenti, Libyſtii ſeu Libyes iterum erant, toties jam nominati.

ea attollebantur arenoſa deſerta limitanea, quae Aegyptiis Nephthys fuerunt. Mirum, interpretes tam et recentes et indoctos, in tam veriſimilem conſpirare ſententiam. Illorumne adhuc aevo nominis antiqui memoria in Aegypto ſuperfuit? an ſolo caſu feliciore verum conjecerunt?

GENES. X, 14.

Tria, quae hic ſequuntur, populorum Aegyptiorum nomina, plene פתרוסים, כסלוחים, et כפתורים, ſcripſerunt, Maurus interpres et Syrus. Id vero non eſt variae lectionis indicium, ſed nomina antiquitate obſoleta, Syrisque et Arabibus ignota, in uſum lectorum maluerunt diſtinctius ſcribere.

Mirari poſſis, Samaritanum contra morem ſuum in defectiva lectione cum Hebraicis exemplis conſentire; licet et ex Graeca verſione certum ſit, in ſecunda horum nominum ſyllaba ejus generis vocalem, quae poteſt per Vau quieſcens deſignari, auditam fuiſſe, nec inſolitum fuerit, plene פתרוס ſcribere, ut ex Jeſ. XI, 11. Jerem. XLIV, 1. 15. Ezech. XXIX, 14. diſcimus. Sed hic ipſe forte cum Hebraico Pentateucho conſenſus indicio eſt, Samaritanos librarios matres lectionis addidiſſe, non ut ſcriptas in antiquioribus exemplis invenerant, ſed ex analogia, in his autem nominibus propriis ideo non addidiſſe, quod eorum appellationem neſcirent, et, ut in barbaris, analogia deſtituerentur.

פתרסים *Phathrusim.*

Πατροσωνιεὶμ vocant LXX, nescio unde accepta litera Nun: Josephus, quem hic Hebraici codicis lectorem, non asseclam Graecorum invenies, φαθρώσιμον.

Nomen provinciae, singularis numeri, פתרוס aliquoties apud prophetas recurrit, Jes. XI, 11. Jerem. XLIV, 1. 15. Ezech. XXIX, 14. XXX, 14. ita quidem, ut Jesaias quodammodo ab Aegypto distinguat, Jeremias autem et Ezechiel partem Aegypti, ac patriam, ut putant, Aegyptiorum faciant. Quare omnino non audiendi, qui longe ab Aegypto Phathrusaeos quaerunt(*).

Ad interpretes quod attinet

1) Παθούρην LXX habent Jerem. LI, 1. 15. Ezech. XXIX, 14. XXX, 14. (in Jesaia enim פתרוס non legerunt) et *Phaturen* Vulgata in Jeremia et Ezechiele, eademque in Jesaia nomen barbarum *Phetros* retinuit. Ex his quidem de situ Phatures colligi nihil potest.

2) *Pentapolitanos* habet interpres Chaldaeus chronicorum, quos alii Chaldaei supra pro להבים ponebant. Male hic quidem, quia partem Aegypti Phaturen faciunt Jeremias et Ezechiel.

3) *Pelusiotas* dat Thargum Hierosolymitanum, quod licet minime probem, nolim tamen eo argumento re-

(*) Phaurusios in interiore Libya, non procul a mari Atlantico, intelligebat anonymus, Bocharto poenas dans: Arabiam Petraeam Arias Montanus, jure et ipse a Bocharto refutatus. Sed haec, Bocharto occupata, praetermitto.

refelli, quo ufus eft Bochartus, *Pelufii nomen Hebraicum* סין *esse:* id enim gratis fumi, Pelufiumque Hebraica lingua שׁוֹר dici, infra, ubi ad סינים ventum erit, videbimus.

4) Male Hillerus Delta intelligit, nullo argumento, praeter etymologicum, nomine Aegyptio ex lingua Hebraica derivato. Vult enim Pathros contractum ex פְּאַת רס, *angulo rorationis*, in qua defcriptione Delta agnofcere fibi videtur. Si Delta Pathros, non video, quomodo Phaturen ab Aegypto diftinguere Jefaias potuerit.

5) *Nefiotas*, (נסיוטאי) nefcio quos, Pfeudojonathan repofuit. De Delta eum loqui Bochartus fumit: poffet tamen et de Heracleotica infula, et de his quae per mare mediterraneum Aegyptum inter et Graeciam atque Afiam fparfae funt, accipi. Quid dicere voluerit, exploratum non habeo.

6) Mire Saadias et Arabicus chronicorum interpres, يمينيون, i. e. *Jemanenfes* habent. Potuitne tantum non a vero folum, fed et a verifimili aberrare, ut regionem, quam partem Aegyptiorum Jeremias et Ezechiel faciunt, in Arabiam felicem transferret? Sufpicor, feu ut rectius dicam, fperare aufim, Jemanitas non intelligi Arabiae incolas, fed fuperioris Aegypti verfus Aethiopiam: يَمَن enim primo *dextrum latus*, ac deinde *auftralia* notat, a quo fitu et felici Arabiae Jemanae nomen ductum.

Otium

Otium fecit aliis veramque ſententiam de Phature dixit Bochartus L. IV. c. 27. Phaturiten nomum eſſe, quem Plinius Thiniten inter et Coptiten in ſuperiore Aegypto, ponat. Verba Plinii ſunt: *Dividitur*, (Thebais) *in praefecturas oppidorum, quas nomos vocant, Ombiten, Apolliniten, Hermonthiten, Thiniten, Phaturiten, Coptiten, Tentyriten, Diospoliten, Antaeopoliten, Aproditopoliten, Lycopoliten.* Libr. V. c. 9.

Atque his paucis contentus equidem eſſe malim, cum nemo praeter Plinium Phaturiten nomum commemoraverit, quam conjecturis incertis rem certam obſcurare: nec ſatis placet, quod Bochartus, ne urbem cognominem ignorare videretur, *Tathyrin* Ptolemaei non procul a Thebis ſitam, nullo alio mendi indicio in Pathyrin mutat. Fateor Π et Τ librariorum errore permutari poſſe, ſed cur hic illum errorem admiſiſſe credendi ſint qui Ptolemaeum deſcripſerunt, ejus rei cauſſam adferri nullam video. Si quod geographiae Aegyptiae nomen proprium, mihi notum, quodammodo cum Phaturite conſonat, *Fatira* eſt (قَتِيرَةٌ) vicus nunc ignobilis ad Nilum, juxta montes *Salſalae* ſeu Catenae, paulo ſupra Apollinopolim veterum, infraque Syenem, quem Nordenii tabula CXVII. ſub hora itineris 160 habet. Sed vicus Phaturiten nomum quaerenti non ſufficit: nec putem, terram Pathros toties prophetis memoratam ſolum Phaturiten nomum complexam eſſe, ſed nomen late olim per Thebaidem patuiſſe, cujus memoria in hoc ſolo nomo haeſit.

Unus ſupereſt, de quo aliquid dicendum videtur, Ezechielis locus, c. XXIX, 4. quod ex conſveta interpreta-

tatione acceptus Phaturen primam facit et antiquissimam aboriginum Aegyptiorum sedem. Adscribam verba, non ex mea versione, (dubito enim) sed ex Vulgata: *reducam captivitatem Aegypti, et collocabo eos in terra Phatures, in terra nativitatis suae, et erunt ibi in regnum humile.* Clarius etiam et copiosius, nec tamen testis aut historicus habendus sed commentator, Hieronymus, ad hunc ipsum Ezechielis locum: *reducetur in antiquum solum universa captivitas, et collocabitur in urbe metropoli, quae appellatur Phatures, ubi orta est et unde profecta est.* Haec ita dicta, ut Phature antiqua videatur Aegyptiorum patria: forte quod Thebais prima fuerit habitata, antequam inferior Aegyptus satis ex mari emergeret. Non iniquus sum huic sententiae, a qua verisimilitudinis historicae laudem non abjudico; sed tamen suspicor, eam verbis Hebraicis non contineri. מכורת enim non ex usu linguae, nec ex legitima aliqua derivatione, sed ex consensione Judaeorum *solum natale* significat (*). At si vocabulum, semel omnino in codice sacro obvium, non ex conjectura, nec literarum permutationibus, sed ex notissimo verbo primitivo unde fluxit, explicemus, a מכר *vendidit* מכורות erunt *venditiones*, prodibitque haec potius sententia: *reducam captivos Aegypti, et habitare eos faciam Phaturen, terram venditionis suae*, i. e. in qua victi sub corona venierunt. Nec primus ego sic interpretor, sed praeivit Syrus, ܒܐܪܥܐ ܕܐܙܕܒܢܘ ܒܗ, *in terra, ex qua emti fuerunt.*

כסלחים

(*) Chaldaeus: *terram habitationis ipsorum.* Rabbini non pauci, quos secuti christiani sunt, *terram nativitatis ipsorum*: sed alii, ut ipse Kimchi, contrario plane sensu, *terram peregrinationis eorum*, Caph pro Gimel positum fingentes.

כסלחים *Casluchaeos.*

Χασμωνιεὶμ, *Chasmonaeos*, in Geneſi habent LXX, ut omnino videantur חשמנים legiſſe, qui Pſ. LXVIII, 32. Aegypto tribuuntur: Chasmonaeos enim ex Aegypto venturos, Deumque adoraturos, regius vates canit. Plerique, fateor, interpretes חשמנים in pſalmo pro nomine adpellativo habent: poteſt tamen aequo jure ut proprium accipi, quod Elias Levita in Thisbi fecit, forte etiam Chaldaeus pſalmi paraphraſtes.

In libro tamen chronicorum Graeca verſio Χασλωνιεὶμ habet: quin ipſa in Geneſi vetus Latina, *Chasloim*, et Complutenſis editio, Χασλωνιειμ. Sed hanc correctionem eſſe ſuſpicor (*) editorum, in illa artis criticae infantia Graeca ad Hebraicum textum *caſtigantium*. Ad Hebraicum inquam: Latina enim verſio, cujus auctoritati tantum dediſſe putat Summe Venerandus Semlerus, ut Graeca ad illam refingerent, in Complutenſi editione vitioſe *Celluim* habebat.

Joſephus Χέσλοιμον, Chesloemum reddidit, ut hic non Graeca biblia, ſed omnino Hebraica, legiſſe ſequutusque fuiſſe videatur.

Ergo inſignem lectionem חשמנים, quam nondum ex geographia illuſtrare, Chasmonaeorumque aliquem populum oſtendere poſſum, (nihil enim ad Chasmonaeos noſtros חשמנה Arabiae, Num. XXXIII, 28. 29.) Graeco penta-

(*) Poteſt tamen pro Complutenſibus dici, Copticam verſionem, non quidem χασλωνιειμ ipſum, ſed tamen ortum inde χασαωνιμ habere Λ errore librarii in Α mutato.

tateuchi interpreti soli relinquens, ad consvetam כסלחים, non minus obscuram, revertor.

Pentaschoenitas habet Thargum Hierosolymitanum: *Pentapolitanos* Jonathan: *Nesiotas* Thargum chronicorum: *superioris Aegypti incolas* (صعيديين) Saadias: *Alexandrinos*, interpres Arabicus chronicorum. Nempe hi interpretes, de vero non valde soliciti, urbes Aegypti sibi notas arripiunt, easque pro lubitu ac tanquam talorum jactu inter nomina Mosaica dispertiuntur, unde fit, ut eadem urbs vel regio huic Casluch sit, alii Pathros, tertio Naphthuch, ut cuique prius aut posterius nomen Hebraicum legenti in mentem veniebat.

Bochartus copiose et erudite de Casluchaeis disputans, capite 31, libri IV, Colchos esse jubet, gentem sine dubio ortu Aegyptiam: sed id non sufficit, ut nemine antiquorum teste, trium literarum similitudinem sequuti, quartaque, quae dissimilis est, neglecta, ex Casluchaeis Colchos recte faciamus. Cupiens tamen sententiae Bochartianae, suspicari aliquando coepi, Mosen כלחסים (*Colchusim*) scripsisse: sed, nullo codice aut interprete suffragante, non textu Samaritano, non chronicorum auctore, non Josepho hanc lectionem habente, conjecturam mihi adblandientem repudiare malui; quique sint Casluchaei, adhuc me ignorare fateor.

* * *

אשר יצאו משם פלשתים

Unde egressi sunt Philistaei.

Grammatica est observatio Abenesrae, ex adverbio loci, UNDE, consequi, ut quae praecedunt nomina sint po-

populorum, non perſonarum. Quod enim obvertit Salomon Ben Melech, משם (*unde*) etiam de patribus poni, ex quibus ortus ſis, exemplo dubiae interpretationis, Geneſ. XLIX, 24. nititur.

Sed majoris momenti quaeſtio, unde egreſſi ſint Philiſtaei, in hiſtoria illi ſacra nobiliſſimi? Verba, ut ſcripta ſunt, ſi ſequamur, nec in interpretando utamur artificiis, Casluchaeorum videbuntur colonia fuiſſe. Inane enim, quod Judaei UNDE ad Casluchaeos et Phaturaeos junctim referunt, quos ſive adfinitatibus, ſive uſu promiſcuo uxorum, unam in gentem coaluiſſe fingunt (*). Poterant quidem eodem jure ad omnia, quae praecedunt, nomina coloniarum Aegyptiarum referre. Haec autem vana et futilia ut mittamus, id quaeritur, ſintne omnino Casluchaeorum colonia Philiſtaei? Obſtare enim reliqua omnia loca videntur, Moſis ipſius, Amoſi, et Jeremiae, Caphthoraeis potius ortos Philiſtaeos teſtantia. Moſes enim Deut. II, 23. *Caphthoraeos*, *ex Caphthor egreſſos*, deletis aboriginibus tractum circa Gazam, id vero eſt, Philiſtaeam occupaſſe, prodidit: Jeremias, c. XLVII, 4. Philiſtaeos vocat *reliquias terrae Caphthor:* apud Amoſum, c. IX, 7. haec leguntur: *nonne Philiſtaeos ex Caphthor aſcendere feci?*

Haec ita conciliat Bochartus (**), ut Casluchaeos dicat et Caphthoraeos in unam gentem coaluiſſe, cujus colonia fuerint Philiſtaei. Sed aegre illam ſententiam verbis Moſis aptaveris.

Sus-

(*) Raſchi ad h. l. *ex ambobus, Casluchaeis et Phathruſaeis, egreſſi Philiſtaei. Promiſcue enim uxoribus utebantur.* Abenesra modeſtius: *adfinitatibus juncti erant.*

(**) L. IV, c. 32. in ipſo capitis initio.

Suſpicor ergo verba tranſpoſita eſſe, et ſic reſcribendum: ואת כסלחים ואת כפתרים אשר יצאו משם פלשתים, *et Casluchaeos et Caphthoraeos, ex quibus* (ſc. Caphthoraeis) *egreſſi ſunt Philiſtaei.* Valde antiquum tamen errorem (ſi modo errorem vocare auſim) eſſe fateor, qui et textum Samaritanum et omnes verſiones invaſit. Loca tamen parallela tam illum manifeſte arguunt, ut ſi ſimile quid alio in ſcriptore legerem, non dubitanter correcturus mihi videar. Quidni ergo potius in Moſe, et ſummae antiquitatis, et divinae inſpirationis habita ratione? Per hanc enim fieri nequit, ut Moſes ipſe erraverit, unde ſequitur, ut manifeſti errores ac contradictiones librariis potius quam auctori imputandi ſint. Per illam tot ſeculorum decurſu non ab omnibus mendis immunis manere pentateuchus potuit, quorum aliqua veriſimile eſt, non ſolum omnibus verſionibus, ſed et Samaritanorum a Judaeis ſeceſſione eſſe antiquiora.

* * *

פלשתים *Philiſtaei.*

Ergo Philiſtaei, qui toti apud exteros Palaeſtinae nomen dederunt, non aborigines in illa ſed advenae. Ante eos, ut ex Deut. II, 23. diſcimus, aliquis Nomadum populus, עוים (*Avaei*) dictus, illos tractus tenebat, ſed qua ille ſtirpe ortus fuerit, qua lingua uſus, quo denique tempore pulſus, ignoramus. Nomadum populum eum dixi, quod Moſes in חצרים habitaſſe Avaeos refert, non in urbibus. Sunt enim חצרים proprio vocabuli ſenſu *pagi mobiles Nomadum ex tentoriis compoſiti;* licet deinde et latius nomen ſumi coeperit.

Phi-

Philiſtaea intra eos fines ſita, quos Iſraëli Deus promiſerat, Palaeſtinae accenſetur, cujus terminus fluvius erat Aegypti. Ultra hunc terminum ergo evagatae Aegyptiorum coloniae.

Sunt qui putant, Philiſtaeos in patriarcharum hiſtoria memoratos aborigines, exque illo Avaeorum populo fuiſſe, qui ante coloniam Aegyptiam Philiſtaeam habitavit, unde et regis nomen, *Abimelech*, ſit Hebraicum: addunt de iisdem Avaeis 1 Chron. VII, 21. agere, cum *viri Gathae, nati in terra*, memorantur. Sed haec ad incerta ablegamus: gratis enim ſumitur, *natos in terra* non alios dici poſſe, quam Aborigines; Abimelechos vero non ſola illa ante Moſen Philiſtaea, ſed et recentior tempore Davidis, reges habuit. Pſ. XXXIV, 1.

Quae fuerit lingua Philiſtaeorum ex Caphthoraea advenarum, nuspiam traditur. Hoc tamen ipſum nomen regis אבימלך cogitanti, Goliathique, et Davidis inter Philiſtaeos exſulis hiſtoriam legenti, veriſimile ſit, Caphthoraeos in Palaeſtina patriae linguae oblitos Phoeniciam adſciviſſe; ſervatis forte paucis dignitatum nominibus avitis, in quibus ſi סרנים cenſeas, linguis Orientalibus ignotum, deque ſolis Philiſtaeorum regulis uſurpatum, non contradixerim.

Philiſtaeorum nomen unde acceperint, qui ante ingreſſum in Palaeſtinam Caphthoraei vocabantur, incertum. Sunt qui exiſtiment, gentem a terra, in quam immigravit, dictam fuiſſe: פלש enim Hebraica lingua idem ſignificaſſe, quod שפל, *humilis fuit*, hinc tractui ad mare quem exteri occupaverant פְּלֶשֶׁת nomen ductum, ut vicino, qui ad tribum Judae pertinuit, transpoſitis mo-

do

do literis שפלר־. Non damno conjecturam, incertis tamen, ut pleraque de nominibus propriis etymologica, adnumero. Transpositionibus enim literarum ad investigandam verborum significationem nihil fallacius: nec quod vocabularia Hebraica habent, פלש *humilis fuit*, et התפלש *humiliavit se, volutavit se in pulvere*, certum et exploratum. Caeterae quidem linguae Orientales hanc significationem literis פלש non subjiciunt: Hebraica loca, Jer. VI, 26. XXV, 34. Mich. I, 10. admittunt illam, fateor, sed non probant. Possit enim et *effodiendi* notio, quam verbum apud Chaldaeos Syrosque habet, illis aptari, ita ut *fodere sibi in pulvere*, sit, totum se in pulvere abscondere, metuque aut tristitia cavernas et specus subire.

Graecis interpretibus librorum historicorum Philistaei plerumque sunt, *οἱ Ἀλλόφυλοι*, *Alienigenae*, seu *Barbari*, ut, Judic. III, 3. XIV, 1. etc. Nempe Aethiopibus verbum פלש significat, *migrare*, ut, *ex una regione in aliam*: eaque significatio illorum interpretum tempore in aliis quoque linguis Orientalibus superfuisse videtur, licet nunc prope interierit nisi quod putant Samaritanam linguam aliqua ejus servare vestigia (*). Ergo cum Philistaei plane essent in Palaestina exteri, ortuque nec Phoenices nec Israëlitae, nomine tanquam proprio eos *Barbaros* dici autumarunt.

Incircumcisi erant Philistaei, idque in convicio jactare Israëlitae solebant. 1 Sam. XVII, 6. 2 Sam. I, 20. Inde

(*) Vide Castelli lex. Samaritanum פלשה *peregrinationem* vertentis, ex conjectura tamen potius, quam certo significationis exemplo.

Inde viris doctiſſimis, ipſique adeo Jablonskio, viſum, ante circumciſionem receptam progenitores Philiſtaeorum ex Aegypto egreſſos eſſe: quod eo tandem deducunt, ut circumciſionem Aegyptii non ante Abrahamum habuerint. Et hoc incertum. Potuit colonia Aegyptiorum, in terras boreales, Cyprum aut Cappadociam, deducta, circumciſionis in novo climate inutilis, inque migrationibus moleſtae, oblivisci, ut ipſi Iſraëlitae in deſerto pueros non circumcidebant. Adde, Aegyptios non omnes circumciſos fuiſſe, ſed ſolos ſacerdotes: quod ſi apud Philiſtaeos obtinuit, recte Iſraëlitis praeputiati dici potuerunt.

Diſſertationem de Philiſtaeis (*) ingenioſam, quaeque per aliquot me annos in partes traxit, commentariis in priorem librum regum praemiſit Calmetus; in qua, repudiata quam olim de Cypro tentaverat conjectura, Philiſtaeos ortu Cretenſes facit, ac nomen Caphthor Cretam interpretatur. Placuit aliquando, ut dixi, ſententia, ſed adcuratius perlecta diſſertatione, expenſisque argumentis, laborare videbatur ac ruere: illa autem quae de moribus diisque Philiſtaeorum et Cretenſium iisdem Calmetus collegit, ita displicuerunt, ut cauſſae quam ornabat paulo etiam me facerent iniquiorem.

Unicum argumentum, in quo aliquid reſidet roboris, illud eſt, a quo totam diſputationem ſapienter orditur Calmetus, quodque primum poſuit. Loca citat codicis Hebraici, in quibus Philiſtaei כרתים, id vero eſt ipſo interprete, Cretenſes adpellentur, 1 Sam. XXX, 14.
Ezech.

(*) *Diſſertation ſur l'origine et ſur les divinitez des Philiſtins.*

Ezech. XXV, 16. Sophon. II, 5. qua admissa interpretatione nihil dubii superererit. Addit, satellites Davidis ex Philistaeis conductos, *Crethaeos et Plethaeos* dici, hoc quoque nomine ortum gentis ex Creta indicante. Interpretum denique antiquorum auctoritate utitur, ex quibus LXX et Syrus in Sophonia et Ezechiele כרתי *Cretenses* verterunt, asseclam in Ezechiele nacti Arabem: quin et כְּרֹת Sophon. II, 6. LXX et Syrus pro Cretae nomine habuerunt.

Est hoc certe non contemnendum argumentum: quamquam potuerunt Philistaei, aut omnes, aut aliqui ex illis, כרתים dici, licet Cretenses non essent, forte quod nomen, ut infra suspicabor, *extorres*, *et a solo patrio tanquam recisos*, sonaret. Sed dispiciamus antea de locis singulis. In Ezechielis et Sophoniae vaticinio nomen כרתים a plerisque ante Calmetum adpellative acceptum est: nec video, quid eorum interpretationi aut opponat Calmetus, aut opponi omnino possit. A Sophonia ut ordiar, haec habente, *vae incolis tractus maris, populo* כרתים*! Verbum Jehovae contra vos: Canaan, terra Philistaeorum, vacuam te habitatoribus faciam:* nihil est, quod in versione Vulgata reprehendi possit, adpellative *gentem perditorum*, i. e. gentem internecioni destinatam, vertente: ac si quis Calmeto contingat paulo acrior adversarius, sententiaeque iniquior, urgere possit, de Philistaeis et Cananaeis Sophoniam vaticinari, quorum certe hi Cretenses non fuerint, rectius ergo כרתים adpellativum nomen haberi, quam proprium. Alter locus, Ezech. XXV, 16. הכרתי את כְּרֵתִים, quidni adpellative verti possit, sive, *exscindam exscindendos*, (populum inter-

internecioni devotum), ſive, ſi ſolas conſonantes demtis punctis ſequamur, ut fecit Vulgata: *interficiam interfectores?* Horum igitur locorum dubia interpretatione, omnia ad 1 Sam. XXX, 14. redeunt, ubi Amalecitae qui Siklagam combuſſerant, effudiſſe ſe dicuntur, על נגב הכרתי, i. e. *ſuper Auſtrum Crethaeorum.* Sed hujus ipſius loci lectio dubia: nomen enim, de quo agitur, הכרתי, Syrus non legit, nec Arabs, Syri aſſecla, expreſſit, LXX autem pro illo in exemplis Hebraicis כלתי invenerunt.

Sed eſto Philiſtaeorum proprium nomen כרתים, ut mihi quidem 1 Sam. XXX, 14. Ezech. XXV, 6. Sophon. II, 5. junctim legenti videtur veriſimilius, licet de ſingulis ſeparatim dubitari poſſit: atque, ut ſim liberalior, in ſexto quoque verſu capitis ſecundi Sophoniae כרת nomen eſto proprium Philiſtaeae, nec ſecundum vocales, quas nimis religioſe ſequitur Calmetus, כְּרֹת, ſed *Creth* (כְּרֵת) efferendum: non tamen ideo Philiſtaei ſtatim Cretenſes erunt. Ne literas quidem Hebraicas ſatis attente inſpexit, qui id ut certum ſumit; Cretenſes enim, niſi quid permutationis literarum accedat, Hebraeis כרטים erunt, non כרתים, unde et Syrus interpres Sophon. II, 5. 6. ܩܪܛܝܐ per Tet ſcripſit. Suſpicari potius licebit, ut LXX Philiſtaeos tanquam nomine proprio Ἀλλοφύλους, *Exteros*, vocant, ita Hebraeis ob duplicem migrationem, ex Aegypto in Caphthor, exque hac nova patria in Palaeſtinam, כרתים, *reciſos a patria et extorres*, dictos fuiſſe. Certe, ſi Philiſtaei ideo כְּרֵתִים vocantur, quod ex Creta venerunt, inſulaeque hujus nomen antiquum apud Hebraeos כְּרֵת fuit, mirum videri debebit, quod

Moses hoc ipso in versu eo nomine non usus est, Cretensesque כפתרים nec potius כרתים adpellavit.

Crethaei et Plethaei Davidis probationis loco adferri ne a Calmeto quidem debuissent, nisi videri volebat incertum ex magis incerto probare: nostro autem tempore, postquam Ikenii *dissertationem de Crethi et Plethi* (*) habemus, minus etiam licebit illo argumento uti. Crethaeos et Plethaeos Davidi corporis custodes fuisse, plerique consentiunt, nec res dubia videtur: unde autem nomen acceperint, de eo tot sunt tamque diversae veterum et recentiorum sententiae (**), quibuscum bene agitur si in conjecturis verisimilibus locus illis conceditur, ut una ex tot incertis etymologiis gratis sumta, nullisque dum argumentis confirmata, pro argumento adferri in disputando nequeat; quod si quis nimio suarum opinionum amore faciat, in promtu erit secus sentientibus, reponere, aliam sibi derivationem videri meliorem. Calmetus vero eo loco, ubi de Crethi et Plethi egit (*,*), ne periculum quidem fecit suae de illis sententiae probandae, sed omnino gratis sumsit id, quod est unum omnium sumtu audacissimum, atque ab omni veri specie remotissimum, Davidem, tyrannorum more, corporis custodiam non civibus, sed barbaris, atque adeo cohorti ex infestissimis patriae hostibus coactae, credidisse. Rem vero incredibilem! sed de qua plura non addo, quod pleraque, quae opponi possunt, Ikenius paragrapho IV. ejus, quam citavi, dissertationis, occupavit, ad quem lectores remitto.

Meam

(*) Nona est ex illis, quae anno 1749, Lugduni Batavorum recusae sunt, hoc titulo: Conradi Ikenii *dissertationes philologico-theologicae in diversa sacri codicis loca.*

(**) Multas earum collegit dijudicavitque Ikenius, nec tamen omnes. Praetermisit enim, ut exemplum adscribam, quod Syrus 2 Sam. VIII, 18. *nobiles militesque* (ܚܐܪ̈ܐ ܘܦܠܚ̈ܐ) vertit.

(*,*) 2 Reg. (i. e. 2 Sam.) VIII, 18.

Meam ſi quis de Crethis et Plethis ſententiam exquirat, primo ut certum ſumo corporis cuſtodes Davidi fuiſſe, quod et Ikenius vult cum plerisque, et vero Joſephus Ant. VIII, 5, 4: deinde adſtipulor Ikenio, cum curſoribus, (רצים) qui in hiſtoria regum inferioris aetatis commemorantur, eos comparanti, et ex moribus Orientalium docenti, Aſiae reges corporis cuſtodibus pro tabellariis uti: adſentior denique, פלתים *Celeres* explicanti, idque ex Arabico فلت confirmanti. Una diſplicet illius ipſius, de quo hic vel maxime quaerimus, כרתים, derivatio, in qua Ikenius omni adliterationum (ut vocare Schultenſius ſolebat) licentia abuſus eſt, radicesque adſcripſit, duas literas ſimiles habentes, tertiam diſſimilem. Mihi vero opus non eſſe videtur, ad intutas has philologorum Hebraeorum artes devenire, cum facillima in promtu ſit derivatio, modo punctorum maſorethicorum religione non teneamur, audeamusque כרתי punctis activis pro paſſivis inſtruere, כֹּרְתִי, ſi lubet, aut utcunque placuerit. Praeivit ſane Hieronymus, punctis maſorethicis antiquior (*). Verbum כרת eſt, *exſcindere*, *occidere:* hinc corporis cuſtodes כֹּרְתִים, *exſcindentes*, dicti, quod illorum manibus reges Aſiatici uti ſolent in ſuppliciis capitalibus ſumendis. Res ex itinerariis Aſiaticis, antiquitatisque memoria (**), ſatis nota, illeque ipſe Benajas Jojadae filius, quem Crethis et Plethis praefuiſſe legimus, 2 Sam. VIII, 18. cum hoc militari imperio, et ſacerdotio, (mi-

(*) Ad Ezech. XXV, 16. *Duarum legionum David, quarum una appellabatur Pheletħi et altera Cerethi, ultima ab eo quod interficerent et jugularent,* CHORETHIM, *hoc eſt, interfectorum, nomen accepit.*

(**) Vide patris mei, Chriſtiani Benedicti Michaelis, diſſertationem de ſuppliciis capitalibus Hebraeorum.

(mirum) carnificis primarii munus conjunxit, unde ejus manu omnes, a quibus Salomon 1 Reg. II. ſupplicium ſumſiſſe dicitur, ceciderunt. Pharaonis quoque et Nabochodonoſaris praetoriani milites, Hebraeis טבחים (*) dicti, nomen a ſuppliciis ſumendis accepiſſe mihi videntur: namque טבח aut *mactatorem* ſonat, aut eum *qui igne alios excruciat*, ut apud Arabes angelus damnatorum tortor طابخ adpellatur. Horum et praefectus, שר הטבחים, *princeps ſatellitum?* an, *carnificum?* dictus, Aegypti et Babylonis regi a ſuppliciis fuit: Potiphar, eorum praefectus, domi ſuae carcerem habuit, in quo captivi regis detinebantur (**); Nabochodonoſaris juſſu cum magi philoſophique Chaldaeorum occiderentur, idem (רב טבחים) *princeps ſatellitum* juſſa regis exſequitur (****): Hieroſolymis denique captis Nebuſaradan ſatellitum princeps eo mittitur ad urbem comburendam, et ſupplicia a rebellionis auctoribus ſumenda, reliquosque in exſilium ducendos (*****). Recte ergo Hebraicum טבחים Onkelos קַטָּלַיָּא *interfectores*, id vero eſt, *carnifices* reddidit, atque uterque Arabicus Pentateuchi interpres, سَيَّافُونَ; quaſi diceres, *gladium geſtantes*, quo ipſo nomine Arabicus Novi teſtamenti interpres uſus eſt, Marc. VI, 27. de eo *ſpiculatore*, id vero eſt corporis regii cuſtode (******), qui Joannem Baptiſtam juſſu Herodis in carcere obtruncavit. Sed ſatis de טבחים dictum: in viam redeamus. Ut

(*) Geneſ. XXXVII, 36. 2 Reg. XXV, 8. Dan. II, 14.

(**) Geneſ. XL, 3. 4. coll. c. XXXIX, 20. XLI, 10.

(****) Dan. II, 14. 15.

(*****) 2 Reg. XXV, 8. ſeqq. 18 - 21.

(******) Vide Wetſtenii notas ad locum Marci.

Ut ergo ſatellites regum Aegypti et Babylonis טבחים, *carnifices*, dicebantur, ita cuſtodibus corporis Davidis nomen כרתי ופלתי fuit, *ſuppliciorum ſumtorem et celerem* ſignificans, non Cretenſes, nec Philiſtaeos.

At auctoritatem interpretum antiquorum, Graeci, Syri, Arabis, interponit Calmetus, qui in Ezechiele et Sophonia כרתים non ſolum ut nomen proprium Philiſtaeorum acceperunt, ſed et *Cretenſes* verterunt! Ex horum numero, ſi modo numero et auctoritate res agitur, demi velim Arabem: in prophetis enim non Hebraica interpretatus eſt, ſed Graeca, quare hoc ex teſte nihil diſcimus, niſi quod cognitum jam ante habebamus, Graecos hic de Cretenſibus cogitaſſe (*). Graeci autem interpretis, ejus qui prophetas vertit, exigua auctoritas: vix enim illo indoctior ad codicem ſacrum acceſſit. Ergo ut magni facerem, ſi Pentateuchi Graecus interpres, vir doctiſſimus, Philiſtaeos Cretenſes dixiſſet: ita Graecae propheta-

(*) Mirum videri poſſit, Arabem in ſolo Sophonia Cretenſes habere, in Ezechielis autem capite XXV, v. 16. a Graecis, ut videtur, recedentem ac ſuum, واستاصل القصاة quod latinus interpres, *exſtirpabo racemationem*, vertit. Arabicis autem libris manuſcriptis adſvetus, variis lectionibus Graecorum bibliorum inſpectis ſtatim quid acciderit conjiciet. Nempe pro Κρῆτας codices nonnulli Graeci Κριτὰς, *judices*, habuerunt, facili lapſu librarii. Eſt ex hoc numero ipſe *Alexandrinus*, cum editionibus ex illo factis, niſi quod addito etiam Sidonis nomine dupliciter falſam lectionem habet, *ἐξολοθρεύσω κριτὰς Σιδῶνος*, *exterminabo judices Sidonis*. Ejusmodi ergo in codicem Graecum incidens Arabs, الْقُضَاةَ *judices* verterat. Omiſſione punctorum diacriticorum in libris Arabum nihil frequentius; ſic ex قضاة factum قصاة vitium non animadvertente editore.

phetarum verſionis in quaeſtione, quae tota eſt hiſtorica, vix ullam rationem habeo, ſatis ei tribuiſſe mihi viſus, ſi varias lectiones textus Hebraici, aut notas olim, nunc vetuſtate obliteratas, ſignificationes vocabulorum Hebraicorum, ex illa decerpam. Hic vero eo minus audiendus, quod quae in Sophonia habet, a mente prophetae aliena videntur. Integra verba adſcribam: Ὀυαὶ ὁι κατοικοῦντες τὸ σχοίνισμα τῆς θαλάσσης, πάροικοι (*) Κρητῶν. Λόγος Κυρίου ἐφ᾽ ὑμᾶς, Χανααὼν, γῆ Ἀλλοφύλων, καὶ ἀπολῶ ὑμᾶς ἐκ κατοικίας. Καὶ ἔσται (**) Κρήτη νομὴ ποιμνίων, καὶ μάνδρα προβάτων. *Vae vobis habitantes tractum maritimum. Verbum Domini contra vos, Canaan, terra Alienigenarum: perdam vos ex domicilio; eritque Creta paſcuum gregum, et caulae ovium.* Haec verba ipſi Cretae vaſtitatem minantur, non ſolis in Palaeſtina Cretenſibus, ita ut a Nomadibus pererretur, cultoribus vacua. Ei autem qui praecedentia et ſequentia legerit, aegre perſvaſeris, prophetam de Cretae ipſius fatis vaticinari: nec veriſimile, quantumvis illa vaſtetur, Nomades Palaeſtinae Arabiaeque eam, mari diviſam, cum gregibus ſuis invaſuros. Syrus, interpres bonus et diligens, ſed et ſaepe in vertendo LXX in conſilium vocans, et a Jacobo Edeſſeno in non paucis ad Graeca correctus, ipſe quoque minus hic momenti facit, quod non

(*) Pro גוי legebant in Hebraico exemplo גרי, ut jam obſervavit Hieronymus.

(**) Omiſſis verbis חבל הים Hebraica ita legerunt, והיתה נות כרת רעים, atque conſtruxerunt, *eritque manſio, Creta, paſtorum*, quam transpoſitionem latinae aures aeque ferunt, non Hebraicae. Nomen enim regens, ſeu, ut grammatici loquuntur, in ſtatu conſtructo poſitum, Hebraei a genitivo ſuo non avellunt.

non suus esse, sed Graecam versionem sequutus videtur. Verum de hoc utcunque statuas, interpretem egit, non testem: id est, putabat cum Graecis, Hebraicum כרתים, ab aliis aliter acceptum, *Cretenses* hic designare, non aliunde ex historia noverat, Philistaeos Creta ortos esse: id enim ita in ipsa Palaestina ignotum, ut Hieronymus ad Ezech. XXV, 16. scribat: *pro quo* LXX, *nescio quid volentes, Cretenses interpretati sunt, cum et Aquila, et Symmachus, et Theodotio, ipsum verbum Hebraicum* CHORETHIM *vel interfectores, vel interfectionem verterint, non solum in praesenti loco, sed etiam in Sophonia.* Nihil ergo unquam audierat de Philistaeis ex Creta advenis: non magis quam Josephus, Caphthoraeos coloniis annumerans, de quibus nihil praeter nomina sciat (*).

Si quid adhuc ex his argumentis in animis lectorum haereat, quod eis sententiam Calmeti, non quidem ut veram, sed tamen ut veri aliquam speciem habentem, commendet: audiant, peto, cur illa quoque veri species repudianda sit. Philistaei sine dubio ex Caphthor oriundi: quare et necesse fuit Calmeto, Caphthor Cretam interpretari. Id vero nullo teste, omnibusque facit antiquis interpretibus contradicentibus: nulloque nominis indicio, nisi quod ad etymologias ex male intellectis vocabulariis se recipit, a quibus deceptus כפתר pro nomine mali aut Punici aut Cydonii in arboribus nascentis habuit. Nullum quidem Cretae nomen aut novimus, aut ille nobis indicavit, quod cum Caphthor conveniat. Sed de hac re statim plura, cum ad Caphthoraeos pervenerimus.

Caetera Calmeti argumenta, a lingua, moribus, diis, Cretensium et Philistaeorum desumta, adeo sunt levia, ut refelli

(*) Ant. I. c. 6. §. 2.

refelli ſingula non mereantur. Exempli tamen cauſſa unum alterumque expendam.

Qui primi Cretam incoluerunt, barbari fuerunt, non graeca, ſed alia lingua utentes. Ex his aliquem populum, et vero, ſi ipſi optio detur, Pelasgos, nomine quoque Philiſtaeis conſonantes, Phoeniciam ſeu Hebraicam linguam patriam habuiſſe conjicit Calmetus, quod non pauca nomina geographica Cretenſium ſint a Bocharto ex lingua Hebraica explicata. Philiſtaei et ipſi Hebraice loquuti. Linguam ergo uterque populus communem habuit.

Non vero in his rebus is eſt Bochartus, cui tuto credas, omnia alieniſſimarum gentium nomina ad originem Hebraicam revocare ſolitus: qui tanquam morbus eſt viri caeteris in rebus magni. Quamquam ex his etymologiis Hebraicis non id efficiebat Bochartus, ut lingua Hebraica omnibus illis populis avita et domeſtica fuerit, quod ſi ex illis ſequeretur, non ſolis Cretenſibus, ſed Aſiae, Thraciae, Graeciae, Italiae, Galliae, Hiſpaniae, Britanniae incolis, communis fuerit lingua Hebraica: ſed a Phoenicibus, qui illuc navigabant, coloniasque ducebant, Phoenicia nomina regionibus, fluviis, urbibus exterorum indita putabat.

Sed fac Cretenſes antiquos Hebraice loquutos fuiſſe, non ſolum id Calmeti ſententiam non ſtabiliet, ſed et evertet. Philiſtaei enim linguam Hebraicam non ex Caphthora ſecum detulerunt, ſed in Palaeſtina ab indigenis acceperunt, plane ut Iſraëlitarum patres, in Chaldaea antea Chaldaice loquuti. Caphthoraei enim, ſi Aegyptiorum colonia ſunt, Aegyptiam ſine dubio linguam habuerant, quae nulla Hebraicae cognatione tenetur. Sed video, quid hic Calmeto fraudi fuerit: putabat cum multis, Copticae linguae imperitis

ritis, Aegyptiam linguam Hebraicae cognatam fuiſſe: cui errori occaſionem dedit, ſive nimius Hebraicae linguae amor quam cupiunt ubique audire ejus ſtudioſi, ſive vocabula Arabica, quae poſt occupatam a Saracenis Aegyptum in Copticam linguam recepta ſunt, peregrinitatis tamen facile arguenda. At poſtquam Copticarum literarum principes, la Crozius et Jablonskius, conſtanter negarunt, Hebraicae linguae dialectum, aut ei cognatam eſſe Copticam, fas eſt, his potius credere, quam aut rei de qua quaeritur plane ignaris, aut Coptica legere incipientibus, eaque cum Hebraicis ex vocabulario ſumtis omni alliterationum licentia comparantibus. Quamquam ſi quis vel legere Coptica poſſit, intelliget, vetera ac domeſtica vocabula ab Hebraicis eſſe plane diverſa, ipſamque adeo grammaticam ita ſejunctam, ut nec filia Hebraicae, nec ſoror, nec neptis, nec cognata Coptorum lingua exiſtimari poſſit.

De Pelasgis nihil dicam, quos trium literarum indicio, quarta diſſonante, ortu Aegyptios, Philiſtaeorum patres, et ſermone Hebraeos, Calmetus fecit.

Mendaces et malos fuiſſe Cretenſes ait, nec Philiſtaeorum mores a ſcriptoribus ſacris laudari. Hoc ſi indicium eſt ortae ex Creta gentis, vereor, ne late per Europam, Aſiam, Africam, atque Americam, Creta colonias dimiſerit.

Quod autem de matrimoniis utriusque gentis habet, ita eſt comparatum, ut malim ipſius verbis exponere, quam meis latinis, ne ipſe mendax, injuriamque Calmeto facere exiſtimer. *Dans les mariages les Crétois ſuivoient aſſez les maniéres des Lacédémoniens, et les jeunes gens*

 étoient

étoient partagez par troupes, qui vivoient et qui mangeoient ensemble. Ces troupes de jeunes gens reviennent à ce que l'Ecriture nous apprend des quarante jeunes hommes des Philistins donnez à Samson pour l'assister pendant la solemnité de son mariage. Atqui paranymphi sunt, de quibus historia Simsonis loquitur, pro more Hebraeorum, ut ipse ad Jud. XIV, 11. docet Calmetus, Simsoni dati, et ad convivium invitati; quibus nihil cum Lacedaemoniorum concubitu promiscuo commune: sponsae solum se sufficere putabat Simson, non thori contubernalibus opus habere.

Dagon, Philistaeorum Deus, isque ubique masculini sexus, Calmeto fit *Dictynne* Cretensium, seu Diana, quam a pisce vult nomen accepisse דג תן, *piscis cetacei.* Mira metamorphosis. Masculini sexus numen dixi Dagonem, non ob solam terminationem, sed quod 1 Sam. V, 4. cum verbis suffixisque masculinis construitur.

* * *

ואת כפתרים *Et Caphthoraeos.*

Ad nomen jam difficillimum accedo, idemque, modo fieri ejus possit, explicatu necessarium, quod ex Caphthoraeis nobilissimus in historia sacra Philistaeorum populus egressus est. Nec hoc solum loco, inque parallelo chronicorum, sed et Deut. II, 23. Jerem. XXXXVII, 4. Amos IX, 4. Caphthoraei, eorumque patria, Caphthor, memorantur.

Circumspexi ante omnia varietates lectionis, quod in magno consensu veterum, Caphthor Cappadociam vertentium, suspicabar, aut כפתקים, in codicibus quibusdam scriptum explicationi occasionem dedisse, aut כפתרים, libra-

librario per errorem Chet ex נפתחים versus praecedentis huc transferente: utrumque enim nomen reliquis literis ita simile, ut facile oculo scribentis aberrante confundi possit. Sed nihil ejus, quod quaerebam inveni: nominis כפתר ultima litera ubique Resch, in Genesi, Deuteronomio, Chronicis, Jeremia, Amoso, textu Samaritano, Graeca interpretatione nostri loci, Aquila et Josepho. Nihil ergo mutandum esse censeo.

In prima litera varia est lectio, non Hebraici textus, sed versionis Graecae, aliis editionibus mollius Γαφθοριεὶμ (*) exhibentibus, aliis Χαφθοριειμ, magis Hebraicis consentanee. Sola Complutensis Καφθοριεὶμ habet, ex codicibus? an ex correctione ad Vulgatam? Illud verisimilius: si enim ad Vulgatam corrigere voluissent editores, ad suum textum latinum correcturi videntur, is autem habet *Capturim*, tribus literis P, T et U a Graeco dissidens. Ut tenue id omisissem, nisi hoc ipso tempore multa esset de Complutensi editione ejusque fide disputatio. Josephus Χεφθόριμον appellavit populum.

In Pentateucho cum Hebraico tum Samaritano, *inque* Paralipomenis, defective nomen scribitur: at plene כפתור in Jeremia et Amoso. Sed et hoc exigui momenti, nisi quod adpellationem masorethicam, in secunda syllaba Cholem habentem, fulcit.

Ad interpretationem me conferens, ante omnia etymologias Hebraicas deprecor, nec illa solum de caussa, ob quam saepe alias, quod derivationes nominum propriorum in-

(*) De IEIM punctis masorethicis, contrario vide pag. 256.

incertae plerumque ſunt, et raro indicia habent ex quibus ſitum urbis regionisque agnoſcas, quodque Aegyptii populi nomen Aegyptium forte, non Hebraicum fuit: ſed maxime, quod falſam vocabuli כפתר ſignificationem adpellativam ſumunt, qui ab ea ad propriam argumentantur, nec hi mediocriter eruditi, ſed viri quoque primarii. Nempe cum et lexicographi et recentiores interpretes, כפתר *malum Punicum* vertere ſoleant, idque illis concedi poſſit modo recte intelligatur, vocabuli Latini ambiguitate decepti alii de fructu arboris cogitant, cui putant כפתר nomen fuiſſe. Male ille ſane, et contra mentem lexicographorum, ex quibus doctiores, (exempli cauſſa Caſtellum et Simonem nomino) addere ſolent, de artefacto ſe malo punico loqui. Perlectis enim locis omnibus, in quibus כפתר adpellative occurrit, Exod. XXV, 31. 33. 34. 35. 36. XXXVII, 17. 18. 19. 20. 21. 22. Amoſ. IX, 1. Zephan. II, 14. adparebit, nuſpiam poma in arbore nata, nuſpiam mala Punica, aut ut volunt alii cydonia ſignificare, ſed ubique, *ornamenta ſphaerica ex lapide, ligno, metallo*, ut in candelabro ſacro, aut quae capitibus columnarum imponi ſolent. Haec ſi quis noſtro more *poma* velit, aut *mala punica* adpellare (quamquam id ex interpretibus nemo ante Saadiam fecit, تفاحة vertentem), facile illi concedi poteſt, modo ne putet, haec poma ex arboribus decerpi, aut Hebraeos ſphaerica ornamenta a malis Punicis veris denominaſſe. Antiqui certe interpretes Exodi nihil de malo Punico, ſed habent, LXX σφαιρωτῆρας, Vulgata *ſphaerulas*, Syrus ܚܘܙܪܝܢ, Onkelos iisdem literis ſcriptum nomen חזורין, Samaritanus, pro ſuae linguae more Chet in Ain mutato, עזורין, quae omnia ſphaeram ſignificant. In Amoſo et Sophoniae in diverſa

verſa abeunt, nemo tamen vel per figuram *pomi* aut *mali* nomen poſuit. Malum Punicum in arbore naſcens alio nomine Hebraei vocant, רמון *Rimmon*, cydonium, תפוח *Thappuch* (*).

Haec cum ita ſint, quis erratum in re manifeſta putet a viris doctis, et vero, incredibile a Bocharto? Sed eum nimius etymologiarum amor transverſum egit. Probaturus, Caphthor eſſe Cappadociam, nominisque Hebraici indicia in ipſa quaerens Cappadocia, *unum*, inquit (**), *afferam, ex quo conſtabit, nos recte conjectaſſe. Malum Punicum Hebraei Caphthor vocant, et Graeci ſiden σίδην. In iis porro locis urbs fuit Side Σιδη, a qua Sidene regio dicta.* - - - (Teſtimonia veterum ab eo adlata hic omitto, ut in re nota). *Hi Sidenes a Side dicti, quae eſt ipſiſſima urbs Caphthor, velata nomine diverſae linguae.* Calmetus contra, Caphthor Cretam interpretatus, ſuam ſententiam, Bochartianae oppoſitam, eodem ex etymo probat, niſi quod pro *malo Punico* (Granatapfel) aliquando *cydonium* (Quitte) ſubſtituit, judicio? an utriusque pomi confuſione? non dixerim. *Caphthor*, inquit pag. 321, *en Hébreu ſignifie une pomme, ou une grenade; la pomme de coing en Grec ſe nomme Cydonium: or les peuples Cydônes, et la ville Cydonia, ſont très-célébres dans cette Isle; ils en occupoient une bonne partie. Les Grecs appelloient apparemment Cydones, ou Cydonie, ceux que les Hebreux appelloient Caphthorim.* Et paulo poſt pagina ſequente: *Jupiter, qui étoit adoré ſur le mont Caſius, ſitué entre la Paleſtine et l'Egypte, étoit repréſenté tenant à la main une grenade, nommée en Hebreu Caphthor, et*

(*) Celſii hierobotan. T.I. p. 255. (**) L. IV. c. 32. pag. 291. et 271.

et en Grec Rhoia. Nempe hoc totum genus de geographicis quaestionibus disputandi etymologicum ita sua natura anceps est, ut contraria ex eo confirmare haud sit difficile.

Recentiorum varias de Caphthor opiniones, ipsas quoque sola nixas etymologia, in Onomastico V. T. pag. 441. collegit Simonis, cujus verba describo, cum quod ex illis disci potest, quid aliqui, quos excerpere non soleo, de Caphthor statuerint, tum, ut in exemplo ponam, quam sit lubrica, inque omnes partes ductilis, in quaestionibus geographicis, etymologia. כפתור *Caphthor, insula, ut diserte vocatur* (*) *Jer. 47, 4. Amos. 9, 7. mari undique tecta et cincta, ex* כפר, *texit, et* כתר, *cinxit. Non ergo Cappadocia, ut cum* BOCHARTO *in Phaleg l. IV. c. 32. vulgo volunt: quod dudum monuit* HEINIUS *in Obs. S. l. II. c. 6. §. 10. qui unam ex insulis Nili intelligit. Alii aliter.* CLERICO *est Syrtis major, q. d. latus circulare, ex* כף *; latus, et* תור, *circulus.* VITRINGA *in Jes. 14. nomen* כפתור, *quod alias malum Punicum vel Cydonium significat, ad figuram insulae refert, cumque nomine, Carpathus, convenire putat. Cretam, ubi Cydonii populi, intelligit* CALMETUS *in diss. de origine et numinibus Philistaeorum. Eandem esse cum* רהב, *sive Ribi, i. e. pyrum, et Caphthor sive malum granatum dici a forma situs, statuit* ABEL *in historia monarchiarum l. I. c. 4. §. 1. et in Antiq. Hebr. p. 151. Ex* כף *et* תור, *latus tauri, componit* HILLERUS *in Onomast. et Hierophyt. p. 148. sed ex* כפת חר, *latus Hori montis in Syntagmate hermen. p. 168.*

Ejus-

(*) Tu vero vide, quae pag. 131. seqq. de nomine אי scripsimus: intelligesque, minus certum esse, quod ut certum sumebat Simonis.

Ejusmodi alia multa, si ludendi animus esset, comminisci possem, et sane quaedam veri ac serii similiora: ut, Cyprum a כפר *texit* et כתר *circumdedit* Caphthor dictam fuisse, quod totam silvis tectam (*) primi incolae invenerunt. Sed haec omnia solis fulta etymologiis, et sua sponte corruunt, et mutuis concidunt ictibus. Mittamus ergo ea: mittamus et Damiatam, quam Arabicus Pentateuchi et Chronicorum interpres solus, sine argumento, pro Caphthor posuit.

Tres omnino sententias, reliquis aut verisimiliores aut celebriores, dignas habeo, quae sub examen vocentur: exque his unam, minus hucusque ab eruditis ornatam, a suo inventore desertam et abdicatam, veram esse sperare ausim. Prima, eademque et antiquissima, praeter consensum veterum pene omnium Bocharto quoque defensore gloriatur, Cappadociam intelligens: altera, a Calmeto in prima editione commentarii in Genesin prodita Cyprum: sed hac brevi post abdicata, in dissertatione de Philistaeis Caphthor Cretam esse conjecit, utque sibi videbatur, perfecit, commentarium quoque in Genesin corrigens, haecque tertia est earum, quas expendendas mihi sumo, sententiarum.

I) *Cappadocia*.

Cappadocia testium antiquorum consensu ita defenditur, ut difficile sit, contradicere: a veterum auctoritate si discesseris, nihil habet, quo se sustineat. Primo de testibus videamus, quorum plerosque indicavit Bochartus: sed sunt curatius audiendi.

A LXX ut incipiamus, primus Cappadociam vertit graecus Pentateuchi interpres, Deut. II, 23. quem et ob

 antiqui-

(*) Vide pag. 303.

antiquitatem et eruditionem viri reliquis praefero omnibus. Conſentit, impar doctrina, graecus prophetarum interpres, in Amoſo, ex quo et Arabs Cappadociam (قبادوقبيه) expreſſit. In Jeremiae autem capite XXXXVII, quod Graecis viceſimum nonum eſt, שארית אי כפתור LXX. verterunt τοὺς καταλοίπους τῶν νήσων, *eos qui ex inſulis ſuperſunt*, nomine *Caphthor* aut non lecto, aut, quod potius reor, pro ſpurio habito, quod abſurda prodire videbatur ſententia, *inſula Cappadociae* (*). Haec ipſa tamen omiſſio eſt indicio, aliam explicationem nominis Caphthor non notam fuiſſe prophetarum interpreti, homini, fateor, non nimis docto.

A Graecis nihil manaſſe ad antiquos interpretes Chaldaeos, certum eſt: eoque major habendus Chaldaeorum interpretum omnium cum LXX conſenſus, conſtanter קפוטקאי, i. e. Cappadoces, vertentium. Sic in Deuteronomio Onkelos, utrumque Thargum ſequius in Geneſi et Deuteronomio, Jonathan in Jeremia et Amoſo, et Thargum chronicorum.

Syrus, teſtis a Bocharto omiſſus, ubique ܩܦܘܕܩܝܐ idque Ephraem in Jeremia interpretatur. Forte ex Graecis ſumſit.

Vulgata in Deuteronomio, Jeremia, et Amoſo, Cappadoces Cappadociamque poſuit, ſed ejus exigua hic eſt ac

(*) Habet quidem Complutenſis editio τῶν νήσων τῆς Καππαδοκίας, ſed ſuſpicionis plena res, editoribus forte Cappadociam non ex codicibus manuſcriptis ſumentibus, ſed Graecam verſionem ad textum Hebraicum ac Latinum corrigentibus. Hi ubi conſentiebant, non mirum, in ea artis criticae infantia eos hanc ſibi legem fixiſſe, ut graeca facerent fonti Hebraico conformia.

ac prope nulla auctoritas. Antiqua enim latina versio ex LXX facta, non Caphthoraeos interpretata Cappadoces est, sed Cappadocum nomen ex graeca versione retinuit: Hieronymus autem, latinam cum Hebraico textu conferens et ad illum refingens, de Caphthoraeis adeo nihil certi aut sui habuit, ut obvium quemque sequens ipse sibi contradixerit. Cum enim his, quae indicavi, locis, Cappadoces aut poneret (*) aut ex antiquiore latina relinqueret, in quaestionibus in Genesin, caput decimum interpretatus, Josephumque exscribens, Caphthoraeos populis annumeravit Aethiopico bello ita deletis, ut nihil praeter nomina illorum noverimus.

His testibus contentus, alios omitto, a Bocharto productos, Graecos scriptores qui LXX senum versionem, Gorionidemque et Judaeos recentiores, qui Thargumim sequuti sunt. Mihi quidem, in quaestione geographica veterum auctoritati plurimum tribuere solito, vel soli LXX et Chaldaei tanti futuri erant, ut vix dubitare auderem, nisi Josephus, Graecis bibliis multum usus, et cui Onkelosi versio, modo ejus aetatem attingat, vix potuit ignota esse, aperte contradiceret. Caphthoraeorum solum se nomen nosse ait, nec quidquam praeterea, quod gens, ut putat, Aethiopico bello deleta sit. Verba ipsa adscribo: *Νεδέμου, καὶ Φεδρωσίμου, καὶ Χεσλοίμου, καὶ Χεφθορίμου, παρὰ τῶν ὀνομάτων ὀυδὲν ἴσμεν· ὁ γὰρ Αἰθιοπικὸς πόλεμος, περὶ οὗ δηλώσομεν ὕστερον, ἀναστάτους ἀυτῶν τὰς πόλεις ἐπόιησεν.* Ant. I. 6. 2. Qui essent

(*) *Posuisse* videtur Jer. XLVII, 4. ubi non puto antiquam latinam Caphthoraeos habuisse. Certi quid statuere nequeo, hiat enim his Sabatierii antiqua Latina.

essent Caphthoraei, adeo ignorabat, ut suspicaretur, in intima illos Africa Aegyptum inter et Aethiopiam habitasse ac Mosis jam tempore deletos esse: ergo interpretationem a LXX adlatam falsam putabat, nec ejus tempore Cappadociae nomen apud Judaeos Caphthor erat, quod si non fuit, conjecturam fecisse LXX putandi sunt, non ut testes audiendi. Liberum ergo jam esto nostrum de eorum interpretatione judicium, ita tamen, ut si defendi possit, omnibus illam reliquis praeferamus.

Ornavit eam, magnaque ex difficultate expedivit Bochartus capite 32. libri quarti. Mediterranea enim cum sit Cappadocia, quo nec Aegyptii penetrasse, nec inde in Palaestinam rediisse coloni videbuntur, Ponticam monet Cappadociam intelligendam esse, quae mari alluitur, estque Colchidi vicina, hoc quoque lucratus, ut Casluchaei, quos Colchos interpretatus erat, Caphthoraeis fierent vicini. Argumentum pro Cappadocia, praeter veterum consensum, ab incommodis petit, quae alias interpretationes premunt: reliqua omnia, quae disputat, exceptis etymologicis supra refutatis, non eo pertinent, ut probet, Caphthor Cappadociam esse, sed ut objectiones refellat, ostendatque, posse Cappadociam intelligi.

Jam dispiciamus, quid in hac probatione Bochartiana insit roboris. Casluchaei si Colchi sunt, verisimilem esse fateor eam sententiam, quae Caphthoraeos in eorum vicinia quaerit, licet Moses nuspiam dicat, utramque coloniam vicinas sedes habuisse: verum id ipsum, quod de Casluchaeis Colchidem tenentibus habet Bochartus, quam sit dubium, vidimus. Reliquas interpretationes, quas excerpsit damnavitque, non solum magnis premi difficultatibus

tatibus

tatibus, ſed et falſas eſſe, lubens largior: at inde non ſequitur, ut haec, Cappadociam nobis oſtendens, vera ſit; fieri enim poteſt, ut aliquid veri ignoremus. Cyprum autem, quae mihi Caphthor videtur, et de qua nec cogitavit, nec ſuo tempore cogitare potuit Bochartus, nullae, quod ſciam, difficultates premunt.

Jam dicam, quid in Cappadocia displiceat: non ſane quod inſula non eſt, (quod a plerisque objicitur) mea enim ſententia אי inſulam antiquitus non ſignificabat, poteſtque Jerem. XLVII, 4. verti, *regio Cappadociae*; ſed primo ſitus locorum. Cappadocia, nec mediterranea ſolum, ſed et Pontica, tam eſt ab Aegypto et Palaeſtina remota, ut difficile creditu ſit, Aegyptiorum coloniam in tam longinqua loca deductam, tanto intervallo in Palaeſtinam renavigaſſe. Nec eſt, quod obvertat Bochartus, Colchidem coloniam Aegyptiorum habuiſſe: hoc enim teſtimonio veterum credo, de Cappadocia nulli teſtes ſunt; nec tam mihi coloniae deductio, quam integrae gentis tot per maria in Palaeſtinam reditus incredibilis. Deinde nullum omnino nominis Caphthor veſtigium in Cappadocia demonſtratur: non Judaei illam Joſephi tempore Caphthor dixerunt, non quisquam Graecorum Latinorumque conſonans cum Caphthor Cappadociae nomen ſervavit. Quod enim de Sidene diſputavit Bochartus, quam ſit a vero remotum vidimus: nec CAPHTHOR et CAPPADOCIA ita ſono conveniunt, ut idem nomen haberi poſſint. Vocalium diverſitatem, et pro Th molliorem literam D poſitam, facile ferrem, ſi nomen regionis *Cappadoria* eſſet: at R quoque in C mutatum nemo auribus perſvaſerit, niſi quae luſibus etymologicis detorſionibusque literarum probe adſveverunt.

Ergo nullo prorſus nominis aliove indicio ſola veterum auctoritate, Caphthor Cappadocia eſſe creditur, ubi minus diſſitam regionem exſpectaſſes. Hic quis non potius veteres aliquando damnet, aliamque opportuniorem ſitu Caphthoram circumſpiciat?

Miratus aliquoties, qui fieri potuerit, ut veteres pene omnes in ſententiam veri adeo diſſimilem conſentirent, tamque longe ab Aegypto et Philiſtaea Caphthoraeos ſummoverent; jam de lectione Hebraica ſuſpicari (*), jam deliberare apud me ipſum coepi, isne qui primus Cappadociae nomen poſuit, aliam Cappadociam minus nobis cognitam intellexerit. Sed nulla ſuccurrit, praeter urbem in Beryti vicinia, medio aevo ita vocitatam (**): ejus autem nomen recentius eſt, quam ut veterum quisquam de ea cogitare potuerit, natumque ex confuſione duarum de dracone interfecto fabularum. Nempe circa Berytum Georgius eques regis filiam a dracone liberaſſe ab accolis creditur: qui Georgius cum Cappodox ex communi opinione ſit, urbem Beryto vicinam Cappadociam credula plebs, eripique ſibi Georgium nolens, vocare coepit (*.*).

II) *Cyprus.*

De Cypro primus cogitavit Calmetus, errore feliciore ad verum inveniendum abreptus. Cum enim אי, inſulam ſignificare crederet, ex Jeremiae capite XLVII ut certum ſumebat, Caphthor inſulam fuiſſe, idque unum maxime Cappadociae opponebat (*.*.*). Inſulam ergo quae-

(*) Vide ſcripta pag. 292. 293.

(**) Vide Büſchingii Aſiam p. 286.

(*.*) Vide Acta ſanctorum ad diem XXIII Aprilis, pag. 105.

(*.*.*) *Comment donner le nom d'Isle à la Cappadoce? Ne ſait-on pas que cette province eſt une terre ferme? Il eſt vrai, dit-on, mais elle touchoit par*

quaerebat a Palaeſtina non nimis remotam (*): quam circumſpicienti cum Cyprus ſe offerret, eam in prima editione commentarii in Geneſin Caphthoram eſſe conjecit. Quam conjecturam quibus argumentis confirmaverit, ignoro, prima editione carens: ſed id modice fero, a Bocharto errante doctior recedere adſvetus, quam a Calmeto vera defendente. Quaecunque illae fuerint, ipſi deinde Calmeto non gravia ac probantia fuerunt viſa: unde mutata ſententia pro Cypro aliam inſulam, Cretam, minus feliciter ſubſtituit. Quid enim erat, quod in Cypro diſpliceret, quam ſitus tantopere commendabat? Ita enim eſt et Aegypto et Palaeſtinae vicina, illique adeo objecta, ut nemini mirum videri poſſit, primos eam ſibi Aegyptios vindicaſſe, eorumque poſteros Cypro aut parum delectatos, fuit enim diu ſilvis, in quibus exſtirpandis multum laborarunt incolae (**), horrida, aut cum inſula incolis non ſufficeret, Palaeſtinae maritima occupaſſe ac colonias eo deduxiſſe.

Sed quae initio conjectura erat Calmeti, ab ipſo repudiata inventore, eam nummi antiqui auctoritate ex conjectura-

par un de ſes Côtez à la mer Noïre, ou au Pont Euxin, et les Hébreux donnent le nom d'Isle, non-ſeulement aux päys qui ſont environnez de l'eau de tous côtez, mais auſſi aux päys maritimes. C'eſt ce qu'il ne ſeroit pas trop aiſé de prouver en général. Car en ce ſens, la Paleſtine, la Phénicie, l'Arabie, l'Egypte même pourroient porter le nom d'Isle: on doit donc limiter cette maxime aux päys, qui ſont fort éloignez de la Paleſtine, et où l'on n'alloit de là que par mer, et que les Hébreux peu inſtruits de la Géographie regardoient comme autant d'Isles. Mais rien de tout cela ne convient à la Cappadoce. etc. Differt. ſur l'origine des Philiſtins pag. 321.

(*) *Nous déſirons une Isle à portée de la Paleſtine.* ibid.

(**) Lege omnino, quae Strabo habet libr. XIV. pag. 684. al. 1003.

jecturarum numero exemit, atque, ut nobis quidem videtur, pene ad certum perduxit JOANNES SWINTON, pag. 78-85. dissertationis de nummis Phoeniciis et Samaritanis (*). Nummum ipse possidet, delineatumque exhibet, *cujus*, (Swintoni verbis utor) *unum latus caput exhibet Bacchi*, *vel potius*, *Swintono judice*, *Antiochi Epiphanis*, *pro Aegyptio more cincinnatum*: *ab altero clavam Seleucidarum insigne*, *inscriptionemque Phoeniciam.* Rarior cum sit Swintoni liber, nummi delineationem ex eo sumtam in fine (**) adjici curavi.

Literas Phoenicias Swintonus legit

לבדץ
כבדר

Labedutz Cubdr, interpretaturque, *Lapetus Cypri*, urbi adjectum censens regionis nomen, quo ab aliis urbibus distingueretur: Leptis enim utraque Africae, Phoeniciis literis iisdem scribenda erat. Aetâtem nummo assignat 170 circiter ante Christum natum annorum, quod annis 171, 170 et 169 A. C. Antiochus Cyprum tenuit. Haec quidem omnia ab eo copiosius sunt disputata, ac singularum literarum reddita ratio.

Has ergo literas si recte legit interpretatusque est Swintonus, ut nobis quidem videtur, si לבדץ כבדר, *Labedutz Cubdr*, seu, ut aliis quoque literis Latinis Graecisque

(*) *Inscriptiones Citieae: sive in binas inscriptiones Phoenicias inter rudera Citii nuper repertas conjecturae. Accedit de nummis quibusdam Samaritanis et Phoeniciis, vel insolitam prae se literaturam ferentibus, vel in lucem hactenus non editis, dissertatio. Auctore Joanne Swinton. Oxon. e theatro Sheldoniano* 1750.

(**) Vide pag. 308.

que exprimere poſſis, *Labedus Cubdor* (*), Λαβηδος Κυβδορ, Lapetum (**) Cypri ſignificat: ipſam jam Caphthoram tenemus, Cyprum inſulam, a Phoenicibus *Cubdr* vel *Cubdor* dictam. Nec molliores literae B et D pro Ph et Th poſitae, ex eo ſunt permutationum genere, quod rem ſuſpectam reddat: ſunt enim, ipſarum aurium judicio, permutatu facillimae, quod nos quidem Germani lubentius etiam dabimus, cum Misnica dialectus B a P, D a T diſtinguere nequeat. Sunt quidem Hebraeorum aures noſtris hac parte multo argutiores: nec in vocabulis domeſticis uspiam toto in codice ſacro memini ב et פ, ד et ת permutari, quidquid ejusmodi permutationis confingant alliteratores philologi; apud Arabes vero et Syros id aliquando quidem, ſed rariſſime fieri obſervavi. At alia eſt ratio nominum propriorum peregrinorum, in quibus exprimendis frequentiſſime Arabum geographi B et P, D et T permutant, (ut قبادوقيه *Cabadocia*, قبرس *Kubros* (*Cyprus*) aliaque infinita:) ſive quod nulla eſſet certa orthographiae Arabicae ratio in barbaris vocabulis, ſive quod exterorum appellatio incerta videretur Orientalibus, atque, fere ut Rhenana nobis, inter D et T, B et P, media. Caphthoraeorum nomen, niſi me omnia fallunt, Hebraeis Phoenicibusque exterum, erat enim, ut coloniae Aegyptiae, Aegyptium: non ergo mirum, quod nomen Moſes

(*) צ, Tſade Hebraeorum, Graeci et Hieronymus ubique per Σ et S exprimunt. In כבדר ſecundae ſyllabae O dedi, quod Hebraicum כפתור illam vocalem habet, breve tamen, quia in nomine Κυπτρος, de quo poſtea, abjicitur.

(**) Unicum dubium aliquoties mihi ſubnatum, reticere nolo, ne ſententiae Swintonianae ſtudioſior quam veri videar. Quid? ſi Lamed in לברץ ſit praefixum, quod alii quoque nummi Phoenicii ante nomina urbium habent? nomenque urbis ברץ? Nullius tamen urbis, ita vocatae, ſive adeo cujus nomini hae literae aptari poſſint, recordor.

Moſes in Aegypto vivens durioribus literis ſcripſit, idem Phoenices, diu poſt Cypro potitos, Antiochi Epiphanis tempore mollius adpellaſſe (*).

Nec in hoc ſolum nummo, ſed et apud Graecos ſcriptores, antiquum Cypri nomen Moſaico Caphthor conſonans invenit. Excerpſit ex Aſtynomo Plinius, (L. V. §. 35) Cyprum olim *Crypton* vocatam fuiſſe, idemque Stephanus de urbibus in vocabulo Κύπρος habet, addita etymologia graecula, inepte conficta, *quod ſaepe a mari Cyprus occultetur.* (Φησὶ Κρυπτὸν κεκλῆσθαι, διὰ τὸ κρύπτεσθαι πολλάκις ὑπὸ τῆς θαλάσσης). Feliciſſime vero Swintonus conjecit, antiqui nominis veram ſcriptionem non Κρυπτὸς, ſed Κυπτρός fuiſſe: facile enim ex

(*) Forte et quid Swintonus huic dubio repoſuerit ſcire cupient lectores. *Quamquam,* (inquit pag. 80. 81) *Lapethi dominante Antiocho Epiphane, iſtam civitatem* LABEDUTZ, LABEDUS *vel* LEBDIS, *quin et Cyprum,* KUBDR *ſeu* KABDR, *appellitarint Phoenices; tamen nullus dubito, quin millenis ante Antiochum annis,* LAPTUS *vel* LEPTIS, KAPTR *vel* KAPTUR *Cypri et Lapheti nomina iidem Phoenices interdum exaraverint. Beth enim et Daleth ſi ex primigenia eorum, pariter ac Hebraeorum, elementorum claſſe non penitus exulabant, in ſcribendo tamen rarius adhibuiſſe Phoenices, clare admodum teſtatur Etruſcum, Phoenicio mire conveniens, alphabetum, cui hae literae primitus defuerunt* (*Franc. Gori muſ. Etruſc. Vol. II. diſſert. I.*). *Neque mirandum, Pe et Tau ſive Phe et Thau uſu magis apud Orientales prioribus mundi ſeculis invaluiſſe, cum ſimpliciores ediderint ſonos, cum elementa prolatu faciliora et ad loquelae organa accommodatiora aptioraque cenſeantur.* Poſtrema deſcripſi diſſentiens: in antiquiſſimo Hebraeorum monumento, Pentateucho, ב et ד literae non ſunt literis פ et ת minus frequentes. Hetruſci ſi a Phoenicibus, ut facile concedo, alphabetum acceperunt, forte qui eos primum literis Phoeniciis ditavit, B et D omiſit, quod illis carere Hetruſcam linguam putaret poſſe, memoriaeque ſubveniens cuperet literarum numerum minuere.

ex barbaro Κυπτρὸς, eliſo T quod duas inter conſonantes rapide adpellato nomine vix auditur, Κύπρος fieri potuit, non item ex Κρυπτὸς, literas alio ordine, et T bene ſonorum habente. Sed videntur Graeci, aut ſcriptores aut librarii, pro nomine barbarum quid ſonante Κυπτρος, etymologiae ſtudio, (quo morbo et grammatici laborare ſolent, et vero Graeci prope omnes correpti erant, peregrina ad ſuam linguam detorquentes) Κρυπτος ſcripſiſſe. Graecum Κυπτρος ipſiſſimum jam nomen Hebraicum כפתר refert, niſi quod a maſorethis aliisque male appellatum, mutatisque punctis כַּפְתֹּר ſcribendum, ſuſpicor.

Huic explicationi nihil ad certitudinem deeſt, praeter veterum interpretum auctoritatem. Nec tamen mirum, eos hic verum non vidiſſe: Cyprum noverant, ſed ex Graecorum ore aut ſcriptis, ignari, quo nomine ab indigenis Phoenicibus inſula vocaretur.

III) *Creta.*

Cypri loco Calmetus, mutata ſententia, in inſula tamen quaerenda ob Jerem. XXXXVII, 4. conſtans, Cretam tandem elegit, quam Caphthoram faceret. Haec vero conjectura, demtis illis quae ſupra expenſa ſunt cum de Philiſtaeis ageremus, nihil omnino habet, quo ſe ſuſtineat: cum enim Cappadociam inter et Cyprum ita diviſi tanquam calculi eſſent, ut Cappadociam auctoritas antiquorum, Cyprum nomen כבדר et Κυπτρος commendarent, Cretam nec teſtes, nec nomen antiquum cum Caphthor conveniens, juvat. *Apterae* enim, urbi Cretae mediterraneae a Calmeto in ſubſidium vocatae, prima deeſt litera C, nec ab Hebraeis nec a Graecis abjici ſolita: quod autem addit:

addit: *on connoit auſſi les Villes de Tharra, et de Teraphnae, et le mont Tityrus, et les Satyres de l'Isle de Crete*, quid eſt aliud, quam verbis ludere. Talia nomina ſi conquiras, nulla orbis terrarum regio non Caphthor fieri poterit. Omnium tamen maxime Satyros miror, qui quid ad Caphthor faciant non video, niſi forte placebat Calmeto rem ita inſtituere: *Caphthor, mutato C in S, fiat Saphthor; abjice inde P, habebisque Sathor, ex quo Satyros tuto facias.* Eo quoque devenit, ut a cupreſſi nomine ſuppetias petat. Hujus enim arboris patria cum Plinio auctore Creta ſit (*), indeque in Italiam venerit, Graecisque arbor non Κυπάρισσος ſolum ſed et Κυπάριττος dicatur, hoc arboris nomen cum Caphthor comparat, cujus transpoſitas literas utcunque exhibet: aegre auribus perſvaſurus, Graecos arborem Cretenſem ab ignoto ipſis nomine inſulae Caphthor, pro Captoria Κυπάριττον appellaſſe. De malis cydoniis, quae magno errore adfert, ſupra ſatis dictum.

Nullam ergo omnino cauſſam videns, cur Creta כפתר habenda ſit: poſterioribus Calmeti cogitationibus priores praefero, maximam Swintono gratiam habens, qui eas ex conjecturarum numero primus exemit, Cyprumque nobis olim Cubdor et Κυπτρον dictam demonſtravit.

(*) Hiſt. nat. libr. XVI. c. 33. §. 60.



IOANNIS DAVIDIS MICHAELIS,
EQUITIS STELLAE POLARIS,
CONSILIARII AULICI REGIS M. BRITANNIAE, PROFESSORIS PHILOSOPHIAE
IN ACADEMIA GOETTINGENSI,

SPICILEGIUM
GEOGRAPHIAE HEBRAEORUM EXTERAE

POST BOCHARTUM.



PARS SECUNDA.

GOETTINGAE,
SUMTIBUS VIDUAE VANDENHOECK.
MDCCLXXX.

addit: *on connoit aussi les Villes de Tharra, et de Teraphnae, et le mont Tityrus, et les Satyres de l'Isle de Crete*, quid est aliud, quam verbis ludere. Talia nomina si conquiras, nulla orbis terrarum regio non Caphthor fieri poterit. Omnium tamen maxime Satyros miror, qui quid ad Caphthor faciant non video, nisi forte placebat Calmeto rem ita instituere: *Caphthor, mutato C in S, fiat Saphthor; abjice inde P, habebisque Sathor, ex quo Satyros tuto facias.* Eo quoque devenit, ut a cupressi nomine suppetias petat. Hujus enim arboris patria cum Plinio auctore Creta sit (*), indeque in Italiam venerit, Graecisque arbor non Κυπάρισσος solum sed et Κυπάριττος dicatur, hoc arboris nomen cum Caphthor comparat, cujus transpositas literas utcunque exhibet: aegre auribus persvasurus, Graecos arborem Cretensem ab ignoto ipsis nomine insulae Caphthor, pro Captoria Κυπάριττον appellasse. De malis cydoniis, quae magno errore adfert, supra satis dictum.

Nullam ergo omnino caussam videns, cur Creta כפתור habenda sit: posterioribus Calmeti cogitationibus priores praefero, maximam Swintono gratiam habens, qui eas ex conjecturarum numero primus exemit, Cyprumque nobis olim Cubdor et Κυπτρον dictam demonstravit.

(*) Hist. nat. libr. XVI, c. 33. §. 60.



IOANNIS DAVIDIS MICHAELIS,
EQUITIS STELLAE POLARIS,
CONSILIARII AULICI REGIS M. BRITANNIAE, PROFESSORIS PHILOSOPHIAE
IN ACADEMIA GOETTINGENSI,


SPICILEGIUM
GEOGRAPHIAE HEBRAEORUM EXTERAE

POST BOCHARTUM.



PARS SECUNDA.

GOETTINGAE,
SUMTIBUS VIDUAE VANDENHOECK.
MDCCLXXX.



CHANANAEORUM COLONIAE

GENES. X, 15.

וכנען ילד את צידן בכרו׃

Et Chanaan genuit Sidonem primogenitum ſuum.

De Chanaane et Chananaeis ſatis dictum in Tomo primo ad verſum ſextum. Miror equidem, fuiſſe, qui etiam poſt nummos productos de re manifeſta dubitare poſſent, et negare, Chananaeos eosdem Hebraeis, qui Graecis Phoenices. His ſi quid reſpondendum erat, (quamquam contradicendi potius ſtudio, quam veritatis amore ductus videtur adverſarius) dictum eſt in editione ſecunda juris Moſaici Tomo I. p. 193-204. Hic quidem ipſe Moſes teſtis ſurgit. Sidonii et Aradii ſine dubio Phoenices Graecis ſunt, hos vero Moſes Chananaeis adnumerat. Horum equidem ſola hic pono nomina, quod de illis ambigi nequit: ſed plures adeo civitates, quae Graecis Phoeniſſae ſunt, in Chananaeis a Moſe nomina-

ri, deinceps videbimus; jam tanquam in rem praesentem venientes.

Urbem Sidonem nomen habere a piscium ubertate, *Justinus* prodidit (*), estque id ita verisimile, ut et Bochartus ex eo repetat, licet suae ipse sententiae, de Sidone aliquo Chanaanis filio, contrarium. A piscium enim ubertate, aut a piscando, urbs si dicta est, qui potest a conditore Sidone pronepote Noachi, nomen accepisse? In eo uno errabat *Justinus*, quod putabat, Phoenices piscem *Sidon* vocare; quod nomen potius piscationis erit, a צוד, *venari*, et, *piscari*, unde et Chaldaeis ספינת צידין *navis piscatorum*, Jes. XXXIII, 21. dictaque, ut jam monuit Bochartus, Bethsaida.

Ergo Sidon non erit nomen viri nec conditoris, sed urbis, sed coloniae, ex Chanaanis posteris deductae. Certe non verisimile, filium Chanaanis statim urbem condidisse cognominem, simulque nomine exprimentem naturae et loci dona. Primogenitus autem cum dicitur, sententia est, primam hanc fuisse Phoenicum coloniam, quam ex priscis ad mare rubrum sedibus procul a patria ad maris mediterranei litora duxerint. Exempla locutionis p. 4. 5. tomi I. proposita non repeto. Antiquus tamen jam error de Sidone, viro, filio Chanaanis, urbisque conditore, a Josepho quoque commissus. Sic ille l. I. c. 6. §. 2. ἐγένοντο δὲ καὶ Χαναάνου παῖδες· Σιδώνιος, ὃς καὶ πόλιν ἐπώνυμον ἔκτισεν ἐν τῇ Φοινίκῃ, Σιδὼν δὲ ὑφ' Ἑλλήνων καλεῖται. *Fuerunt vero et Chanaano filii: Sidonius, qui urbem sibi cognominem in Phoenice condidit, quae Sidon Graecis vocatur.*

Nec

(*) *Condita ibi urbs, quam a piscium ubertate Sidona appellavere: nam piscem Phoenices Sidon vocant.* l. XVIII. c. 3. §. 4.

Nec orthographia nominis indigna videtur, de qua aliquid dicamus, maxime, quod ſunt, qui textum Samaritanum Judaico eam ob cauſſam praeferunt, quod pluribus literis quieſcentibus plenius ſcripta habeat nomina, ut noſtrum צידון, voluntque, a Maſorethis, cum puncta adderent, incredibilem numerum literarum quieſcentium deletum. Hi vero inſignem produnt et criticae et numiſmaticae Orientalium ignorationem. Res quidem ita hic ſe habet. In maſorethico textu legitur צידן, ſed magna varietate: ex decem enim codicibus צידון enotavit Kennicottus, quod et in libro primo chronicorum c. I, 13. reperies. Sic et Samaritanus habet, צידון, cui tamen ex uno codice צדון, alioque unico צידן, idem annotat Kennicottus. Ex his lectionibus quae Moſaicae manus ſit, difficile dictu, nulla enim obnoxia: veriſimilior tamen ea, quae pauciores literas habet. In antiquo enim Antiochi Epiphanis nummo Swintonus (*) invenit, לצר אם צדנם, *Tyri, metropolis Sidoniorum* omnibus literis quieſcentibus in nomine צדנם omiſſis (**). Nec tamen Jod ex Moſis ſcripto demtum velim, ſuſpicor enim, illud initio non quieſcens fuiſſe, ſed mobile, צַיְדן, adeoque omitti non potuiſſe ultimis temporibus. Analogia grammatica hanc formam prope poſcere videtur, indiciumque ejus ſupereſt in Arabico urbis nomine, صَيْدَا. Ergo ſcriptionem maſorethicam צידן, cum Jod et ſine Vau, Moſaicam eſſe arbitror. Sequiore tempore, cum *Sidon* pro *Saidon* urbs vocari coepiſſet;

(*) Gentleman's Magazine Decemb. 1760. p. 560.

(**) Plura de hoc argumento cupiens, evolvat, *miſcellanea mea* (*vermiſchte Schriften*) T. II. p. 132 - 143 ſeu §. 21. 22. diſquiſitionis de punctorum vocalium aetate.

pisset, Jod quiescente, צרן scribi coepit, ut in Antiochi nummo.

In primo jam tomo monui, Chaldaicum chronicorum interpretem haec verba 1 Paral. I, 13. reddere, *et Chanaan genuit* ית כותניאס *Chuthaneum, qui Sidonem urbem aedificavit*, et Pseudojonathanem Genes. X, 19. pro מציון ponere, מן כותנייס, promisique, hic me hac de versione dicturum. Id quidem manifestum, demta terminatione graeca כותן nomen Chaldaicum Sidonis relinqui, quod alter ex interpretibus ad conditorem urbis retulit. Hic quis sit *Chathanius*, vel, ut ipse vult, *Cataneas*, disquirit *Beckius* in eruditissimis, quas versioni Chaldaicae chronicorum subjecit, notis, vereor tamen, ut feliciter. Primo de Catanea urbe Siciliae cogitat, suspicari adeo ausus, (portentum historiae!) eundem Chanaanis filium, qui Sidonem condiderat, *postea cum aliis Phoenicibus, expeditione per Oceanum suscepta, et colonia in Siciliam deducta, Cataneam Siciliae urbem sibi cognominem condidisse.* Bochartum quoque sibi quodammodo consentire putat, qua in re magnopere fallitur. Bochartus enim (*) Cataneam a Phoenicibus quidem vult conditam, sed nomen urbis קטנא scribit, literis aliis, interpretaturque, *Parvam:* sed hac conjectura non contentus Beckius, aliam addit multo audaciorem, כותניוס idem esse quod קדמוני, *Cadmi* nomen, rescribendumque קדמוניוס. Ergone Cadmus, is qui literas Graeciae intulit, pronepos fuerit Noachi, idemque et antiquissimae Sidoniorum urbis conditor?

Mihi quidem aliquoties in mentem venit vocabuli Punici *Cothon*, portum arte factum significantis, a quo Sidon nomen

(*) Chanaan l. I. c. 37. p. 530.

nomen accipere, et coloniis quoque ſuis hereditarium relinquere potuerit. Servius ad verba, *hic portus alii effodiunt*, Aeneid. I, 431: *Carthaginienſes Cothone foſſa utuntur, non naturali portu. Cothona ſunt portus in mari, non naturales, ſed arte facti.* Strabo l. XVII, p. 1189. de Carthagine loquens, ὑπόκεινται δὲ τῇ Ἀκροπόλει οἵτε λιμένες, καὶ ὁ Κώθων, νησίον περιφερὲς Εὐρίπῳ περιεχόμενον. (*Sub caſtello ſiti et portus, et ſic dictus Cothon, inſula Euripo circumdata.*) Nec de ſolo Carthaginis portu ponitur, ſed et de aliis. Hirtius de bello Africano, c. 62. 63. *Adrumeto ex Cothone egreſſus — — Adrumetum in Cothonem ſe univerſae recipiunt. — — Navibus onerariis, quae erant extra Cothonem, incenſis, omnibusque aliis in Cothonem compulſis.* Hoc quidem nomen Hebraicis literis vix aliter ſcribi poteſt, quam, ſive קותן, ſive כותן: quod autem Bochartus tentat (*), a קטם *incidere* derivans, legibus grammaticis eſt contrarium, ט enim Hebraeorum nunquam eſt Th, nec N radicale temere in M mutandum. De etymo quidem inveſtigando parum ſum ſolicitus, dummodo conſtet, lingua Punica portum artificialem *Cothon* dictum fuiſſe. Poſſem conjecturas adferre, ut, a tegendo nomen accepiſſe, quia tegit naves, veſtimenti inſtar, quod כתנת dicitur, ſed tali auxilio, ludicro pene, non opus, ubi de ſignificatione conſtat. Noſtrarum linguarum nomina intelligimus, nec dubitat Germanus, quin *Hafen* portus ſit, ſi vel etymi rationem reddere nequeat. Reliqua de Chuthaeis, Sidoniis eorumque coloniis, in parte prima p. 106-110 dicta.

Unicum adhuc ſuccurrit, non perficiendum, ſed dubitandum, peritioribusque proponendum, ut certum quid aſſequu-

(*) Chanaan libr. I. c. 24. p. 469.

aſſequuti reſpondeant. Chananaeos Armenii *Genthunios* vocant: hocne nomen aliqua cognatione tenetur noſtri כותן? Moſes Choronenſis pag. 92. narrat, *Valarſacen, Armeniae regem, ex Chananaeorum progenie deſignaſſe, qui ſibi manus induerent, eosque Genthunios appellaſſe, ſe autem cauſſam nominis ignorare.* La Crozius, pro ſuo more, ingenioſus ſed parum cautus, ad Gallicum *Gant* revocat, ideoque multo recentiorem facit hiſtoriam; quod mihi quidem veri perquam diſſimile. Nec enim puto, impoſtorem Armenum, ſuis fabulas obtrudere cupientem, quae circa ſeculum quintum ita in certiſſimam veritatem deſinunt, ut coaevum ejusque ſeculi ſcriptorem agnoſcas, Gallicae linguae ita adſvetum eſſe potuiſſe, ut ex ea, ac vero Francogallica, nomen comminiſceretur. כתנים hoc modo punctatum, כְּתָּנִים, idem eſſe poſſit, quod כנתנים, ſive, Nun eliſo et per Dageſch compenſato, ſive pro more Chaldaeorum Dageſch abjecto et per Nun compenſato. כנתנים quis mirabitur ab exteris in *Genthunios* mutari unius literae mitigatione? Verum hae non ſunt ſententiae, ſed quaeſtiones, doctioribus propoſitae: linguae enim Armeniae imperitus ſum, et ex ſola ſapio verſione latina, quae qualis ſit, quam fide digna aut indigna, ignoro.

Supereſt, quod attigit Bochartus, non ſatis expediens. Sidon Joſ. XI, 8. dicitur, צִידוֹן רבה, quod intellecturo opus eſt ſcire, Orientales, maxime Syros, nominibus propriis geographicis aliquod nomen adpellativum jungere ſolere, ex quo diſcas, urbsne ſit, an inſula, fluvius, mons, regio: cujus moris ſi quis exempla in promtu habere cupiat, cum textu graeco conferat verſionem Syriacam capitis XXVII actuum apoſtolicorum, videbitque, vel ab interprete haec addi, quae Syros addere dixi. Jam *urbis*

urbis plura habent nomina, quantitatem, ut ita dicam, definientia: ex his maximum apud Chaldaeos Syrosque רַבְּתָא, quod non in qualibet magna urbe, ſed in ſola gentis aut regni metropoli uſurpatur. Hinc Regia Ammonitarum nomine etiam proprio, רבה, aut plenius, רבת בני עמון, dicta. Sic et חמת רבה, *Hamatha metropolis*, atque Babylon Dan. IV, 27. בבל רבתא *Babylon regni ſedes*. Syri recentiores maxime de urbibus metropolitanis eccleſiae uſurpant, ut de Alexandria et Antiochia. Vide chreſtomathiam Syriacam p. 58. ܠܐܠܟܣܢܕܪܝܐ ܪܒܬܐ &c. &c. Erit ergo צידון רבה, *Sidon, metropolis totius gentis Phoenicum*.

Spelunca etiam Sidoniorum (המערה אשר לצידונים) in finibus terrae Israeliticae deſcribendis commemoratur, Joſuae XIII, 4. de qua recte monuit *Simonis* (*), eandem eſſe, de qua loquatur *Guilielmus Tyrius* de bello ſacro. Sic ille l. XIX. c. 11. *municipium quoddam noſtrum, in territorio Sidonienſi ſitum, ſpeluncam videlicet inexpugnabilem, quae vulgo vocatur Cavea de Tyrun, occupat*. Addo locum Abulfedae, p. 98. Syriae a celeberrimo Koehlero editae, qualis in codice Pariſienſi legitur, ex quo nonnihil de ſitu ſpeluncae diſci poteſt. Docuerat, *diſtinguendam eſſe Schakif-Arnun, a Schakif Tirun, quae ſit caſtellum in Phoenice, haud* pro-

(*) p. 283. onomaſtici. Citat auctores, ex quibus profecerat, *Adrichomii theatrum terrae ſacrae, p. 4. Bisſelium, Dapperum*. Grate ille quidem; hi tamen omnes cum nihil habeant ſui, ſed cuncta, ex Guilielmo Tyrio, nomina ſunt, non teſtes. Idem Simonis et Guilielmi librum XXII, c. 15. citat, ſed ibi, quantum video, de alia plane ſpelunca loquitur Guilielmus, alio etjam in tractu ſita. Caveam de Tyrun expugnaſſe Saracenos narraverat l. XIX, 11. jam qui poſſet diu poſt narrare, eandem eos ſpeluncam expugnaſſe, quae nunquam in chriſtianorum poteſtatem redierat?

procul Tyro: jam in codice Parisiensi haec addit, وهي قلعة
منيعة ناقلة عن البحر وهي علي صفت علي
مسيرة يوم في سمت الشمال والشقيف ايضا شقيف
ارنون وهو في سمت الشمال عن شقيف طيرون
i. e. *Est autem castellum munitum, remotum a mari, unius diei itinere a Safet* (*) *versus septentrionem. Schakif autem et nomen est Schakif Arnun, quod castellum castello Tirun versus septentrionem est, diei itinere.* Suspicor, belli sacri tempore speluncae urbem cognominem vicinam fuisse, ipsam quoque munitam, sed cujus incolis aut praesidio receptus in specum patebat, quale erat σπήλαιον Ἀρβηλῶν in vita Josephi, de quo vide notas ad 1 Macc. IX, 2. ipsumque adeo castellum Schakif Arnun, de quo Abulfeda in codice Parisiensi: *est autem Schakif-Arnunae pars, spelunca in petram excisa, et pars muro cincta.*

Simonis, quem de geographia bene meritum, nec ut par erat celebrem, honoris et pristinae amicitiae caussa nomino, ex Golio urbem quoque معرة (*Maarra*) commemorat: verum ea non hujus est loci. Destituebatur vir diligentissimus et eruditissimus his geographiae Arabicae praesidiis, quae nunc adepti multo nobis doctiorem corrigere possumus. Duplex est Syriae معرة, descripta ab Abulfeda p. 21. et 111. *Maarra Naemanis* et *Maarra Nesrin*, sed neutra nostra, ac ne nomen quidem convenit, مَعَرَّة enim

(*) Urbs Safet lacui Tiberiadis imminet, non procul a monte Beatitudinum. De ea vide *Abulfedae Syriam* p. 82. 83. *Maundrellum* p. 115. et *Pocokii* itinerarium T. II. p. 112. seqq.

enim ſcribitur, ſpecus autem Arabibus, aliis literis, مغارة.

Eſt Syriae fluvius, haud procul Beryto, Magoras, de quo, id quoque nos admonet Simonis, cogitavit Junius. Habet eum Plinius libr. V. c. 20. *in ora etiamnum Libano ſubjecta, fluvius Magoras, Berytus colonia* &c. eſtque, ut recte monent, idem qui Straboni p. 1097. Ταμύρας, Gallis, *Fleuve d'Amour*. Sed nec nomen concinit, Magoras enim erit, מגור, et, cum Speluncam Sidoniorum habeamus, non opus eſt alliterationis artificio, ne ſpeluncam quidem, ſed fluvium dante.

* * *

ואת חת

et Chethum, i. e. *Chetthaeos*.

Frequens hujus populi Chananaei mentio. Id quidem in veriſimilibus, ſedes ejus antiquas fuiſſe circa Hebronem, ob Geneſ. XXIII, 7. 20. id vero eſt, ut verbis Juſtini utar, ex libro XVIII. c. 3. ſumtis, in vicinia *ſtagni Aſſyrii;* mari enim mortuo Hebron vicina, urbs, ob ſummam antiquitatem ab ipſo jam Moſe laudata, Num. XIII, 22. Hac tamen re diſſident Moſes et Juſtinus, ſeu, quem excerpſit, Trogus, quod Moſes primam facit Chananaeorum coloniam Sidonios, ſecundam Chetthaeos, Juſtinus contra primo eos Aſſyrium ſtagnum, mox mari proximum littus, condita ibi urbe Sidone, incoluiſſe auctor eſt. Facilis optio: vel nulla habita adflatus divini ratione, tamen auctorem domeſticum, tot ſeculis ſuperiorem, praeferemus extero, recentiori, inſigniumque de Palaeſtina mendaciorum convicto.

Forte et alibi proprie ſic dicti Chetthaei, atque ab aliis Phoenicum tribubus diſtincti, tanquam aliquas habitarunt maculas: quo refero Judic. I, 26. ubi Phoenicum aliquis Bethelam incolentium, prodita Iſraelitis urbe, mercedem pactus vitam et liberum diſceſſum, in terram Chetthaeorum migrat, novamque ibi urbem, Luz dictam, condit. Haec vero Luza non in tribu Judae, circaque Hebronem, qua ex regione omnes Chetthaei pulſi erant, ſed quantum exiſtimari poteſt, in vicinia Bethelae condita. Forte et alia borealis fuit Chetthaeorum colonia, cujus reges 1 Reg. X, 29. 2 Reg. VII, 26. commemorantur: eſt tamen res non plane explorata, forte enim Chetthaeorum nomen nonnunquam latius patuit, pro tota Chananaeorum gente poſitum, ut Joſ. I, 4. ubi omnis Palaeſtina ab Euphrate ad mare mediterraneum terra Chetthaeorum, (ארץ החתי) dicitur.

Quod de etymo nominis habent, a *terrore* ducto, non alii ſolum, ſed ipſe Bochartus, (l. IV. c. 36. p. 304) meum non facio. Neſcio, unde dicti Chetthaei, pluresque veri non diſſimiliores comminiſci etymologias poſſem, prout ſive حتّ ſive ختّ conferre luberet, ſed pudori eſt. Indoles gentium non ex nominibus aeſtimanda, quae et caſu ſortiuntur, ab urbe, a terra, a flumine, &c. et honorifica ſibi ſumere contemti atque imbelles poſſunt.

Haec poſt Sidonios antiquiſſima Phoenicum colonia diu ante memoriam Graecorum Latinorumque periit, a Joſua, ſeu potius a Calebo deleta. Superſunt tamen aliqua hiſtoriae, partim et fabularum, fragmenta, collectu nec inutilia nec injucunda.

Urbem coloniae primariam, Hebron, ſeptennio ante Tanim Aegypti conditam eſſe, Moſes auctor eſt, Num. XIII,

XIII, 23: antiquior autem urbe populus fuisse, jamque ante in ejus vicinia troglodytico more, [plane ut Chananaei in Seiritide (*)] vixisse videtur. Sunt in Hebronis vicinia magni specus subterranei, quorum unum Abrahamum sepulcro emisse legimus, Genes. XXIII. His in specubus initio coloniae habitasse Chananaei, ut jam in Seiritide adsveverant, videntur: in vicinia certe urbis troglodytarum posteros, nomen priscae habitationis adhuc servantes, repererunt Israelitae, *Anacaeos*, *filios Anac*, *natos Anac* dictos, Numer. XIII, 22. Hos quidem error ad aliquem Anacum, patrem, refert, grammaticis argumentis, ut jam alibi monuimus (**), facile refellendus. Cum enim nomina propria personarum He articuli non admittant, ענק autem cum He jungatur, ut Num. XIII, 22. 28. Jos. XV, 14 ילידי הענק, et Jos. XV, 14. Judic. I, 20. בני הענק, sequitur, ut nomen adpellativum sit, non viri proprium. Jam cum Arabibus عنق sit, *intrare latibula subterranea*, filii Anac, nati Anac, Anacaei, qui erunt alii, quam troglodytae in specubus nati? Horum ergo Anacaeorum Mosis adhuc et Josuae tempore tres tribus, Achiman, Scheschai et Thalmai, supererant, Hebronemque incolebant, Num. XIII, 22. Jos. XV, 14. Jud. I, 10. valde enim ineptum, tres hos, singulos viros facere, qui exploratoribus secundo itineris Israelitici anno jam terribiles, post quadraginta et quod excurrit annos adhuc et vixerint, et senio non imbecilliores tanto adhuc terrori Israelitis fuerint, ut tota terra subacta difficile tamen esset, eos vincere. Magnae, ut dixi, tribus erant, Hebronem quidem incolentes, sed

(*) Vide diss. *de troglodytis Seiritis et Thamudaeis*, septimam partis primae syntagmatis commentationum.

(**) In commentatione de troglodytis §. 4.

ſed quibus, ſi hoſtis ingrueret, vicinum ſpecus tutum praebebat refugium. Nempe ſpeluncas urbesque junctas jam ſupra p. 8. monui: ipſaque Hebron *Anac* dicitur Joſ. XV, 13. et Joſ. XI, 27. plures urbes Anacaeorum memorantur.

Partem ſpecuum Hebronenſium ſepulturae ceſſiſſe, vel ex hiſtoria Abrahami novimus. Videntur autem praeter illud multo antiquiora ibi ſepulcra illuſtrium Phoenicum fuiſſe, fabulis nobilitata.

Manifeſta ſunt, non fabulae, ſed mendacia, quod Adamum ibi ſepultum aliqui tradunt, quaſi vero ejus poſt tot ſecula ſciri ſepulcrum poſſit, ſi quod omnino fuit, aut quaeri in Palaeſtina debeat, cum paradiſo expulſus Adamus Orientalia, Indiam aut Sinam petierit (*): deinde, quod nomen urbis polyonymae, קרית ארבע, quaſi tu diceres, *urbs Quatuor*, interpretantur de *quatuor ibi ſepultis magnis viris*, *Adamo*, *Abrahamo*, *Iſaaco et Jacobo*. Error abſurdus, cum hoc nomen קרית ארבע antiquiſſimum urbis dicatur, Judic. I, 10. et jam in hiſtoria emti ab Abrahamo ſepulcri Geneſ. XXIII, 2. commemoretur, quo tempore certe Abrahamus, Iſaacus et Jacobus nondum mortui, nec dum ſepulti erant. Eſt tamen error antiquus. Hieronymus in libro Quaeſtionum in Geneſin ad caput XXIII: *Dicitur ARBEE, hoc eſt*, QUATTUOR, *quia ibi Abraam, et Iſaac, et Jacob conditus eſt, et ipſe princeps humani generis, Adam, ut in Jeſu libro apertius demonſtrabitur.* Hic numerus, ne quid deeſſet, a poſteris etiam duplicatur, nivis inſtar cadendo creſcentis. In *cippis Hebraicis*, ab Hottingero latinitate donatis, haec p. 28. leguntur: *in*

(*) Geneſ. III, 24.

in qua (ſpelunca *Macpela*, quam *duplicatam* interpretari ſolent, qui etymologias nominum propriorum captant) *ſepulti patres mundi*, *Adam et Eva*, *Abraham et Sara*, *Iſaac et Rebecca*, *Jacob et Lea*. Vera pleraque, ſed non omnia. De Adamo enim, addita quoque Eva, quis ſani capitis ſuſpicari audeat, in eodem ſpecu conditos fuiſſe, quem Abrahamus a Chetthaeis emit, nullam Moſe faciente tantorum progenitorum ibidem ſepultorum in emtionis hiſtoria mentionem? Ibi ſi conditi erant, idque ignorabatur eo tempore, quo ſpecus emebatur, unde poſt multa ſecula id reſcire, praeter ſtultum, quisquam potuit? Hae ergo naeniae etymologicae, etymologiam quoque duplicantes, ac 2 et 4 ex מכפלה et ארבע extortum multiplicantes, abdicandae.

Aliter vero ſentiendum de verſione vulgata Latina loci Joſ. XIV, 15. de qua nunc copioſius dicendum. Verba, קרית ארבע האדם הגדול בענקים הוא, verti plerumque ſolent, *urbs Arbae, hominis maximi inter Anacaeos*: in qua verſione non diſſimulo eſſe, quod displiceat. Nec enim Hebraei nomen אדם ita ponere ſolent de homine quocunque, dicturi potius, האיש הגדול. Aliter legiſſe videntur LXX, μητρόπολις τῶν Ἐνακεὶμ αὕτη, i. e. האם בענקים הוא, cum hic, tum XIV, 13. XXI, 11. ubi in codicibus maſorethicis אבי הענק היא reperitur. At eorundem verborum, quae nos legimus, interpretationem non ſane repudiandam dedit Vulgata: *Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt.* Abſurda, fateor, ſententia, ſi eum Adamum cogites, quem Moſes patrem communem humani generis facit, nec nego, Hieronymum ita vertentem erraſſe: ipſis tamen verbis Vulgatae veriſſima dari ſententia poteſt, modo de aliquo Chananaeorum Adamo accipias, atque verba Hebraica adcuratius ſic reddas: *urbs Arbae, qui eſt Adamus,*

maximus Anacaeorum. Solent ſibi gentes ſuum, ut ita dicam, Adamum confingere, id vero eſt, primum hominum ſibi arrogare, fabulasque de eo comminiſci. Sic forte et Chananaei aliquem proprium habebant Adamum, fabulis domeſticis celebratum, cujus ſepulcrum aliquo in ſpecu circa Hebronem eſſe volebant. Sanchoniathon quidem, in fragmento nobis ſervato: κατὰ τούτους γίνεταί τις ΕΛΙΟΥΝ (עליון) καλούμενος Ὕψιστος καὶ θήλεια λεγομένη ΒΗΡΟΥΘ (a qua urbs ברותי, *Baruth*, dicta videtur) οἳ καὶ κατοίκουν κατὰ Βίβλον, ἐξ ὧν γεννᾶται Ἐπίγειος, ἢ Αὐτόχθων, ὃν ὕστερον ἐκάλεσαν Οὐρανόν (*). *Eorundem tempore natus eſt aliquis, Eljun vocatus, i. e. Altiſſimus, et femina, Beruth appellata, qui circa Biblum habitarunt, genueruntque Terreſtrem, aut Autochthona, quem deinde Coelum* (**) *vocarunt.* Hic ergo Autochthon Adamus Anacaeorum fuerit, Arba illis dictus, incertum, a quatuor plagis mundi, an a quatuor, quos fabula illi tribuebat, filiis. Ipſe enim ille Sanchoniathonis Autochthon quatuor filios habebat, Ἶλον, (τὸν καὶ Κρόνον) καὶ Βέτυλον, καὶ Δαγὼν, (ὅς ἐστι Σιτὼν) καὶ Ἄτλαντα. *Hilum, qui et Saturnus, et Betylum, et Dagonem, qui et Frumenti praeſes, et Atlantem.* Fabula in hunc usque diem Hebrone viget, Adamum ibi ex terra creatum, atque adeo locum oſtendunt. Hic non Moſaicus Adamus, ſed Autochthon Phoenicum fabuloſus. Vide itinerarium Franciſci Ferdinandi de Troilo, p. 422. 423.

Tere-

(*) Euſebii Praepar. evang. libr. I. c. 10. p. 36. editionis Coloniae anno 1688 factae.

(**) Obiter dico, me ſuſpicari, legendum eſſe, Οὐράνιον, *Coeleſtem*: ſic enim exigere videtur prioris nominis oppoſitio.

Terebinthorum lucum haud procul Hebrone fuiſſe, inque eo Abrahamum habitaſſe, ipſo Moſe auctore novimus, (Geneſ. XIII, 18): nec dubitari de אֵלֹנֵי poteſt, quercusne an terebinthi ſint, cum Joſephi (*) quoque et Hieronymi (**) tempore terebinthus eodem in loco fuerit, ſitque adhuc noſtro (***), ubi antiqui אֵלוֹן habent. Annoſa cum ſit arbor, multa ſecula vivendo vincens, (mille etiam annos durare volunt) veri neutiquam diſſimile, aliquam earum terebinthorum ad quas Abrahamus tentorium habuit, colonia Chetthaeorum multo fuiſſe antiquiorem, ibique repertam, cum primum illam in regionem Chananaei immigrarent: ejusque propago eſt ſine dubio, quae Joſephi tempore fuit, noſtroque adhuc ſupereſt, viſa a *Franciſco Ferdinando de Troilo* (****).

Hoc quoque fabula in majus auxit, ſummam Hebronenſibus rebus omnibus antiquitatem aſſertura: Joſephus de bello Judaico l. IV. c. 9. §. 7. Δείκνυται δὲ ἀπὸ σταδίων ἓξ τοῦ ἄστεος τερέβινθος μεγίστη, καὶ φασὶ, τὸ δένδρον ἀπὸ τῆς κτίσεως μέχρι νῦν διαμένειν, i. e. *monſtratur ſexto ab urbe ſtadio ingens terebinthus, ajuntque, arborem ex creatione mundi in hunc usque diem manere.* Autochthonis, ſeu Adami Phoenicis

(*) l. IV. de bello Judaico c. IX. §. 7. Locum integrum pagina ſequente dabo.

(**) 1 Sam. X, 3. haud procul a ſepulcro Rahelae *terebinthus Thabor* ſtabat: eodemque in loco Hieronymus in commentario ad Jerem. XXXI, 15. *mercatum terebinthi* memorat, in quo Judaei ſub Hadriano venditi ſint, locum ſuo adhuc tempore Judaeis exſecrabilem.

(***) Eodem in loco, in quo אלון תבור tempore Samuelis fuit 1 Sam. X, 3. *terebinthum Mariae* nominant itineratores noſtri, *Troilo* p. 382. Korte p. 93.

(****) *Orientaliſche Reiſebeſchreibung S.* 424.

nicis tempore jam fuiſſe terebinthum, largior: licet mundo coaevam facere, tam recentibus teſtibus, nolim, idque ad anilia ablegem.

Eandem terebinthum, ſeu, ut per errorem vocatur, quercum, ab Ogyge dixerunt, non Hebraei puto, quibus nullus Ogyges, ſed Phoenices. Iterum teſtis Joſephus, qui Geneſ. XIV, 13. והוא יושב באלני ממרא, Antiqu. I, 10, 4. ſic graece expreſſit: Ἄβραμος δὲ κατοίκει μὲν τὴν Ὠγύγην καλουμένην δρῦν. Quod *quercum* vocat, quam ubi ſuus eſt et αὐτόπτης terebinthum vocare ſolet, ex LXX interpretibus, quos ſaepe ſequitur (*), eſt tralatitium: cum enim *Elon* terebinthus ſit, *Allon* quercus, hi אלני defective ſcriptum *Allone* extulerunt, quercumque interpretati ſunt. Pro Hebraico ממרא (*Mamre*) Ogygen ſubſtituit, incertum quem, Cadmine patrem (**) a quo vetuſtiſſima quaeque Graeci Ogygia dicebant, an aliquem Amalecitarum, i. e. Chananaeorum Arabum regem? Quidquid ſit, Ogyges Chananaeum quid prodit, Hebraice אגג ſcribendum: Amalecitarum, i. e. Chananaeorum in Arabia, rex quem Saulus debellavit, אגג vocabatur, voluntque, nomen commune Amalecitarum regibus, ex quibus aliquis, Moſi jam notus, *Agagus* (ſic enim ſecundum puncta maſorethica literas אֲגָג efferunt) potentia et rebus geſtis inclaruerit. Sic certe Bileamus, Num. XXIV, 7. וירום מאגג מלכו, *altior erit rex ejus Agago*, aut, ſi aliis punctis vocalibus efferas, *Ogyge*. Id quidem certum, aliquem aut Moſi aequalem aut ſuperiorem Agagum? an Ogygem? fama

(*) *Orientaliſche Bibliothek* Tom. V. Num. 84. VII. Num. 116.

(**) Vide Svidam T. II. p. 752.

fama ingente fuiſſe, cum Bileamus haec caneret: eſtque forte idem ille Ogyges, qui coloniam Phoenicum in Boeotiam deduxit, Thebis regnavit, filiumque ex ſe genitum, Cadmum, reliquit. Vide omnino *Gürtleri origines mundi* libr. I. c. XV. §. 9. et libr. II. c. XXIX. §. 17-19. Nec huic Ogygi chronologicae rationes obſtant, quin potuerit a Bileamo nominari: ex communi enim computo Jacobo et Eſavo coaevus habetur, ex meo, qui Jacobum inter et templum Salomonis 215 et 112, id eſt 327 annos addit (*), in ipſa Moſis tempora, quibus dux Iſraelitarum in deſerto fuit, aut proxime praecedentia, incidit. Sic recens tum fama Ogygis, exterum regnum fundantis. Sed utcunque ſtatuas, non recentior Bileamo Ogyges, potuitque ab eo exemplum magni regis proponi: arbor etiam vetuſta in luco Mamre a Phoenicibus huic antiquo Ogygi dicari.

Suſpicari interdum coepi, aliquid etiam fabulae antiquae verſioni graecae Geneſ. XXXV, 27. ubi קרית הארבע, πόλις τοῦ πεδίου, q. d. *urbs in planitie vel valle, vertitur, ſubeſſe.* Eſt aliqua circa Hebronem vallis, עמק חברון Geneſ. XXXVII, 14. dicta, ſed eam κοιλάδα τῆς χεβρών vertunt. Quid aut legerint, aut quid ſpectantes ita verterint, alii inquirant; mihi ſufficit, indicaſſe: ante omnia autem plures conferendi codices, iique adcurate de Πεδίου interrogandi; παιδίου enim ſi haberent, alia prorſus exſiſteret ſententia.

* * *

Antequam ad reliqua nomina pergam, adſcribere lubet Joſephi verba, rectius, quam fieri ſolet, diſtincta. Sic ille l. I. Ant. c. VI. §. 2. τῶν δὲ ἄλλων ἑπτὰ, Εὐαίου, Χετταίου, Ἰεβου-

(*) *Orientaliſche Bibliothek* P. IV. p. 177. P. V. p. 81. P. XII. p. 22-40.

Ἰεβουσαίου, Ἀμοῤῥαίου, Γεργεσαίου, Εὐδαίου, Σεινείου, Σαμαραίου, πλὴν τῶν ὀνομάτων ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις, οὐδὲν ἔχομεν: i. e. *reliquorum ſeptem populorum, Evaeorum, Chetthaeorum, Jebuſaeorum, Amorrhaeorum, Gergeſaeorum, Eudaeorum, Sinaeorum, Samaraeorum, nihil nobis ſupereſt, praeter nomina in ſacris literis.* Male alii, commate poſt ὀνομάτων poſito, vertunt, *praeter nomen nihil in ſacris literis exſtat:* ac ſi id vellet, nihil praeter nomen in ſacris literis legi, de ſitu, rebusque geſtis nihil, quod ſecus ſe habere, deinceps videbimus. Septem autem populorum nomina promittens, et octo dans, manifeſte a librariis corruptus eſt Joſephus: Hevaeos (חוי) Eudaeos vocaverat, jam cum Hevaeos librarius deſideraret, notiſſimam ex Chananaeis gentem, adjecit, primoque adeo loco poſuit. Recurremus infra ad hunc Joſephi locum. In eo quidem fallitur, quod Sinaeorum et Samaraeorum nihil ſupereſſe arbitratur, ſed erroris cauſſa in promtu. Extra Palaeſtinam habitabant, geographiae ergo exterae parum peritus Joſephus, in Palaeſtina quaerens, nec inveniens, putabat interiiſſe.

* * *

GENES. X, 16.

ואת היבוסי *et Jebuſaeos.*

Sunt ſine dubio incolae Hieroſolymae, olim Jebus (יבוס) dictae: Jud. XIX, 10. 11. &c. &c.

Ebuſum, inſulam Hiſpaniae, (nunc Yvicam) a Jebuſaeis habitatam fuiſſe, ac nomen accepiſſe, a quibusdam creditum refert Bochartus, Phaleg. l. IV. c. 36. p. 304. Hi quidem erunt, qui literas pro lubitu adjiciunt et addunt, ut etymologiis et ſono vocum ſuperſtruere aliquid hiſto-

hiſtorici commenti poſſint, immemores, Hieroſolymam eſſe mediterraneam, cujus colonias in inſulis Hiſpanicis non ſine teſte quaerere debeas. Ipſe quidem Bochartus commento fidem habuiſſe non videtur, alibi enim Ebuſum inſulam dictam vult a יבש. (Canaan l. I. c. 36. p. 635.) Sed his in geographia etymologiis parum delector, malimque neſcire, unde Ebuſus nomen habeat. Nihil certe ad Jebuſaeos.

* * *

ואת האמרי.

et Amoraeos.

De Amoraeis dixit Bochartus, libr. IV. c. 36. quem legi velim: ſi qua plura habeo, aut diſſentio, hic addo.

Cis Jordanem in montano tractu Judaeae ultimis jam temporibus Amoraeos reperimus, ut circa Chatzatzon Thamar i. e. Engedi, Gen. XIV, 7. circa Hebronem, ubi Mamre tribus Amoraeis accenſetur, Geneſ. XIV, 13. itemque ex relatione exploratorum Num. XIII, 19. Nolim tamen hinc cum Bocharto efficere, has primas fuiſſe Amoraeorum ſedes, quas potius ultra Jordanem ſtatuerim, ubi frequens Amoraeorum mentio, nec mentio modo, ſed et deſcribuntur ut populus, quem bello non adgreſſuri, ut caeteros Chanaane prognatos, Iſraelitae erant, ſed in avitis ſedibus relicturi, modo tranſitum praebuiſſent. Vide Num. XXI, 13. 21-32. Deuteron. I, 4. (*) II, 24-37. III, 8. Joſ. IX, 10. Eadem in vicinia etiam poſt Moſen et Joſuam Amoraei non ſuperfuerunt modo, ſed et fines quodammodo

(*) Non imprudens omiſi hic verſum 7. 26. 43. quippe qui mihi videntur ad Amoraeos in montano tractu Judaeae referendi eſſe.

do clausos habuerunt Judic. I, 36. Ergo duo regna Amoraeorum transjordanensium devicerat Moses, alios pacatos Amoraeos eo in tractu relinquens, nec illis bellum inferens, quod regionum, quae ab Oriente Jordanis erant, nihil ut suum appeteret.

Amoraeorum quoque nomen latius patere, et nonnunquam pro Chananaeis universim poni videtur. Certe Sichemitae, qui proprie Hevaei erant (*), Amoraei vocantur Genes. XLVIII, 22. Vide quoque Genes. XV, 16. (quem locum recte ad universam Chananaeorum gentem retulit Relandus) 2 Sam. XXI, 2. ubi Gibeonitae, qui Hevaei erant, reliquiis Amoraeorum adnumerantur, forte et Deuteron. I, 19. 20. Thalmudici, ubi aliquid, e. g. mortuos comburere, ritus esse dicunt Amoraei, nomen hoc latiore sensu sumere videntur.

* * *

ואת הגרגשי *et Gergesenos*.

Hanc gentem ab Occidente Jordanis habitasse ex Josuae XXI, 11. constat. Josephus loco supra citato inter illas numerat, quarum nihil supersit, praeter nomen in sacris literis, cui hic eo magis fidem habendam puto, quod nullam Palaestinae partem Galilaea melius cognitam habuit: ergo id certum ad lacum Tiberiae ejus tempore Gergesenos non habitasse. Utrumque eo pertinet, ut Gergeseni, qui nunc in evangeliis leguntur, (**) non ab ipsorum auctorum manu sint, sed ex correctione Origenis nati. Sed ea de re alibi dictum (***). Nec melior est conjectura

(*) Genes. XXXIV, 2.

(**) Matth. VIII, 28. Marc. V, 1. Luc. VIII, 26.

(***) *Einleitung in das N. T.* §. 102. p. 641-644. editionis tertiae.

ctura Bocharti (p. 304. ſeu Phaleg. libr. IV. c. 36.) Circeſium ad Euphratem eos condidiſſe. Nomen urbis, ut literis Hebraicis ſcribitur, כרכמיש et כרכמוש, nihil habet cum גרגשי commune, videturque potius a Camoſo, Deo, ductum.

* * *

V. 17.

ואת החוי *et Hevaeos.*

Frequens eorum mentio. Joſuae XI, 3. ſub ipſis radicibus Hermonis habitaſſe dicuntur; Judicumque III, 3. in Libano, i. e. in vallibus ei ſubjectis: niſi forte poſt victorias Israelitarum in ipſum Libanum fugerunt, ſilvas et ſpecus pro aſylo habituri. Sed et alibi per maculas habitabant, ut Sichemi Geneſ. XXXIV, 2. Gibeae Joſ. IX, 7. XI, 19.

Hevaeorum et Choraeorum, i. e. troglodytarum nomina, ob ſimilitudinem literarum (חוי et חרי) nonnunquam a librariis permutata eſſe, ut Geneſ. XXXIV, 2. ubi pro חוי LXX habeant, ὁ χοῤῥαῖος, inque genealogia Edomitarum Geneſ. XXXVI, 2. pro חוי reſcribendum eſſe, חרי, alibi copioſius dictum (*). Similis error hic quoque in eo Moſis exemplo commiſſus videtur, quod hiſtoriam ſcribenti Joſepho ad manus fuit: Hevitarum enim loco Εὐδαίους nominat, i. e. Hebraice חודי, Reſch in Daleth mutato. Ex Joſepho ſuum, Εὐδαῖος, ὄνομα κύριον, ſumſit Svidas, ſed nihil praeterea de Eudaeis inveniens.

Thar-

(*) In commentatione de Troglodytis Seiritis §. 3.

Ex crebra confuſione factum videtur, ut et חָוִי Rabbini Troglodytam interpretarentur, fingentes, nomen a ſerpentibus ductum, qui foramina ſubterranea quaerant. Quidquid ſit, his חוי et חֹרִי unus idemque.

Thargum Hierosolymitanum, Hevaeos interpretans Tripolitanos, recte repudiavit Bochartus p. 305. His, quae contra Chaldaeum adfert, indubitabilius etiam addi argumentum potest. Tripolis inde nomen habuit, quod ex tribus esset urbibus composita, quarum quaeque sua moenia habebat, eratque Sidoniorum una, altera Tyriorum, Aradiorum tertia. (Vide Cellarium T. II. p. 376.) Ex hac ipsa urbis origine certum, non potuisse a Mose commemorari, qui diu ante conditam Tyrum vixit, deinde, non esse ex primis coloniis Phoenicum, sed coloniam ex coloniis deductam.

* * *

ואת הערקי

et Arcaeos, seu, *Arucaeos*.

Primo de nomine, ejusque orthographia dicendum. ערקי habet textus Hebraicus, idque et Graeco et Arabico urbis nomini, Ἄρκη, عرقة concinit: at ערוקה est in textu Samaritano, nec minus in versione, eique consone LXX τὸν Ἀρουκαῖον habent. Josephus utrarumque quodammodo partium, nomen enim conditoris, quem putabat, Ἀρουκαῖος, urbis Ἄρκη scripsit. Mihi neutra scriptio damnanda videtur, atque urbs olim utroque modo appellata (*), licet *Aruca* deinde in desvetudinem abierit. Certe vix video, quomodo lectio ערוקי, contraria appellationi nominis Graecae et Arabicae, in LXX, Josephum, et textum Samaritanum irrepere potuerit, si Moses ערקי scripserat:

inque

(*) Sic et infra videbimus, quae Graecis est *Aradus*, Mosi esse ארוד cum Vau.

inque nominibus propriis Phoenicum aliquid fidei Samaritanis, ortu Sidoniis, habendum exiſtimem.

Arcen, vel *Arcas*, haud procul Tripoli, deſignari, jam vidit Joſephus, eumque ſequutus Hieronymus. Verba ſunt Joſephi, Ἀρουκαῖος δὲ ἔκτισεν Ἄρκην, τὴν ἐν τῷ Λιβάνῳ: Hieronymi, *Aracaeus, qui Arcas condidit, oppidum contra Tripolim, in radicibus Libani ſitum.* Concinit orthographia Arabica, metuque erroris nos liberat, عرقة. Urbem ex Graecis Latinisque deſcripſit Cellarius T. II. p. 457. locumque ei in delineatione Syriae haud procul Tripoli verſus ſeptentrionem aſſignavit. Huic contradicere videtur Abulfeda, ut eſt a Conſultiſſimo Koelero latine redditus, in cujus tabulis Syriae p. 114. haec latina leguntur; *Tripoli auſtralior eſt duodecim milliaribus.* Verum nullius erroris arguendus Cellarius, namque et αὐτόπτης Pocokius Arcam a ſeptentrione Tripolis habet; ſed Koelerus Arabica, quodammodo ambigua, aliter vertit, quam Abulfeda ea intelligi volebat. Ipſa Abulfedae verba adſcribere liceat, ex quibus et alia de urbe diſci poſſunt, latinamque verſionem addere: عِرْقة بلدة صغيرة ذات قلعة صغيرة ولها بساتين ونهر صغير قال في العزيزي ومن اعمال دمشق مدينة عرقة وهي اخر عملها من حدّ الشمال علي ساحل البحر وبين عرقة وبين طرابلس علي سمت الجنوب اثني عشر ميلا وبين عرقة وبين بعلبك ستة وستون ميلا وهي عن البحر علي نحو من فرسخ *Arca* (vel Erca) *oppidum parvum eſt, caſtellum parvum habens, hortos, et fluvium parvum. Azizi civitatem* (non oppidum: major ergo ea aetate fuerat) *dicit eſſe ex ditione Damaſci, et quidem hujus ditionis extremam verſus ſeptentrionem, ad litus maris. Arcam inter et Tripolim ſunt* 12 *milliaria* (Arabica, $2\frac{1}{2}$ germanica) *interque Arcam*

cam et Baalbec 66 milliaria (15 Germanica) *Parasangae spatio abest a mari.* Parasangam milliari gallico majori proximam esse sciant lectores. XXII parasangae in uno gradu sunt. Caeterum notae celeberrimi Koeleri, Abulfedae adjectae, lectu sunt dignissimae.

Rudera urbis magnifica, situmque amoenissimum, αὐτόπτης descripsit Shawius, T. II. p. 270. (versionis germanicae p. 234. 235.)

Rivuli exigui mentionem facit Abulfeda: hunc et Breidenbachius (col. 47. 48. itinerarii) et Pocokius, αὐτόπται, memorant, urbis nomine fluvium quoque Arcam vocantes. Vide hunc T. II. itinerarii, p. 205. (vers. germ. 298.) Estne hic fluvius Sabbaticus Josephi, quem Arcaeam inter et Raphaneam Vespasiano monstratum refert, ut mirum memorans, solo sabbato fluere, reliquis diebus siccum. Verba sunt, l. VII. de Bello Jud. c. 5. §. 1. θεᾶται κατὰ τὴν πορεῖαν ποταμοῦ φύσιν, ἀξίαν ἱστορηθῆναι. Ῥεῖ μὲν γὰρ μέσος Ἀρκαίας, τῆς Ἀγρίππου βασιλείας, καὶ Ῥαφαναίας, ἔχει δὲ θαυμαστὴν ἰδιότητα. Πολὺς γὰρ ὢν, ὅτε ῥεῖ, καὶ κατὰ τὴν φορὰν οὐ σχολαῖος, ἔπειτα δὲ πᾶς ἐκ τῶν πηγῶν ἐκλείπων ἓξ ἡμερῶν ἀριθμὸν, ξηρὸν παραδίδωσιν ὁρᾶν τὸν τόπον· εἶθ᾽ ὥσπερ οὐδεμιᾶς γενομένης μεταβολῆς, ὅμοιος κατὰ τὴν ἑβδόμην ἡμέραν ἐκδίδωσι, καὶ ταύτην ἀεὶ τὴν τάξιν ἀκριβῶς τετήρηται διαφυλάττων· ὅθεν δὴ καὶ Σαββατικὸν αὐτὸν κεκλήκασι, ἀπὸ τῆς ἱερᾶς τῶν Ἰουδαίων ἑβδομάδος οὕτως ὀνομάσαντες: i. e. *spectat* (Vespasianus) *in itinere fluvium, cujus natura digna est relatu. Fluit ille medius inter Arcaeam, quae est ex Agrippae regno, et Raphaneam, habetque mirabile quid sibi proprium. Copiosus enim cum sit, quando fluit, nec cursu segnis, per sex dies* (*) *inde a fonte deficiens fun-*

(*) Fuerunt, qui hic corrigendum putarent Josephum, atque omnia invertenda, quod codicum editionumque lectio Plinio et Rabbinis contradicat. Nempe

fundum ſiccum ſpectandum praebet. Deinde, ac ſi nihil ei accidiſſet, ſeptimo die ſui ſimilis fluit. Atque hunc ordinem exacte ſemper ab eo ſervari obſervatum eſt: unde et Sabbaticum eum appellant, a ſeptimo die, Judaeis ſacro, nomen illi ducentes. Equidem facile credo Joſepho, bono auctori, itinerisque comiti, Titum Veſpaſianum, ut multas alias praeſtigias, ſic has quoque, vidiſſe, credidiſſe et adſtupuiſſe, virum, mirabilibus valde delectatum, cui in Aegypto perſvaſerunt, ipſum miracula patrare, parata ad omnia obſequia adulatione, miraculisque fallente falli geſtientem. Fraudem autem ſubfuiſſe, quis dubitet, cum noſtro tempore miraculum expalluerit, fluviusque Arcae, amiſſo etiam Sabbitici nomine, omnibus hebdomadum diebus ſui fluat ſimilis? Nec fraudem Judaeorum adcuſaverim, quorum in poteſtate illo tempore vix erat, ejusmodi creare praeſtigias, ſed aut Phoenicum accolarum, Phoenices enim Saturnum maxime omnium deorum colebant, cui ſeptimus hebdomadum dies ſacer, aut Arabum ab Abrahamo oriundorum, Ituraeorum, ſimiliumve, montana habitantium. In montium receſſibus oritur rivus, ut Pocokius tradit; facile, aquam obicibus objectis per ſex dies arcere, ſeptimoque die apertis catarrhactis emittere, copioſe ſic et

Nempe Plinius libr. XXXI. §. 18. p. 350. lin. 7. *in Judaea*, inquit, *rivus ſabbatis omnibus ſiccatur.* Mira criſis. Ergone Joſephum, ubi ipſe itineris comes refert, quae Titus Veſpaſianus ſuis oculis in itinere viderat, ex Plinio corrigas, compilatore narrationum ſine auctore, atque in hoc ipſo loco manifeſti erroris convicto, cum dicat fluvium in Judaea eſſe? aut tam omnem ſenſum veri ac falſi perdideris, ut Rabbinos neſcio quarum terrarum, mendaciis imbutos, Joſepho opponas? Ergo Joſephus ſcripſerit, quae ſcripſit, eritque miraculum ex arte impoſtorum multo explicatu facilius, quam ſumto contrario.

et rapide volvendam. Eas regiones qui adeunt, veſtigia fraudis fortaſſis adhuc invenient, quae quaerere nemini adhuc in mentem venit.

Eadem de Arca Joſephum intelligo, Ant. VIII, 2, 3. pro Hebraicis בענא בן חושי באשר ובעלות (*Baena filius Chuſchai praefectus erat in Aſcher et Aloth*, 1 Reg. IV, 16.) haec Graeca ponentem, τὴν δὲ περὶ Ἄκρην παραλίαν εἶχε Βαανακάτης. Video, Spanhemium hic diſtinguere *Arcam ad Libanum*, — — et, *Arcam maritimam*, ſed cauſſam diſtinguendi nullam reperio, cum quae ad radices Libani ſita eſt Arca, mari tam ſit vicina, una modo paraſanga, id eſt, ne milliari quidem Germanico integro, ab eo remota. Adde, ne Joſephum quidem Arcam dicere maritimam, ſed de maritima circa Arcam regione loqui. Rectene Hebraica interpretatus ſit, jam non inquiro, ſed quid ſpectarit facile aſſequor. Praefuiſſe credebat Baenam (rectene, an ſecus? hic non inquiro) *Baalathae* i. e. urbi *Baalbec*, quae ſine dubio ſub Salomonis ditione fuit, ב in בעלות pro radicali habens, tribuique Aſcher: jam cum haec tribus mari vicinas ſedes habuerit, et e regione Baalbecae (Heliopolis) ad mare mediterraneum Arca ſita ſit, urbs, quam ipſe Joſephus, Veſpaſiani tum in itinere comes, adiit, hunc omnem tractum maritimum Arcam usque Aſcheritidi asſignavit.

In nummo aliquo, Phoeniciis literis inſcripto, nomen ſe hujus urbis inveniſſe putabat Swintonus, ſic quidem ſcriptum, ערך: qua in opinione cur ab eo diſſentiam, copioſius expoſui in bibliotheca Orientali T. VI. p. 99-102. Primum enim, Arcae nomen non ערך eſt, ſed Hebraice et Arabice (quarum linguarum nimis imperitus erat doctiſſimus alioquin et aeternum ſuperſtes Swintonus) ערק vel

vel ערקה, per Kuph; deinde in illo nummo ne legitur quidem ערך, ſed ערג, idque nomen navis *Argo* exiſtimo, navigium enim in nummo expreſſum, quod nihil ad urbem integra paraſanga a mari remotam. Sed haec in bibliotheca Orientali legi velim, non hic cum argumentis, ac philologumenis de *Argo*, vocabulo Phoenicio, repetere.

* * *

ואת הסיני *et Sinaeos.*

Quamquam parum ad interpretationem intereſt, diſſimulare tamen ſuſpicionem non poſſum, Moſen הסני ſine Jod inter Samech et Nun ſcripſiſſe, idque adpellandum, הַסְּנִי, Jod autem eo more ut matrem lectionis additum, quem in bibliotheca Orientali aliquoties e codicibus enotavi (*). Primi hanc mihi ſuſpicionem injecerant LXX, Ἀσενναῖον habentes, videbaturque nomen urbis, de qua deinde dicam, ut a Strabone ſcriptum eſt, Σιννᾶς, conſentire: nec tamen illud ſecuti LXX, ignoratione verorum Sennaeorum He quoque praefixum pro parte nominis habentes, et loco Sinnaeorum Aſennaeos dantes. Haec dubitanti jam ſubvenit editio Kennicotti, qui in quinque codicibus, neſcio adhuc quibus? ſolis enim numeris 5, 18, 168, 251, 256. indicavit, eorumque explicationem nondum dedit, הסני ſine Jod mediano repertum fuiſſe teſtatur. Conſvetae tamen lectioni concinit Joſephus, Σειναῖον habens, aliique veterum, qui nomen non interpretantur, ſed iisdem literis exprimunt. Si teneri poſſet ſcriptio ſine Jod, forte eo pertineret, ut סנים Chananaeos a סינים Aegyptiis,

(*) T. II. p. 237. 238. XI. p. 110. XII, 109. XIII. 210.

gyptiis, de quibus infra dicetur, ipſa etiam ſcriptione nominis diſtinguere detur. Sed hoc utcunque ſit: primo de Sinaeis Chanaanis poſteris agemus, deinde et ad urbem aut populum Aegypti cognominem pergemus, quod utrosque Bochartus confudit, nec poteſt recte ſive horum ſive illorum ratio reddi, niſi quaeſtione conjuncta.

De Sinaeis Chananaeis veriſſimam jam dudum dixiſſe ſententiam videtur Hieronymus in Quaeſtionibus in Geneſin ad hunc locum: *a quo* (Libano) *haud procul alia civitas fuit, nomine* SINI, *quae poſtea vario eventu ſubverſa bellorum nomen tantummodo loco priſtinum reſervavit.* Ergo id quidem negari nequit, Hieronymi adhuc tempore nomen *Sin* in ruderibus antiquae urbis, aut adeo vicinis campis haeſiſſe: unde nec debebant Sinaei a Joſepho ad hos referri, quorum nomen in ſolis ſervatum eſt ſacris literis, quamquam illi venia danda, geographiae Syriae non ſatis perito, Sinaeosque in Palaeſtina quaerenti), et vix ignoſcendum Bocharto, quique eum ſequuti ſunt, quod etymologiarum captatores, earumque luſus factis hiſtoricis praeferentes, verum ab Hieronymo pridem dictum aut neglexerunt aut repudiarunt; a quo etymologico morbo immunis ſi fuiſſet vir magnus, multis erroribus in geographiam invectis, tanti nominis auctoritate commendatis et propalatis, careremus.

Multo ſapientior Marshamus, ejusque aſſecla, Clericus, Hieronymo viam monſtrante de *Sinna* Strabonis in Libano cogitarunt. Integra Strabonis verba ex libro XVI. p. 788. (al. 1096.) exſcribam: *Τά μεν ὀρεινὰ (Λιβάνου) ἔχουσι πάντα Ἰτουραῖοί τε καὶ Ἄραβες, κακοῦργοι πάντες· οἱ δὲ ἐν τοῖς πεδίοις γεωργοὶ, κακούμενοι δὲ ὑπ᾽ ἐκείνων ἄλλοτε ἄλλης βοηθείας δέονται. Ὁρμητηρίοις δὲ ἐρυμνοῖς χρῶνται, καθάπερ οἱ τὸν Λίβανον ἔχον-*

ἔχοντες, ἄνω μεν ἐν τῷ ὄρει Σιννᾶν καὶ Βόῤῥαμα καὶ ἄλλα τινὰ τοιαῦτα ἔχουσι τείχη, κάτω δὲ Βόστρα καὶ Γίγαρτον, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς θαλάσσης σπήλαια, καὶ τὸ ἐπὶ του Θεοῦ προσώπῳ Φρούριον ἐπιτεθὲν, ἃ κατέσπασε Πομπήιος i. e. *Montanam regionem* (Libanum) *Ituraei et Arabes habent, latrones universi: qui vero valles habitant, agros colunt, atque ab illis vexati saepe alieno indigent auxilio. Castellis munitis utuntur, ut illi, qui Libanum habitant: superne quidem in monte* SINNAM *et Borrama et alia habent munimenta, infra autem Bostra, Gigartum, specusque ad mare, et castellum promontorio Dei Facies impositum; quae omnia destruxit Pompejus.* Ergo Hieronymi tempore haec Sinna vel Senna jam diu destructa jacebat, seu, ut ipse ait, *vario eventu subversa erat bellorum.* In ipso monte sitam dicit Strabo, haud procul a Libano Hieronymus: hic aut alteruter errare potuerit, aut, quod potius reor, uterque verum dicere, urbe ad radices Libani, castello in ipso monte sito. Nec tamen plane, ut videri possit, interiit, sed generosissimus Breidenbachius vicum adhuc ejus nominis seculo XV in itinere vidit. Sic ille p. 47. *von dem Floss Archas nicht eyn halb Myl ist eyn Flek, Syn genannt.* (*Non integro dimidio milliari a fluvio Arca pagus nomine Syn*) — — — *Daselber ist eyn grosz weyd Ebene, fruchtbar und lustlich, gegen dem Schloss Crach, das etwan der Johanniter was, und ist dieselb Ebene wol VI Myl lang, und VI Myl breydt. Sie streken sich bis zu der Stadt Antarandum, die ytzt Tortosa heisst.* (*Magna ibi planities, fertilis et amoena, versus castellum Crach, quod olim Johannitici Ordinis fuit. Haec planities VI milliarium longitudine, totidemque latitudine, Antaradum usque, cui nunc Tortosae nomen est, exporrigitur.*) Pergit deinde in fertilitate, et amoenitate regionis, multis rivis rigatae, describenda, sed haec nihil ad nos. Castellum

Crach, (quod ipſum nomen proprium caſtellum ſignificat) caſtellum Sin eſſe videtur, in monte ſitum, olim Pompeji tempore accolarum receptaculum, a Pompejo vaſtatum; urbs in valle.

Rivum quoque aliquem eodem nomine, ſed multo magis verſus ſeptentrionem remotum, haud procul Gibla vidit Pocokius, T. II. p. 199. (verſ. german. p. 289.) nec obſtrepo, quin ad eosdem Sinaeos pertinuerit, qui certe non uno in puncto terrae habitarunt.

Aliqui ex interpretibus medii aevi, re concordes et verum videntes, cum nomen Sinae obſcurum et ignobile eſſet, aliud vicinae urbis ſubſtituerunt, Tripolis hi, illi Orthoſiae, non quidem exacte vere, ſed ut nomina ex geographia recentiore nota pro antiquis oblivione deletis ponimus. Arabs Polyglottorum cum hic, tum 1 Paral. I, Tripolitanos (الطرابلسيين) habet, errans ſine dubio, ſi urbem ipſam, multo recentiorem, a Moſe nominari credidit, ſed venia dignus, ſi regionem maluit a Tripoli, urbe ſui temporis nobili, quam a Senna, lectoribus tantum non omnibus ignota, deſcribere: Chaldaeus chronicorum interpres אנתוסאי, uniusque literae mutatione Pſeudojonathan, אנטוסאי habet, male forte uterque deſcriptus, et de Orthoſia (ארתוסיא) loquens, exiguo intervallo a ſeptentrione Arcae ſita.

Proximus hic vero, inque eo ſolo errans, quod de Arethuſa cogitat, Beckius, in notis ad Thargum chronicorum, dignus, cujus verba deſcribamus, nobis quoque prima ad Orthoſiam inveſtigandam indicia. *Rabbini antiqui in Gloſſa Magna hic interpretantur*, ארתוסייה, *hoc eſt*, *Arethu-*

Arethusa, quae Syriae urbs fuit. — — *Hinc* ארתוסאי *rescribendum foret, sunt enim literae Hebraeorum* נ *et* ר *facile permutabiles.* Mirum, quod de ipsa Orthosia non cogitabat, cujus nomen ex Rabbinis, omnibus quibus scribi debet literis expresserat.

Haec vera, et antiquis interpretibus perspecta, obsoleverunt pene unius culpa Bocharti, qui quam leviter et festinanter de his omnibus retulerit, solis suis etymologiis serviens, ac prope dissimulans, quae alii geographice vera dixerant, non sine indignatione videbunt lectores, magni viri, sed etymologiis nimis dediti, Phaleg. l. IV. c. 36. p. 506. evolventes.

Hic quidem nostros Sinaeos, Phoenices ortu, cum Sinaeis Aegypti eosdem putans, a Jesaia (*) et Ezechiele (**) commemoratis, (eodem quidem ille jure, quo geographiam Bocharti more tractans, *Halam* Magdeburgicam et *Halam* Svevorum, aut *Vienne* Austriae et *Vienne* Galliae, pro una eademque urbe habeat) hosque ex solo etymo, nullo certo teste antiquo, pro Pelusiotis habens, commentus est, Sinaeos nostros Pelusii, urbis Aegypti, incolas esse. Verba ipsa adscribo, ne injuriam tanto viro facere videar: *ego Sinaeorum nomine Pelusiotas intelligo, quorum urbs cur Sin a Syris dicatur, et* Πηλούσιον *a Graecis, jam diximus, ubi de Pathrusaeis. De his Sinaeis agitur Jes.* 49, 13. Fac, id verissime dici de Sinaeis Aegypti, quo jure ad Sinaeos Chanaanis posteros transferetur? maxime, cum *Senna* Phoenicum proxime ab Arca demonstrari certo possit? Fac, Pelusium aliquando ad Palaestinam pertinuisse, (quamquam id certis argumentis demonstrari nequit, sed Raphia

(*) Jes. XLIX, 12. (**) Ezech. XXX, 15. 16.

Raphia Aegypti et Palaestinae terminus habetur; ipsa adeo Aegyptia, ut ne nomen quidem in sacris literis legatur) incolae tamen urbis Phoenices non fuerunt: atque si justo liberalior des, fuisse, hic tamen in vicinia Libani versatur Moses, a qua non statim in Aegyptum, Arca Pelusium, transsilire putandus est, sed potius a vicina Arca ad vicinam in Libano Sennam pergere.

Haec suffecerint non nimis credulo, ut eum a recepta opinione dimoveant; sed quia nimis inolevit error a Bocharto tralatitius, hoc unum, quod alias in re manifesta superfluum videri posset, addo. Est in Arabia desertum סין (*Sin*) Exod. XVI, 1. XVII, 1. Num. XXXIII, 11. 12. est mons סיני (*Sinai*): hoc desertum, hunc montem, cum Sinaeis Chanaane oriundis non attribueret Bochartus, licet sonus nominum conveniret, quid erat, cur Sin Aegypti patriam Sinaeorum Chananaeorum faceret?

Sed confusio diversissimarum urbium, et error, inde a Bocharto omnes prope tenens, quod post illum paucis geographiae peritis ad sacrum codicem accedentibus plerique implicitam fidem uni magno viro debebant et offerebant, admonet me, hic et de Sin Aegypti agere, quaestione divisa, ac dispicere, sitne Sin Aegypti Pelusium?

* * *

De סין *et* סינים *Aegypti Jes. XLIX,* 12. *Ezech. XXX,* 15. 16. *Syene.*

Aliqua Sinaeorum regio, valde, ut videtur, a Palaestina remota, ex qua proselyti exspectandi, a Jesaia commemoratur, c. XLIX, 12. *ecce hi e longinquo venient, ecce illi a septentrione et occidente, et isti e terra Sinim.* Consentiunt

tiunt fere omnes, advenas ſecundum quatuor plagas mundi diſpeſci, occupatoque Septentrione et Occidente terrae Sinaeorum non niſi Orientem et Auſtrum relinqui, quas inter plagas interpretes ambigunt, his Auſtrum, illis Orientem, ultimamque adeo Aſiae Sinam optantibus. De Sina Chananaea, quae et borealis eſt et Palaeſtinae proxima, omnis abdicanda cogitatio.

Sin, urbs ſine dubio Aegypti, ab Ezechiele c. XXX, 15. 16. bis memoratur, his, ſi lectionem conſvetam ſequamur, verbis: *effundam iram meam ſuper SIN, fortalitium Aegypti, et exſcindam multitudinem Diospolis*, (Thebarum Aegyptiarum): *dabo ignem in Aegypto, qui per omnes ejus regiones, ad SIN usque, tranſibit, et Diospolis expugnabitur.* Hunc locum ſi Jeſaiae compares, facilis erit inter Orientem et Auſtrum optio, Auſtralemque ſeu Aegyptiam eſſe vix negaveris terram Sinaeorum.

Haec ſola qui legerit, non poterit non repudiare commenta recentiorum, qui nominis Chinae ſeu Sinae ex geographia memores, ſtatim illud arripuerunt, locoque Jeſaiae aptarunt, converſionem Sinenſium ad chriſtianam fidem ex oraculo ſperantes. Quamquam ne nomen quidem Chinae his literis ſcribunt Orientales, ſed ܨܝܢ, صين, جين, et omiſſo per errorem puncto diacritico, حين (qui error eo pertinuit, ut nos quoque, in geographia extremae Aſiae Arabum olim diſcipuli, *Chinam* pro *Dzina* dicamus) eſtque veri diſſimillimum, Chinae vel nomen Jeſaiae jam tempore Hebraeis notum fuiſſe. Qui primi eam terra adierunt, Syri, non Sinam, ſed Catajam (ܟܛܐ) initio vo-

E

caſſe

caſſe videntur (*), licet deinde et Sinae (صين) nomen receperint.

Quae de Auſtrali plaga praeferenda diximus, obſtant et Perſiae, de qua in Jeſaia LXX, eorumque ſequax Arabs, cogitarunt, non abnuente Hieronymo. *Si autem*, inquit, *Sinim, ut LXX transtulerunt, Perſas intelligimus, qui ad Orientem ſiti ſunt, illud, quod ſupra dicitur, ecce iſti de longo venient, ad Auſtrum referre poterimus.* Fac etiam, in Oriente Sinaeos quaerendos eſſe, Perſae certe non erunt, qui nunquam hoc vel ſimili nomine appellati ſunt. Mirum, graecum Jeſaiae interpretem hic errare potuiſſe, nec idem vidiſſe, quod interpres Ezechielis: eſt enim plerumque, indoctus licet aliarum rerum, geographiae tamen Aegyptiae, ſibique patriae, doctior.

Terram Auſtralem (ארע דרומא) late interpretatus eſt Chaldaeus in Jeſaia: nihil erroris admittens, ſed parum definiens. Sic et Vulgata, *et iſti de terra Auſtrali*, cujus verſionis rationem Hieronymus in commentario hanc reddit: *quatuor plagas orbis oſtendit, Orientem et Septentrionem, Occidentem et Meridiem. Pro Oriente*, longe, *poſuit, pro Auſtrali plaga in Hebraeo legitur SENIM, quod LXX, Perſarum, interpretati ſunt. Caeteri ita, ut in Hebraeo legitur, expreſſerunt SENIM, quod nos interpretati ſumus, ab Auſtrali: illud ſuſpicantes, quod mons Sinai ab Auſtrali parte poſitus ſit, juxta Abacuc prophetam: Deus ab Auſtro veniet, et Sanctus de monte Pharan, umbroſo et condenſo.* Hanc interpretationem vix quisquam comprobaverit, nec crediderit, ex deſerto Sinai, nimis etiam propinquo, advenas promittere Jeſaiam. Miror, Hieronymo Sinae Ezechielis in mentem non veniſſe.

At

(*) Vide Tom. I. p. 113.

At idem Hieronymus, tam dubius ac fluctuans, dum Ezechielem interpretatur facem Bocharto praetulit ad errorem inveniendum, quem plerique poſt Bochartum ſuum fecerunt. Habebat ibi Vulgata verſu 15 SAIN ex LXX ſumtam: hanc, ne quaerens quidem ſitne aliqua Aegypti Sais, ex conjectura Peluſium interpretatur. Sic ille: *ſuper Sain, quam nos in Peluſium vertimus, et robur adpellatur Aegypti, eo quod portum habeat tutiſſimum, et negotiationes maris ibi vel maxime exerceantur. Unde et poetae Peluſiacam adpellant lentem, non, quod ibi genus hoc leguminis gignatur vel maxime, ſed quod ex Thebaide et omni Aegypto per rivum Nili illuc plurimum deferatur.* Haec a viro docto et magno, ſed nimis feſtinante, effuſa potius quam ſcripta putem: ſolebat enim ſuos commentarios dictare. Ipſa ea, quae de Peluſii portu tutiſſimo habet, geographiae non ſunt conſentanea, niſi forte portum, qui ſine periculo navigantium adiri nequit, tutiſſimum dicas.

Hunc auctorem ſententiae citans Bochartus, l. IV. c. 27. p. 265. *Sin* Peluſium eſſe ſtatuit, aliisque perſvaſit. Addit etymon, veri (fateor) ſimillimum, Peluſium a luto (ἀπὸ τοῦ πηλοῦ) nomen accepiſſe, quod lutoſum eſſet et paludoſum ſolum; סין Chaldaeis lutum eſſe, adeoque nomen graecum Chaldaice redditum, ut Arabes ſimili interpretatione urbem طينه (*Tine*) vocent. Sed quae arx cauſſae eſt, Sin Ezechieli dicitur fortalitium Aegypti, id quod Peluſio, fortalitio contra Syriam ac clauſtris totius Aegypti eximie aptum eſſe non diſſimulo. Addit, a Jeſaia, reliquis mundi plagis occupatis, ſolum Sinaeis Auſtrum relinqui, Vulgatumque, ut diximus, et Jonathanem, *terram Auſtri* vertere.

Haec jam ſingillatim pertractemus, videamusque, quid in quoque argumento ſit roboris.

1) In Hieronymi ſententia nihil reſidet auctoritatis: ipſe enim ſibi contradicit, ac fluctuat, nec certo nominis indicio interpretatus eſt, nec audierat Peluſium ſive a Palaeſtinenſibus ſive ab Aegyptiis *Sin* vocari, ſed ſola nititur conjectura: nec *Sin*, ſed *Sain* ex LXX arreptam, hanc quidem manifeſto errore, Peluſium facit.

2) Etymon veriſimillimum dixi, et pauca certe aeque veriſimilia ac facilia Bochartus tentavit. Sunt tamen in geographia et hiſtoria valde lubrica argumenta etymologica: omnisque adeo, non vis modo argumenti, ſed et veri ſpecies perit, ſi SIN nomen Aegyptium urbis ſit, quo ab indigenis vocabatur (*), id enim ex lingua Chaldaica derivari non poterit.

3) Munimentum inſigne Peluſium fateor, ſed plura habuit Aegyptus munimenta atque adeo clauſtra, ex quibus unum, Syene, nomine etiam cum *Sin* concinit.

4) Ab

(*) Miratus erat doctiſſimus et amiciſſimus Forſterus, p. 33. literarum ad me datarum, (quas ut partem libri meo adjungi Spicilegio velim) quid eſſet, cur conſenſum plurium linguarum in Peluſio a luto denominando adſpernarer: dumque mihi perſvadere voluit Bochartianam ſententiam, novam adeo dubitandi cauſſam attulit. Aegyptium Peluſii nomen, ipſum quoque a luto ductum, inveniſſe ſibi videtur apud Hieronymum, T. IV. editionis Benedictinae p. 84. *quinto die venit Peluſium, viſitatisque fratribus, qui in vicina eremo erant, et in loco, qui dicitur Lychnos, morabantur.* Hoc ergo nomen refert ad Copticum *Loichinoueh*, Luti habitatio, favetque derivationi lectio varia, a Benedictinis margini adſcripta, *Lichognos*. Hoc vero ſi nomen eſt, non monaſterii, ſed Peluſii, certum jam habemus, Peluſii nomen Aegyptium non fuiſſe SIN: ſolent autem urbes Aegyptiac plerumque ſuis nominibus in ſacris literis vocari, raro illa Hebraice verti.

4) Ab Auſtro Palaeſtinae quaerendos Sinaeos fateor, ſed non ideo ſtatim סין Peluſium. Pene dixerim, hanc ipſam ob cauſſam Peluſium eſſe non poſſe: eſt enim Peluſium non ab Auſtro, ſed ab Occidente Palaeſtinae, et propria maxime vocabuli ſignificatione מִיָּם *a mari.*

5) Nil de Peluſio habet Jonathan, Vulgatae autem illud, *terra Auſtri*, ne poteſt quidem de Peluſio accipi, cum ipſe Hieronymus in commentario moneat, ſe terram Auſtri interpretantem montem Sinai ejusque vicina intelligere.

Sic ſatis concidit geographia ſine teſte, praeter conjecturam et etymologiam nihil habens. Sed ſunt etiam, quae contra Peluſium faciunt. Omitto, quod jam dixi, urbem eſſe Judaeae occidentalem. Gravius, quod eſt proxima et vicina: Jeſaiam enim legens, quis non videt, in eo eſſe prophetam, ut ex remotiſſimis terris novos Sioni advenas ac cives promittat? Langueret ſane, pro Aegypto poſitum nomen urbis Palaeſtinae proximae, ubi longinqua exſpectas. Quin Chasmonaeos, Pathruſaeos, aliosque intimae Aegypti populos nominat? aut, ſi juvat remotiſſima ponere, ultimam Aegypti Syenen?

Accedit, quod alio nomine Peluſium Hebraeis vocari videtur, Aegyptio? an Hebraeo? in incertis habeo, ſed auctorem affero, Aegyptiae geographiae ſatis peritum et antiquum, Joſephum. Is quidem שור (*Schur*) Peluſium interpretatur: pro Hebraicis enim, מחוילה בואך שור, 1 Sam. XV, 7. graece habet, τοὺς ἀπὸ Πηλουσίου τῆς Αἰγύπτου, ἕως τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης, *a Peluſio Aegypti usque ad rubrum mare.* Ant. VI, 7, 3. Evolve, quaecunque loca ſacri

cri

cri codicis lubuerit, in quibus *Schur* legitur, non displicebit Pelusium. Genes. XVI, 7. Hagaram, Aegyptiam, dum dominam fugit, in via, quae Schuram ducit, invenies: patriam ergo repetit. Celebre in sacris literis desertum Schur ante Aegyptum, jam erit non minus celebre eodem in loco desertum *Gefar*, vel *Gofar*, de quo plura in notis ad Abulfedam (*): hic unum repeto, Arabicum Pentateuchi interpretem in Polyglottis expressum, ipsissimum Arabicum nomen جفار ponere, ubi Hebraice legitur, מדבר שור, Genes. XX, 1. XXV, 18. Etymologiis si ludere in seria geographia placeat, שור *murus* erit, i. e. claustra Aegypti, nomen Pelusio dignissimum. Sed quis praestet, nomen urbis Aegyptiae esse Hebraicum? Quod si est, verum etymon arbitror.

Sed ad סין redeo. Vix aliquid certi ac veri de urbe Aegyptia sperare ausim, nisi ex LXX, Aegyptiarum rerum et geographiae plerumque peritioribus. Hi vero סין Ezech. XXX, 15. 16. dupliciter verterunt, incertum, utrum aliis literis in versu 15 quam in 16 scriptum nomen invenientes, an quod putarent, non decere prophetam, bis de eadem urbe loqui. In iisdem versibus et נא bis scriptum dupliciter interpretantur, in v. 16. Διόσπολιν, in 15 Memphin, ac si נף scriptum esset.

Primum ergo in versu decimo quinto habent, ἐπὶ Σάϊν τὴν ἰσχὺν Αἰγύπτου (*super Sain, robur Aegypti*) quod nomen, صاين scriptum, habet ex illis Arabs, habebatque Vulgata, antequam ab Hieronymo mutaretur. Contra codex Alexandrinus exhibet hic Τάνιν (**): suspicante Cellario (***), Tanin

(*) not. 141. 148.

(**) Aliquid hujus lectionis, Jacobi forte Edesseni manu, in Syriacam versionem irrepsit: textus enim Syriacus

Tanin etiam Sain dictam fuisse, quod idem Nili ostium, Strabone teste, jam Taniticum sit, jam Saiticum, Josephusque nomum Saiten ab Oriente ponat fluvii Bubastici. Mihi quidem, utcunque de hac quaestione statuatur, Tanis a manu esse videtur librarii, aut aberrantis, aut corrigentis: Ezechiel certe de Tani non loquitur, quam consueto nomine צען dicturus fuisset. Sola ergo nobis aut Sais aut Sain relinquitur.

Sais, urbs Aegypti in Delta occidentali, vix esse potest סין Ezechielis, N finale non habens nisi in accusativo graeco, ac male profecto rem egerunt LXX, N casus cum N radicali confundentes, nisi forte de urbe nobis ignota in nominandi casu Σάϊν cogitarunt. Sais paroxytonon est, Σάϊς, non ut Σάϊν oxytonon: sed quae urbs Σάϊν sit, ignoro.

In versu 16 Syenen ponunt, καὶ ταραχῇ ταραχθήσεται Συήνη. Est ultima pene Aegypti versus Austrum urbs, jam *Asswan* (اسوان) dicta, descripta ab Abulfeda sub numero 51, ubi nostra vide notata. Et auctoritatem interpretis in re Aegyptia magni facio, et video, Jesaiae et Ezechielis locis Syenen esse aptissimam. Fortalitium Aegypti recte dici possit, atque adeo claustra: ita enim sita ad Nilum, ubi duorum montium juga pene concurrunt, ut has per fauces hosti ab Austro venienti transeundum sit, paulo infra catarrhactas, ut huc deportari terra ea necesse sit, quae Nilo devehi velis, natura etiam munitissima, praeruptis saxis impositorum moenium rudera adhuc ostentans. Vide

cus in Ephraemi commentario T. II. Operum Ephraemi p. 190 habet, ܐܘܓܣܛܘܣ ܩܠܝܣܪ ܣܘܢ, in ipsis tamen commentariis Ephraemi rectius ܣܘܢ expressum.

(***) Geogr. Ant. T. III. p. 25.

Vide delineationem Nordenianam in tabula CXXX, nec dubitabis, quin florente Aegypto ejus firmissimum praesidium contra Aethiopes fuerit. E regione insula in Nilo, Elephantine, nunc El-Sag dicta, pars quodammodo urbis. In hac vero insula olim non tam praesidium Aegyptiorum, quam exercitus stationem habuit Psammeticho rege. Hic enim cum ducenta et quadraginta millia militum, Asmuch dictorum, aleret, in hunc modum dispositos habuit, teste Herodoto, libr. II, c. 30. Ἐπὶ ψαμμετίχου βασιλέως φυλακαὶ κατέστασαν, ἔν τε Ἐλεφαντίνη πόλι πρὸς Αἰθιόπων, καὶ ἐν Δάφνησι τῆσι Πελουσίησι, ἄλλη δὲ πρὸς Ἀραβίων καὶ Σύρων, καὶ ἐν Μαρέη πρὸς Λιβύης ἄλλη. *Psammeticho regnante, praesidia constituta erant, in urbe Elephantine* (*) *contra Aethiopas, Daphnis Pelusiis alia contra Arabes et Syros, aliaque Mareae adversus Africam.* Addit, hoc Persas suo adhuc tempore imitari: ἔτι δὲ ἐπ᾽ ἐμοῦ καὶ Περσέων κατὰ ταῦτα αἱ φυλακαὶ ἔχουσι, ὡς καὶ ἐπὶ ψαμμετίχου ἦσαν, καὶ γὰρ ἐν Ἐλεφαντίνη Πέρσαι φρουρέουσι καὶ ἐν Δαφνησι: i. e. *meo adhuc tempore subque Persis eadem praesidiorum dispositio, atque sub Psammeticho, tenent enim illis Persae Elephantinen et Daphnas.* Romanorum quoque tempore castra ad Syenen fuisse, auctor est Plinius, l. V. §. XI. p. 256. 257. in quibus tres cohortes (i. e. duo aut tria peditum millia et 360 equites) degebant, teste Strabone l. XVII. p. 1148. al. 797. Quin Hieronymi adhuc aetate *castrum* ibi Romanum fuit, ut discetur ex ejus commentario ad Ezech. XXIX, 10.

Remo-

(*) Insulae Elephantinae situm optime disces ex tabula Nordeniana CXXXIV, ipsisque oculis judicabis, non in sola insula exercitum Aegyptiorum includi potuisse, sed et Syenem ac vicinam planitiem inter montes tenuisse.

Remotam a Palaeſtina urbem Jeſaiam deſignare videri, ſupra monuimus: Syene ultima verſus Auſtrum Aegypti, ac prope terrae cognitae. Jam et recte Ezechiel dixerit verſu decimo ſexto: *ignem accendam in Aegypto, et circumibit Syenen usque:* qua in verſione ſi cui novum videatur, *circumibit* pro חול תחול poſitum, ſciat, حول Arabibus idem eſſe, quod كور, *in orbem ire.* Vide chreſtomathiam noſtram Arabicam p. 45. not. 1. et confer Hoſ. XI, 6. חלה חרב בעריו *in orbem ibit gladius per urbes ejus.*

Unus me ſcrupulus uſſit, qui et Summe Venerando Doederleino, de Syene ſuſpicari aliquid auſo, moleſtus fuit. *Equidem*, inquit, in notis ad Jeſ. XLIX, 12. *Syenen dicerem, celebratiſſimum apud antiquos regnum, in extremis Aegypti finibus ſitum: ſed* סונה *ſcribitur.* Nempe Ezech. XXIX, 10. XXX, 6. סונה legitur, idque nomen LXX, Arabs et Vulgata, recte, ut opinor, Syenen interpretantur. Pars magna dubii perit, modo puncta סְוֵנֵה abdices, bonam ſententiam, geographiaeque aptam, non fundentia: quis enim, quaeſo, cum Syene ultima ſit Aegypti verſus Aethiopiam, ibique fines utriusque regionis ab antiquis ſtatuantur, dixerit, *Aegyptum vaſtatum iri Syene inde, usque ad terminos Aethiopiae.* Ita fere dictum, atque, *tota Germania, Clivia inde, usque ad fines Belgii foederati.* Ergo potius cum He paragogico locali סְוֵנָה adpellemus: *vaſtabo terram Aegypti, a Magdolo* (ad ſinum Arabicum ſita) *Syenen usque terminosque Aethiopiae*, i. e. totam Aegyptum, quam longa eſt. Ita et praeiverunt LXX ἀπὸ Μαγδώλου ἕως Συήνης. Alteram partem objectionis haud quidem ita diluere poſſum, ut nihil ejus ſuperſit: cum tamen LXX סון Ezech. XXIX, 10. XXX, 6. et סין XXX, 16. Syenen verterint, alterutrum conſequi videtur; ſive, ut

F ipſis

ipſis arbitris nomen utroque modo ſcribi potuerit; aliarum urbium Aegyptiarum exemplo, (in exoticis enim orthographia fluctuare ſolet, ac ſi literis סין puncta ſubſternas, סְוֵן, Syenem apte ſatis expriment): ſive, ut aliter legerint, librariis Vau et Jod permutantibus, quod ſi in Ezechiele factum, accidere etiam in Jeſaia potuit.

Aliud tentavit Summe Venerandus Doederleinus in notis ad Jeſaiam latine verſum: *forſan*, inquit, סין *confinis Syenae Latopolis eſt*, *quam hodie Esnay* (אסנה) *dicunt*, *apud Nordenium Voyage Tom. II. Tab. CXV. et antiqui nominis veſtigia haud obſcure ſervaret.* Esnen in Abulfedae Aegypto invenies ſub numero 52, أَسْنَا (אסנא) literis Arabicis ſcriptam, quae magis etiam a סין diverſae, quam סון, ut argumentum Doederleini contra Syenen hanc conjecturam fortius etiam premat. Nec eſt niſi conjectura, nulla enim veterum auctoritas adfertur, qua in quaeſtionibus geographicis aegre careo. Nec quo jure *fortalitium Aegypti*, et vero ita κατ᾽ ἐξοχὴν, dici potuerit, urbs non limitanea, (viginti enim et quatuor milliaribus Gallicis ſupra Aſſevanam eam habet Nordenius) et quam non memini a munitione laudari, video.

* * *

Genes. X, 18.

ואת הארודי *et Aradios.*


Nomen urbis ארוד ſcriptum recurrit Ezech. XXVII, 8. 11.

In explicatione nominis errori vix ullus locus, nec dubitari poteſt, quin ſit Aradus, qua de urbe Bochartus l. IV. c. 36.

c. 36. egit. Insula est, septem stadiorum ambitu, aedificiis angusta, olimque celeberrima, cui e regione in continenti Antaradus. Praeiverunt jam veteres, LXX. Ἀραδίους ubique habent: Josephus, Ἀρουδαῖος Ἄραδον τὴν νῆσον ἔσχεν, Thargum Hierosolymitanum אנטרידנאי, pro insula objectam illi in litore Antaradum ponens.

Aradum ipsam, insulam, delineatam invenies in Tabula XXX. Tomi II. itinerarii Pocokiani. Antaradum describit, brevior hic quam vellem, Abulfeda p. 17. Syriae. Recurrit ejus mentio 1 Maccab. XV, 23. inter loca, quae legati Judaeorum adierunt, ubi Syrus terminatione Graeca adjecta, et Vau ante Dolath servato, ܐܪܘܕܘܣ scripsit: alias Syris his ipsis literis, quas textus masorethicus habet, est ܐܪܘܕ, ut in Assemani bibliotheca Orientali T. III. P. II. p. 14. ubi Barhebraeus in commentario in Matthaeum de Thaddaeo scribit, ܪܓܡܘܗܝ ܒܐܪܘܕ ܘܬܡܢ ܐܬܩܒܪ *lapidibus obruerunt illum Aradi, ibique sepultus est.*

Numisma, quod *Dutens* delineari curavit, sed male interpretatus est, ad Aradum urbem sine dubio pertinet, de quo vide bibliothecam nostram Orientalem T. VIII. p. 13-15. Legitur in illo literis Phoeniciis מלך לארד *rex Aradi*, eadem constructione, quam 2 Reg. XIX, 13. alibique observabis. En hic delineationem nummi,



 in

in quo mirum eſt, quomodo adhaeſerit doctiſſimus alioqui *Dutens*, primo inverſo ordine legens לארד מלך, deinde *Arad* pro nomine proprio regis habens, invitaque grammatica conferens nomen urbis ערד per Ain ſcriptum, quae Joſ. XII, 14. commemoratur, cujusque conditorem eum fuiſſe putat, qui hunc nummum cudi fecit. Antiquiorem-ne ergo nummum facit Joſuae temporibus, a quo devictam urbem rex Aradus condiderit, adeoque diu ante Joſuam vixerit? Quanto rem egiſſet expeditius, ſi ארד de urbe celebri Arado, cujus nomen per Aleph ſcribitur, intellexiſſet? *Rex Aradi*, ſitne rex proprie dictus, an Deus Aradiorum, (nam et Dii urbium reges dicuntur, coll. Jeſ. XXXVII, 13. cum XXXVI, 19.) hic non expedio; prius tamen mihi veriſimilius, Alexandri enim adhuc tempore Aradios regem ſuum, Perſarum clientelarem habuiſſe conſtat, ex Arriano de expedit. Alexandri l. II. p. 94. c. 20. (Γηρόστρατος ὁ Ἀράδου βασιλεύς) Eſt certe jucundum, urbis antiquae, cujus jam Moſes mentionem facit, non modo ſolum et reliquias, ſed et nummum patriis Phoenicum literis impreſſum, oſtendere: ſed hoc nummo jam ad alia opus habebimus.

De ſcriptione enim et adpellatione nominis dicendum, quae aliquid conferet, ad tralatitium errorem ex geographia antiqua eliminandum. In bibliis Hebraicis ſemper cum Vau ſcribitur ארוד, quod Vau etiam, ut paulo ante monuimus, Syri habent. Maſorethae puncta adjecerunt, אַרְוָדִי, ut nomen urbis ſit cum Vau mobili, *Arvad*. Miror, cur non אֲרוֹד et אֲרוֹדִי cum Vau quieſcente praetulerint, ut aliud nomen proprium, iisdem literis ſcriptum, Numer. XXVI, 17. efferri voluerunt. Joſephus certe, *Arudi* Hebraicas literas adpellabat, Ἀρουδαῖον vocans urbis condi-

conditorem: ſic et Syrus ܐܪܘܕ, et Arabs Polyglottus ارودينون ſcripſit, itemque 1 Macc. XV, 23. ܐܪܘܕܘܣ. Juvat hanc adpellationem, primo graecum nomen, *Aradus*, quod optime ſcribi אֲרוֹד, *Arod*, poſſit, meminerimus enim ubi una dialectus Syrorum et Arabum A longum habet, alteram O uſurpare: deinde nummus, quem exprimi curavi, Vau enim quieſcens omittere licet, ſolentque in nummis omittere Phoenices, neutiquam mobile. Hi, qui puncta adjecerunt, ſequiorem ſui temporis adpellationem ſequuti videntur, jam enim in nomine urbis V conſonum aut vocale ante A auditur: *Ruad* illud ſcripſit Pocokius T. II. p. 201. (verſ. germ. 292) Shawius p. 267. *Rouwadde*.

Hinc autem intelligitur, quantopere errent, qui (Arfad) ארפד 2 Reg. XVIII, 34. XIX, 13. Jeſ. X, 9. XXXVI, 19. Jerem. XLIX, 23. pro ארוד habent, Vau, ut volunt, in Pe mutato. Eſt id jam ſua ſponte audax, atque vix unum certum exemplum permutationis ו et פ ex toto adferri Hebraismo poterit: at Vau quieſcens, Vau quod omitti ſalva voce poteſt, quia ſonum vocalem habet, cum Pe permutari, plane inſolens. Accedit, quod nemo veterum ארפד *Aradum* vertit, aut iisdem literis, quibus ארוד, ſcripſit: Syrus vero, cui nomen urbis et regni Syriaci non plane ignotum fuiſſe credideris, ܪܦܣ (*Refod*) habet, non deſcriptis literis Hebraicis, ſed illis poſitis, quibus urbs in Syria noſcebatur. De hac ergo *Arpada* vel *Arfada*, regia olim ſede, alius erit agendi locus: hic ſufficiat criticae et nummi auxilio geographiam errore ſatis recepto liberare.

Thargum Jonathanis לוסטאי, et Thargum chronicorum לסוטאי habet, de Laodicea Beckio intelligente. Mihi

hi vero multo videtur expeditius, לוסטאי, *latrones* (*) interpretari. Sic quidem Jonathan de vera Arado ejusque vicinia cogitaverit: juxta Antaradum enim, ſeu, ut nunc vocatur, Tortoſam, incipiebat tractus *Aſſaſſinorum*, quorum princeps, *Schaich-el-Gibal*, medio aevo celeberrimus fuit, a Saladino devictus. Vide Büſchingii Aſiam, ſub *Ruad*, p. 285. Alterum לטוסאי, lapſum librarii puto: vera autem ſcriptio ſi ſit, optime eam explicuit *Beckius* ad Thargum 1 Chron. I, 16. *Heſychius in lexico ſuo explicit vocem* λῆτος, *vel, ut Gesnerus legendum eſſe arbitratur*, λίτος, *littus, per*, λιμὴν ἢ θάλασσα: לטוסאי *igitur* λιτοσαῖοι *maritimi erunt, cujusmodi ſane Antaradii fuerunt.* Sed haec deinde abdicat, Laodiceam non bene ſubſtituens.

* * *

Eſt hic forte locus, debitum exſolvendi, pagina 110 tomi ſuperioris contractum, dicendique de Aradiis Tyriisque in ſinu Perſico, qui ſe progenitores Aradiorum et Tyriorum mentiebantur. Conferant vero et lectores, ad quem non niſi ſpicilegium ſcribo, Bochartum libr. I. Canaanis, cap. XIV. de Phoenicibus in ſinu Perſico agentem.

De hoc ergo ſinu Strabo, l. XVI. p. 1110. 1111. (al. 766) πλεύσαντι, inquit, ἐπὶ πλέον ἄλλαι νῆσοι, Τύρος καὶ Ἄραδός εἰσιν· ἱερὰ ἔχοντες τοῖς Φοινικικοῖς ὅμοια· καί φασί γε οἱ ἐν αὐταῖς οἰκοῦντες, τὰς ὁμωνύμους τῶν Φοινίκων νήσους καὶ πόλεις ἀποίκους ἑαυτῶν. *Ulterius naviganti aliae occurrunt inſulae, Tyrus et Aradus, templa Phoeniciis ſimilia habentes: dicunt incolae, cognomines Phoenicum urbes ſuas eſſe colonias.* In hoc quidem ſine dubio errarunt, fueruntque ipſi potius Phoenicum

(*) Ortum Chaldaicum nomen ex λῃστής. Vide Buxtorfii lex. p. 1148. 1149.

cum coloniae, commerciorum caussa ad sinum Persicum inque ejus insulas ductae: nostram enim Aradum, quam Moses jam descripsit, cumque aliis Phoenices urbibus composuit, nemo in sinu Persico quaesierit. Tyrus autem quod in sinu Persico erat, eo pertinet, ut hae coloniae diu post Mosen, circa Davidis forte et Salomonis tempora, aut serius etiam, illuc deductae sint, cum Tyrus ipsa plus quam trecentis demum, seu ex communi computo 191 post Josuae mortem annis condita sit. Vide Josephi Antiquit. l. VIII. c. 3. §. 1. et notas nostras germanicas, ad Josuae XIX, 29. Pergit Strabo: Διέχουσι δὲ αἱ νῆσοι αὗται Τερηδόνος μὲν δεχήμερον πλοῦν, τῆς δὲ κατὰ τὸ στόμα ἄκρας τῆς ἐν Μάκαις ἡμερήσιον. Ἀπὸ δὲ τῆς Καρμανίας εἰρήκασι, καὶ Νέαρχος καὶ Ὀρθαγύρας, νῆσον Τυρρίνην κεῖσθαι πελαγίαν, ἐν δισχιλίοις σταδίοις, ἐν ᾗ τάφος Ἐρυθρᾶ δείκνυται, χῶμα μέγα, ἀγρίοις φοίνιξι κατάφυτον· τούτων δὲ βασιλεῦσαι τῶν τόπων, καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὴν θάλατταν ἐπώνυμον καταλιπεῖν. Δηλῶσαι δὲ ταῦτα φησὶν αὐτοῖς Μιθρωπάστην τὸν Ἀρσίνου τοῦ Φρυγίας σατράπου, φεύγοντα μὲν Δαρεῖον, διατρίψαντα δὲ ἐν τῇ νήσῳ, συμμίξαντα δὲ καταχθεῖσιν εἰς Περσικὸν κόλπον, καὶ ζητοῦντα κάθοδον δι' αὐτῶν εἰς τὴν οἰκίαν. i. e. *Distant hae insulae a Teredone decem dierum navigatione, a promontorio vero freti Macensis, unius. Nearchus et Orthagyras referunt, insulam Tyrrhinen* (forte et haec a Tyro nomen habet) *in alto mari duobus stadiorum millibus a Carmania esse, in qua Erythrae sepulcrum ostendatur, ingens tumulus, palmis silvestribus consitus, hunc Erythram illis in locis regnasse, aque eo mare nomen accepisse. Haec se dicunt audiisse ex Mithropaste, Areini satrapae Phrygiae filio, qui Darium fugiens ea in insula commoratus sit, cumque ipsis in Persicum sinum delatis sermones miscuerit, reditum in patriam quaerens.* Sinum Arabicum et Persicum hic confundi, manifestum: nec fabulam de rege Erythra, in quem incuriosa chronologiae et veri oralis traditio Edo-

mum

hi vero multo videtur expeditius, לוסטאי, *latrones* (*) interpretari. Sic quidem Jonathan de vera Arado ejusque vicinia cogitaverit: juxta Antaradum enim, ſeu, ut nunc vocatur, Tortoſam, incipiebat tractus *Aſſaſſinorum*, quorum princeps, *Schaich-el-Gibal*, medio aevo celeberrimus fuit, a Saladino devictus. Vide Büſchingii Aſiam, ſub *Ruad*, p. 285. Alterum לטוסאי, lapſum librarii puto: vera autem ſcriptio ſi ſit, optime eam explicuit *Beckius* ad Thargum 1 Chron. I, 16. *Heſychius in lexico ſuo explicit vocem* λῆτος, *vel, ut Gesnerus legendum eſſe arbitratur*, λίτος, *littus, per*, λιμὴν ἢ θάλασσα: לטוסאי *igitur* λιτοσαῖοι *maritimi erunt, cujusmodi ſane Antaradii fuerunt.* Sed haec deinde abdicat, Laodiceam non bene ſubſtituens.

* * *

Eſt hic forte locus, debitum exſolvendi, pagina 110 tomi ſuperioris contractum, dicendique de Aradiis Tyriisque in ſinu Perſico, qui ſe progenitores Aradiorum et Tyriorum mentiebantur. Conferant vero et lectores, ad quem non niſi ſpicilegium ſcribo, Bochartum libr. I. Canaanis, cap. XIV. de Phoenicibus in ſinu Perſico agentem.

De hoc ergo ſinu Strabo, l. XVI. p. 1110. 1111. (al. 766) πλεύσαντι, inquit, ἐπὶ πλέον ἄλλαι νῆσοι, Τύρος καὶ Ἄραδός εἰσιν· ἱερὰ ἔχοντες τοῖς Φοινικικοῖς ὅμοια· καὶ φασί γε οἱ ἐν αὐταῖς οἰκοῦντες, τὰς ὁμωνύμους τῶν Φοινίκων νήσους καὶ πόλεις ἀποίκους ἑαυτῶν. *Ulterius naviganti aliae occurrunt inſulae, Tyrus et Aradus, templa Phoeniciis ſimilia habentes: dicunt incolae, cognomines Phoenicum urbes ſuas eſſe colonias.* In hoc quidem ſine dubio errarunt, fueruntque ipſi potius Phoenicum

(*) Ortum Chaldaicum nomen ex ληστής. Vide Buxtorfii lex. p. 1148. 1149.

cum coloniae, commerciorum cauſſa ad ſinum Perſicum inque ejus inſulas ductae: noſtram enim Aradum, quam Moſes jam deſcripſit, cumque aliis Phoenices urbibus compoſuit, nemo in ſinu Perſico quaeſierit. Tyrus autem quod in ſinu Perſico erat, eo pertinet, ut hae coloniae diu poſt Moſen, circa Davidis forte et Salomonis tempora, aut ſerius etiam, illuc deductae ſint, cum Tyrus ipſa plus quam trecentis demum, ſeu ex communi computo 191 poſt Joſuae mortem annis condita ſit. Vide Joſephi Antiquit. l. VIII. c. 3. §. 1. et notas noſtras germanicas, ad Joſuae XIX, 29. Pergit Strabo: Διέχουσι δὲ αἱ νῆσοι αὗται, Τερηδόνος μὲν δεχήμερον πλοῦν, τῆς δὲ κατὰ τὸ στόμα ἄκρας τῆς ἐν Μάκαις ἡμερήσιον. Ἀπὸ δὲ τῆς Καρμανίας εἰρήκασι, καὶ Νέαρχος καὶ Ὀρθαγύρας, νῆσον Τυρρίνην κεῖσθαι περὶ Νότον, πελαγίαν, ἐν δισχιλίοις σταδίοις, ἐν ᾗ τάφος Ἐρυθρᾶ δείκνυται, χῶμα μέγα, ἀγρίοις φοίνιξι κατάφυτον· τούτων δὲ βασιλεῦσαι τῶν τόπων, καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὴν θάλατταν ἐπώνυμον καταλιπεῖν. Δηλῶσαι δὲ ταῦτα φησὶν αὐτοῖς Μιθρωπάστην τὸν Ἀρήνου τοῦ Φρυγίας σατράπου, φεύγοντα μὲν Δαρεῖον, διατρίψαντα δὲ ἐν τῇ νήσῳ, συμμίξαντα δὲ καταχθεῖσιν εἰς Περσικὸν κόλπον, καὶ ζητοῦντα κάθοδον δι' αὐτῶν εἰς τὴν οἰκίαν. i. e. *Diſtant hae inſulae a Teredone decem dierum navigatione, a promontorio vero freti Macenſis, unius. Nearchus et Orthagyras referunt, inſulam Tyrrhinen* (forte et haec a Tyro nomen habet) *in alto mari duobus ſtadiorum millibus a Carmania eſſe, in qua Erythrae ſepulcrum oſtendatur, ingens tumulus, palmis ſilveſtribus conſitus, hunc Erythram illis in locis regnaſſe, aque eo mare nomen accepiſſe. Haec ſe dicunt audiiſſe ex Mithropaſte, Arcini ſatrapae Phrygiae filio, qui Darium fugiens ea in inſula commoratus ſit, cumque ipſis in Perſicum ſinum delatis ſermones miſcuerit, reditum in patriam quaerens.* Sinum Arabicum et Perſicum hic confundi, manifeſtum: nec fabulam de rege Erythra, in quem incurioſa chronologiae et veri oralis traditio Edomum

mum mutavit, pro vera hiſtoria habueris. Idem denique p. 1131. de verſu Homerico agens, *veni ad Aethiopes, et Sidonios, et Erembos*, διαποροῦσι περὶ τῶν Σιδονίων μεν, τίνας χρὴ λέγειν τῶν ἐν τῷ Περσικῷ κόλπῳ κατοικούντων, ὧν ἄποικοι ὁι παρ' ἡμῖν Σιδόνιοι, καθάπερ καὶ Τυρίους τινὰς ἐκεῖ νησιώτας ἱστοροῦσι, καὶ Ἀραδίους, ὧν ἀποίκους τοὺς παρ' ἡμῖν φασὶν, εἴτ' αὐτοὺς τοὺς Σιδονίους. *Ambigunt hic, qui intelligendi Sidonii ſint, in Perſicone ſinu habitantes? quorum colonia noſtri Sidonii, ſicut et Tyrios et Aradios inſulanos ibi reperiri narrant, quorum coloniae noſtra Tyrus et Aradus ſint, ipſosque adeo Sidonios.* Mirum certamen et jactantia coloniae contra matrem, quam ſe peperiſſe filia mentiri audet: ſed meminerimus, Phoenices a rubro mari veniſſe (*), jam cum ſinum Arabicum et Perſicum confunderent veteres, inque hoc Tyrum, Aradum, forte et Sidonios, reperirent, non mirum, has eis ſinus Perſici urbes et inſulas matres viſas eſſe.

Caeterum Tyrum in ſinu Perſico Arabes quoque recentiores memorant, ſed de Arado nihil me apud illos invenire memini. Nubienſis, Clim. II. P. 6. p. 53. verſionis latinae, 60 Arabici textus: *ad regionem Oman pertinet* صور *(Tſur, Tyrus) et Kelhat* (قلهات), *ſita ad litus maris ſalſi Perſici. Inter Tyrum autem et Kelhatam eſt magnum diei iter terra, ſed mari non integrum diei iter. Inter Tyrum et promontorium Mahhgama* (محجمة) *quinque dierum iter terra, mari, bidui.* Eandem Tyrum, صور ſcripto nomine, vicinamque Kalhatam, Niebuhrius quoque ad ſinum Perſicum in regione Oman invenit, idque teſtatus eſt in deſcriptione Arabiae p. 298. Vide et adjectam ab eo terrae Oman delineationem. Tyrus autem non inſula, ſed ad mare

(*) T. I. p. 168.

mare ſita, inque litore Arabico, qua in re Strabo ex recentioribus emendandus.

Sunt hae coloniae ob hiſtoriam commerciorum, quae Phoenices non per Arabicum modo, ſed et Perſicum ſinum exercebant, notatu digniſſimae.

* * *

ואת הצמרי *et Simrios*, vel, *Sumrios*.

Σαμαρεῖον LXX vocant, quos ſequitur Joſephus, interpresque latinus: unde facile fuit, ut jam monuit Bochartus, hos a Moſe memoratos colonos antiquiſſimos cum recentioribus multo Samaritanis confundere. Diſcitur ejusmodi exemplis, quam ſit anceps nominum geographicorum Orientis interpretatio latinis graecisque literis ſcriptorum, ignorata orthographia orientali: ס enim, ץ, שׁ et שׂ non poſſunt Graeci Latinique niſi per S exprimere. Saepe hic erratum, etiam a doctioribus. Equidem malim *Simrios* dicere, (Germanice diſtinctius Zimri ſcribere possem) his punctis ſubſtratis, צִמְרִי. Punctator nomen ſibi ignotum, quod et periiſſe, inque ſolis ſupereſſe ſacris literis putabat Joſephus, צְמָרִי extulit, eodem quo et LXX cum adſeclis modo. Sed deinde videbimus, nomen in hunc usque diem ſupereſſe.

Monuit jam Bochartus, Thargum Hieroſolymitanum et Arabem polyglottorum Emeſſam (حمص, חמץ) interpretari, illisque praeiviſſe Hieronymum, in quo pro Edesſa reſcribendum ſit, Emeſſa: *Samaraei, quibus Emeſſa, nobilis Syriae Coeles civitas.* Feliciſſimam vero emendationem, quam et in textum receperunt Benedictini, ſubjecta nota: *inſigni mendacio libri antea editi poſuerunt hoc loco E*

dessam, urbem Mesopotamiae, pro Emessa, Coeles Syriae civitate. Nempe librarius, Edessam ex historia christiana cognitam habens, posuit pro ignota sibi, sed nobili prope Orontem urbe, Emessa.

His addo: primo, Emessam ab Abulfeda describi p. 104. Syriae, sed parum copiose, itemque a Pocokio T. II. p. 141. (vers. germ. 205); deinde, Emessenos (חמצאי) etjam habere interpretem Chaldaeum chronicorum, Matthiamque Beckium digna ei adnotasse, quae hic excerpantur. *Sic quoque*, inquit, *Glossa Genes. Magna, et R. Abraham Zachuth fol. 135. b.* צמרים *per* חמץ *Emissam reddunt. Quibus assentitur recens scriptor Cohen de Lara in opere imperfecto* כתר כהונה *fol. 53. col. 1. lin. 46.* חמץ (בר' פ' לז'
וירוש' דמגיל' עא' סב' פא' הלכה יא') הוא פתרון צמרי בראשית
י' יח' שם מחוז בלעז והאומה נקראת על שמה ובר' אימיצא והיא
בפניקיא ובלשון טורקי חמץ (*) ויושבי הארץ ההיא צמרים
שמם כי הם עושים בצמר (שם בר' פ' לז') Haec quidem ita intellexit Beckius, ac si lingua Arabica Emessa צמר diceretur, quod si verum esset, si dixisset David de Lara posfetque illi nullo teste credi, non amplius de interpretatione nominis dubitarem. Est autem sine dubio falsum, Arabum enim geographi, et incolae urbis eam *Hems* حمص vocant. Nec talem errorem commisisse Davidem de Lara, sed verba potius sic interpretanda arbitror: חמץ, (*occurrens in Glossa Genes. Magna Sect. 37. Thalmude Hierosolymitano tract. Megilla. col. 1. fol. 62. cap. 1. Halacha XI,) est interpretatio nominis* צמרי *Genes. X, 18. Est nomen barbarum urbis, a qua et accolae cognominantur. In glossa magna dicitur*

(*) חמן manifestum vitium librarii.

dicitur אימיצא (*Emesa*). *Sita est in Phoenice, atque a Turcis Hems* (חמץ) *appellatur. Incolae ejus ideo* צמרי *vocantur, quod lanae* (צמר) *opificia exercent. Vide ibi glossam Genes. magnam Sect.* 37. Ergo potius *Hems* vel *Hims*, quo nomine Magistri utuntur, barbarum, i. e. Turcicum vel Arabicum dicitur, oppositum nomini Hebraeo צמרי, quod inepte satis a צמר *lana* derivat, praeeunte Glossa magna.

Hoc ergo novo argumento, quod ex scriptore recentissimo male intellecto attulerat Beckius, demto, plane non video, quo jure inde ab Hieronymi tempore צמרי Emessam, nomine toto diffidentem, interpretati sunt, nec possum non damnare interpretationem, eo pejorem, si Rabbini, quos ipse quoque Hieronymus, eorum discipulus, hic sequutus videtur, etymon spectarunt, putaruntque, Emessam צמרי esse, quod lanificio floreret. Geographiam etymologicam plerumque deprecari soleo: sed ineptius nihil hac excogitari potest, quae nomen urbi antiquae ab opificiis ducit, post duo annorum millia ibi ferventibus. Urbs diu ante opificia, quibus sero inclarescere solet: nec verisimile, urbem Thalmudicorum tempore lanificio celebrem, hoc opificio diu jam ante Mosen, cum primum conderetur, claruisse. Migrant artificia, nec facile per duo annorum millia eadem in urbe domi sunt. Ergo צמרי *Emessa* ineptum est Rabbinorum commentum, quibus multo sapientior, ut est antiquior, Josephus, fatebatur, nescire se, quae nesciebat.

Nec tamen mihi nomen, ut geographiae Phoeniciae ignoratione putabat Josephus, interiisse, sed in hunc usque diem superesse, ac rudera urbis signare videtur: nec mihi solum, sed et illis, qui haec rudera viderunt.

Eſt haud procul ab Eleuthero fluvio *Simyra*, de qua quid Graeci Latinique habeant, velim ex Cellario (*) diſci. Hanc vero noſtram צמר exiſtimo, certumque habeo, quod in conjecturae modum dixit ſua laude non defraudandus Bochartus (**): *potuit prope Orthoſiam Simyra Samaraeos habere conditores.* Non vero conditores modo habere, dixerim, ſed ipſam eam eſſe coloniam, de qua Moſes loquitur. Supereſt ejus aliquid in hunc usque diem. Vidit ruinas magnae urbis, *Sumra* dictas, Shawius, quinto milliari Anglico a ruderibus Arceae, easque deſcripſit, p. 269. (verſ. germ. p. 234. 235.) ac pro noſtra urbe non dubius habuit, adſentiente Büſchingio. Suſpicor, eandem eſſe, quae in Aſſemani bibliotheca orientali T. I. p. 504. a Stephano Edenenſi vocatur, צמר גביל (صمر جبيل). *Bybli propugnaculum* Aſſemanus vertit: ego mallem, ſive, *Simyram prope Biblum*, ſive, *Symiram ad montem.* Situs non adcurate definitur, ſed tamen utcunque concinit. Citavi hanc maxime ob cauſſam, quod orthographiam arctius adſtringit, ac pro dubia Europaeorum litera S, צ habet, ut eſt in Moſaico nomine.

* * *

ואת החמתי *et Hamathenſes.*

Hamatha, urbs celeberrima Syriae ad Orontem, Graecis Epiphania dicta, ſaepe in ſacris literis ſub nomine חֲמָת recurrit, aliquando et (***) חמת רבה i. e. *Hamatha metropolis*, quod metropolis ſatis magni pro illo tempore regni eſſet. Nec illa unquam nomen depoſuit, licet aliud a Graecis acciperet. Teſtes de ſuo tempore, quorum verba

(*) T. II. p. 445. (**) p. 307. (***) Amos VI, 2.

ba infra citabimus, Josephus et Hieronymus: testis etiam antiqui nominis urbis Theodoretus in commentario in Jeremiam ad c. XLIX, 23. isque eo dignior fide, quod sibi quodammodo contraria habet, fateturque, homo Syrus, cui in Syriacis fidem haberi par est testimonium dicenti. Hamatham enim Jeremiae Emessam explicans, addit tamen: ἔστι δὲ καὶ ἄλλη Ἡμὰθ, ἡ νῦν Ἐπιφάνεια, *est autem et alia Ematha, quae nunc Epiphania.* Nomen Arabice scriptum حماة innumeris locis apud geographos historicosque Arabum obvium, ex eaque urbe oriundus nomine patronymico حموي dicitur, ut celebris geographus Jacutus, vel Hyacinthus, ياقوت الحموي. (*) Ipse geographorum Arabum quodammodo princeps, Abulfeda, regulus Hamathae fuit, urbemque p. 108. 109. Syriae descripsit, haec quoque inspergens: حماة مدينة اولية ولها ذكر في كتب الاسرائيليين *Hamath est urbs antiqua, memorata in scriptis Israelitarum, et paulo post,* وقال العروي بكتابه المعروف بالزيادات حماة بلدة مذكورة في التورة *dicit Arvi in libro, cui titulus, Additamenta, Hamath est oppidum in Pentateucho commemoratum.* In hunc adeo diem eodem nomine vocari itineraria testantur, ut mirum sit, quemquam hic aut errare aut dubitare potuisse.

Nec auctores deerant, veram Hamatham interpretibus indicantes: ea sententia verissima, quae et antiquissima. Josephus: Ἀμάθιος τὴν Ἀμαθινὴν κατῴκισεν, ἥτις ἐστι καὶ νῦν ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων Ἀμάθη καλουμένη, Μακέδονες δ᾽ αὐτὴν Ἐπιφάνειαν ἀφ᾽ ἑνὸς τῶν ἀπογόνων ἐπωνόμασαν, i. e. *Amathius Amathinen habitavit, quae et nunc ab indigenis Amath vocatur, sed Macedones ab aliquo suorum Epiphaniam dixerunt.* Hiero-

(*) Abulfedae Aegyptus p. 31.

Hieronymus ad hunc locum: *Amath usque ad noſtrum tempus, tam a Syris quam ab Hebraeis, ita ut apud veteres dicta fuerat, appellatur. Hanc Macedones, qui poſt Alexandrum in Oriente regnarunt, Epiphaniam nuncuparunt.* Tota regio circumjecta ab urbe nomen accipit, idque etiam diu poſt ſub Graecorum imperio manſit, cum jam diu deſiiſſet Hamatha ſedes regni eſſe. 1 Macc. XII, 25. haec legimus: καὶ ἀνῆρεν ἐξ Ἱεροσολύμων, καὶ ἀπήντησεν αὐτῷ εἰς τὴν Ἀμαθῖαν χῶραν, οὐ γὰρ ἔδωκεν αὐτοῖς ἀνοχὴν τοῦ ἐμβατεῦσαι εἰς τὴν χῶραν αὐτοῦ. *Hieroſolymis profectus* (Jonathan) *obvius factus eſt hoſti in regione Hamathenſi, nec enim tempus ei dedit, ſua invadendi.* Narrat deinde, Syros noctu regreſſos, pergitque v. 30. καὶ κατεδίωξεν Ἰωνάθαν ὀπίσω αὐτοῦ, καὶ οὐ κατέλαβεν αὐτοὺς, διέβησαν γὰρ τὸν Ἐλεύθερον ποταμόν· *perſecutus eſt eum Jonathan, ſed non aſſequutus eſt illos, trajecerant enim fluvium Eleutherum.* Quo ex loco et hoc intelligitur, Hamathitidem ab utraque ripa Eleutheri fuiſſe, quippe in qua jam cis Eleutherum hoſtibus occurrerat Jonathan. Dubium movere poſſis; Eleutherum Phoenicen et Syriam disterminare: verum hic non de Syria, non de Phoenice ſermo, ſed de regione Hamathenſi, diſtinguendaque gens Phoenicum ac Phoenice. Phoenices ortu erant Hamathenſes, ſed ad Syriam relati, quotquot ultra Eleutherum habitabant, Phoenice ſola litoralia complectente. Sic non iidem Germanorum, et Germaniae fines. Boruſſia a Germanis habitatur, ſed nemo eam Germaniae accenſuerit; non Sileſiam, niſi valde ſit ignarus, non Curoniam, Livoniam, Tranſilvaniam.

Frequentem dixi Hamathae in ſacris literis mentionem. Prima fieri ſolet in finibus Iſraelitarum deſcribendis: non quaſi ad ipſius urbis moenia aut pomoeria pertinuerint, ſed ad

ad fines Hamathensis regionis, quam ultra Libanum sitam non occupari aut bello impeti volebat Deus, Num. XIII, 21. XXXIV, 8. Jos. XIII, 5. Davide regnante multa de rege Hamathensi legimus, ejus foederato, cui rex Nesibenus, hostis, magnam partem regni ademerat, Hamatham Nesibenam dictam, (fere ut nos Belgium Austriacum dicimus) quae a Davide armis recuperata in hujus ditione mansit. 2 Sam. VIII, 9. 10. 1 Paralip. XVIII, 9. 10. 2 Paralip. VIII, 3. 4. Non diu ante Hiskiam Hamathae regno finem fecerunt victoriae Assyriorum, 2 Reg. XVIII, 34. XIX, 13. Jes. X, 9. XXXVI, 19. XXXVII, 13. colonias quoque ex ea in agrum Samaritanum deducentium. 2 Reg. XVII, 24. Qua ex clade num resurrexerit, incertum: videri tamen possit iterum aut regnum aut libertatem adepta Hamatha, quippe denuo cum Damasco et Arfad novi victoris, Nabochodonosaris, jugum subitura. Jerem. XLIX, 43. Ab hoc inde tempore semper Babyloniis, Persis, Graecis subfuit, provincia tamen nomen dudum deleti regni retinente.

Mirum jam dixi, errari in re tam manifesta potuisse: sed magis etiam mirum, quod, cum pluribus urbibus Hamathae nomen commune sit, non ex his aliquam eligant, sed aliam urbem, nunquam ita appellatam, Hamatham nostram esse velint errantes, Antiochiam, Syriae recentioris metropolim. Sic Thargum Hierosolymitanum, et chronicorum, atque ipse adeo Syrus interpres chronicorum, ab interprete reliquorum librorum diversus. Pro *Thogu* enim *rege Hamathae* (תעו מלך חמת) 1 Paralip. XVIII, 16. ܦܘܠ ܡܠܟܐ ܕܐܢܛܝܘܟܝܐ *Phul, regem Antiochiae*, et pro חמת צובה, *ea parte Hamathensis regni, quam Nesibenus rex in ditionem redegerat*, 2 Paral. VIII, 3. iterum *Antio-*

Antiochiam ſubſtituit. Erroris cauſſa, quod Antiochia horum interpretum tempore metropolis Syriae fuit, exque ſuis antiqua exiſtimantes, atque immemores viciſſitudinis rerum humanarum, Davidis quoque tempore non niſi Antiochiam putabant ſedem regis eſſe potuiſſe. Eſt autem abſurdiſſimis adnumerandus. Primo enim Antiochia nimis eſt ab Iſraelitarum terra remota, tam longe ultra Libanum, quam ut illa Hamatha eſſe poſſit, ad quam fines Iſraelitarum pertinuerunt, niſi contra omnem hiſtoriae fidem regnum Hamathenſe multo majus ac potentius Iſraelitico fingere lubeat: et recentior eſt, quam quae in libris Hebraicis, ante exilium Babylonium ſcriptis, commemorari potuerit, quippe cujus primam partem Seleucus Nicator condidit, traductis aliunde habitatoribus (*). Hic ergo quis hiſtoriae mediocriter peritus comminiſcatur Davidis tempore ſedem regni Syrorum fuiſſe.

Unius diei itinere ab Antiochia, vicus potius quam urbs, Hamatha, geographis plerisque ignota, de qua, ne quid diſſimulare videar, Hieronymi verba adſcribam. Sic ille ad noſtrum locum: *nonnulli Antiochiam ita appellatam putant. Alii, licet non vere, tamen opinionem ſuam quaſi veriſimili vocabulo conſolantes,* Emath, *primam ab Antiochia manſionem Edeſſam pergentibus appellari putant, et eandem eſſe, quae apud veteres dicta ſit Emath.* Idem ad Amos

(*) Strabo libr. XVI. p. 1089. al. 750. ἔστι δ' ἡ μὲν Ἀντιόχεια καὶ αὐτὴ τετράπολις ἐκ τεττάρων συνεστῶσα μερῶν. — Τό μεν οὖν πρῶτον αὐτῶν ὁ Νικάτωρ συνῴκισε, μεταγαγὼν ἐκ τῆς Ἀντιγονίας τοὺς οἰκήτορας, ἣν πλησίον ἐτείχισεν Ἀντίγονος ὁ Φιλίππου μικρῷ πρότερον: *Antiochia quoque ex quatuor urbibus ſeu partibus conſtat: — quarum primam Nicator condidit, traductis illuc habitatoribus ex Antigonia, quam paulo ante Antigonus Philippi filius condiderat.*

Amos VI, 2. sed sententiae alibi dictae immemor: *pergite in Emath magnam, quae nunc Antiochia nominatur. Magnam autem vocat, ad distinctionem minoris Emathae, quae appellatur Epiphania. Unde usque hodie pergentibus Mesopotaniam prima mansio vocatur Emmas, corrupto quidem vocabulo, sed pristini nominis vestigia retinente.* Atqui, prima ab Antiochia statio non Antiochia est; nec Amosi tempore Antiochia condita, nec רבה *magna*, cum oppositione ad minorem aliquam, sed *metropolis.*

Alium errorem notare liceat Theodoreti, qui fassus Epiphaniam Hamathae nomen habuisse, tamen Hamatham, nescio qua de caussa, Emessam interpretatur. Sic ille ad Jerem. XLIX, 23. Ἠμὰθ Ἔμισαν λέγει, ἔστι δὲ καὶ ἄλλη Ἡμὰθ, ἡ νῦν Ἐπιφάνεια: atque ad Zach. IX, 1. ἡ δὲ Ἠμὰθ νῦν Ἐπιφάνεια προσαγορευομένη, Ἠμὰθ δὲ τὴν μεγάλην Ἔμισαν ὀνομάζει ἡ θεῖα γραφή.

Quod si ita obstinatum erat interpretibus, nec veteribus solum, sed et recentioribus, aliam, praeter Epiphaniam, Hamatham habere, quamquam quae caussa sit, tam anxie novam Hamatham quaerendi non video, cur non potius de Apamea cogitabant? Haec enim Arabibus حماة, Syris ܚܡܬ dicitur, ut disces ex Assemani indice geographico T. II. bibliothecae orientalis praemisso. Nempe, ut hic obiter rationem reddam, cur pluribus Orientis urbibus ac regionibus commune nomen sit חמת, significat, sive, *urbem munitam* moenibusque cinctam, sive, *regionem, quam nobis solis vindicamus, armisque tuemur, si alii usurpare audeant*, oppositam liberis desertis, ubi omnibus jus pascendi conceditur. Verbum Arabicum حمى est, *custodire, praesidio munire, defendere.* Hinc حمي *loca vel pascua*

aliis prohibita, ut in chreſtomathia noſtra p. 46. حمي الوقبي, *loca defenſa Vakbae*. Hebraeus dixiſſet, חמות יקבה.

Clariſſimus utriusque, et Germaniae et Belgii theologus, Nicolaus Barkey, in diſſertatione de Aſima (*) §. 19. ſeqq. hactenus nobiscum conſentit, ut Hamatham, nobilem urbem, cujus frequens in ſacris literis mentio, Epiphaniam agnoſcat: ſed de Hamathenſibus Chananaeis Geneſ. X, 18. diſſentit. Nobilem enim illam Hamatham coloniam eſſe vult Aegyptiorum, nomenque adeo ipſum ab Aegyptia urbe *Chemmi*, vel *Chemni*, nunc *Echmin* (**), deducit (ut fieri in conjecturis ſolet) cui hypotheſi ne contradicat Moſes, Hamatham Phoenicum coloniam faciens, Hamathenſes noſtros ab incolis Hamathae, quae et Epiphania, ſedulo diſtinguit, vix certi tamen quid habens, ubi hos Chanaane oriundos Chamathaeos quaerat, deletos forte a Casluchaeis, ſuſpicans. Mihi quidem argumenta viri doctiſſimi nunquam perſvaſerunt, Hamatham ad Orontem Aegyptiorum coloniam fuiſſe: cumque ſit חמת nomen in Syria Arabiaque uſitatiſſimum, proprium ex adpellativo factum, non opus eſſe videtur, nomen urbis in media Syria ſitae artificioſe et in ſubſidium vocatis alliterationibus ab Aegyptio derivare. Quod Hamathae ad Orontem opponit, extra eos fines ſitam eſſe, quos Moſes Phoenicibus verſu 19 aſſignavit, diluetur noſtra ejus verſus explicatione, atque etiam ab hac ſi diſceſſeris, certum tamen eſt, Moſen colonias Phoenicum extra illos fines, et Sidoni ſeptentrionales commemorare, Arcam, Simyram, Aradum.

(*) In bibliothecae Bremenſis Claſſe I, Faſc. I. n. 6.

(**) أحميم. Vide Abulfedae Aegyptum num. 45.

dum. Hamathenſes legens, non conjicio de incertis, nec aliam temere intelligo Hamatham, quam eam ipſam, cujus idem Moſes in finibus Israelitarum regundis mentionem fecit.

Venema in commentario ad Jerem. XXXV, 2. ſuſpicari coepit, noſtram ad Orontem Hamatham deſignari, dicique *Hamatham patris Rechabitarum*, cum 1 Paralip. II, 55. Kenitae veniſſe dicuntur, מֵחַמַּת אֲבִי בֵית רֵכָב, *a Hammath patris Rechabi*, רכב conferens idemque putans cum רחב Num. XIII, 21. Joſ. XIX, 28. Judic. XVIII, 28. Quae quidem nobis ſententia plures ob cauſſas parum videtur veriſimilis. Punctis contrariam quilibet videt, Hamatha enim חֲמָת ſcribitur, hic חַמַּת legimus: ſed ab horum auctoritate me non contradicente ſecedamus. Antiquorum nemo eam praeivit, LXX graeca ſcriptione utrumque nomen diſtinxerunt, cum enim Hamatha ad Orontem illis Ἡμὰθ ſit, 1 Paral. XVIII, 9. hic Ἁιμὰθ ſcripſerunt. Vulgata vertit: *qui venerunt de calore patris domus Rechab:* Chaldaeus: *qui venerunt de ſemine Moſis.* Sed nec horum ſpectemus auctoritatem, licet in quaeſtione geographica non plane nullam: de re ipſa diſpiciamus. Veri diſſimile, urbem nobiliſſimam, inclyti et magni regni ſedem, multo antiquiorem, a progenitore Rechabitarum, multum recentiore, cognominari: cumque plures fuerint, ut dixi, Hamathae, legens, *Hamatha progenitoris Rechabitarum*, cenſuerim potius, hoc cognomine ab Hamatha metropoli diſtingui. Deinde plane inſolens et inaudita Hebraeis literarum כ et ח permutatio. Fateor, ab Arabibus nonnunquam in nominibus propriis exoticis ſcribendis has literas permutari: verum id inde, primo, quod exoticorum vocabulorum ſcriptio plerumque in ambiguis fluctuat, deinde, quod Ju-

daei et Christiani Arabica Hebraicis Syriacisque literis scribentes, pro خ substituunt כ̄ et כּ, qui mos est multo recentior, quam ut interpretandis sacris Hebraeorum literis commodari possit. Nec Arabes hac literarum כ et ח permutatione in nominibus propriis domesticis utuntur.

Si quis autem jubeat hac occasione dicere, quid de 1 Paral. II, 55. ipsi sentiamus: sciat, nos, ne de lectione quidem satis certos, has inter dubitare adhuc et fluctuare explicationes.

1) Si puncta sequi velis, חַמָּה idem esse videbitur, quod حَمَّة *thermae*, vertendumque: *qui venerunt a thermis progenitoris Rechabitarum.* Eone referenda Vulgata, quae obscurius, *de calore patris domus Rechab*, habet?

Fuerint forte hae thermae in Arabia, fontium medicatorum divite: quamquam nec contradixerim, si quis ipsum fontem, ad quem Moses in Midianitide consedit, intelligat, possit enim nomen latius aliquando patere, nec solos salutares, sed et alios fontes nobiles significare.

2) A punctis recedens si חֲמַת legas, pascua intellexerim in Arabia, quae sibi solis vindicabant progenitores Rechabitarum, vocabulo eadem significatione accepto, quam حمي apud Arabes habet, *loca, quae quis ut sua defendit.* Ex adpellativo in proprium transierit, utque Arabes *Himalvakba* dicunt, Hebraei antiquas sedes Rechabitarum *Hamath Beth Rechab*, (Arabice id foret حمي بيت الركب) dixerint.

3) Nec tamen suspicionem mihi excutere possum, olim מחמי משה אבי בית רכב *a socero Mosis, Rechabitarum pro-*

progenitore, ſcriptum fuiſſe. Non quidem omnia expedio, id tamen video, Chaldaeum Moſis nomen exprimere, quo lecto, literae · · · · כתח aliquid adfinitatis innuere videntur.

* * *

GENES. X, 18. 19.

ואחר נפצו משפחות הכנעני ויהי גבול הכנעני מצידן באכה גררה
עד עזה באכה סדמה ועמרה ואדמה וצבים ועד לשע

i. e.

Poſtea regionem totam inundarunt familiae Chananaeorum, fuitque terminus eorum, Sidone inde Geraram, et Gazam usque, indeque Sodoma, Gomorrham, Admam, Sebojim, et Callirrhoen.

Sententiam hanc eſſe puto: Chananaeos his antea in maculis Palaeſtinae Syriaeque habitantes, quas Moſes dixerat, ſenſim totam Palaeſtinam inundaſſe, ita ut continuis jam ac clauſis finibus omnia Sidonem inter et mare mortuum habitarent. Nempe ante Chananaeos, Nomadum errantium erat Palaeſtina, qui non aegre ferebant, colonias mercatorum in portus aliquasque partes terrae ſuae deduci: ſed hi coloni, plane ut in Africa Carthaginienſes, tota ſenſim terra potiti, nec emporiis ſolis contenti, poſſidebant et arabant, loco priſtinis poſſeſſoribus non relicto. Vide *commentationem* noſtram *de Nomadibus Palaeſtinae:* aut, ſi mavis, *juris Moſaici* §. 31. Jam de ſingulis verbis.

נפצו, vel, ut alii codices a Kennicotto numerati habent, נפוצו, noli de coloniis Phoenicum, late per oras

 maris

maris mediterranei diſperſis, intelligere. Illae fere omnes Moſe multo recentiores, ut ab illo memorari non potuerint: nec verba ſententiam ferunt. Eae omnes, quas dixerat Moſes, coloniae Chananaeorum per Palaeſtinam erant et Phoenicen diſperſae: jam ſi id dicere velit, poſtea Chananaeos trans mare deductis coloniis in Europa quoque et Africa late conſediſſe, verbulum addere debuiſſet, quo has transmarinas colonias diſtingueret, מעבר לים *trans mare*, aut ſimile quid.

פרץ, ut dudum docuit Schultenſius, Originum Hebraicarum libro I, c. 4. §. 7. exque uſu Arabum conſtat cuilibet Arabice mediocriter docto, eſt, *fluere*, *late diſfluere*. Hic ergo ſic accipio: *Chananaeos totam Palaeſtinam*, *cujus fines deinde deſcribuntur*, *has inter colonias ſitam*, *inundaſſe*, *occupaſſe*, *poſſediſſe*, *ac clauſo*, *ut dicunt in jure*, *territorio habitaſſe*. Res ingrata priſcis incolis.

Deſcribuntur jam terrae ab illis occupatae trianguli in morem termini:

1) ſeptentrionalis, Sidon. Ultra Sidonem enim Phoenices litora habitabant anguſta, mare inter, et Libanum ei imminentem: exceptis ſolis Hamathenſibus.

2) Auſtralis ab occidente, Gerara et Gaza.

3) auſtralis ab oriente, Sodoma, Gomorra, Adma, Sebojim, et Callirrhoe.

Pleraeque urbes ſatis notae, nec ad geographiam exteram, ſed ad Palaeſtinenſem pertinent, ut de illis Relandum interrogari malim, quam dicta ab eo repetere.

De ſola לשע (*Leſcha*), quamquam et eam attigit, dicendum. Callirrhoen ad mare mortuum eſſe, Hieronymo, harum regionum peritiſſimo et diu in illis verſato, credo.

credo. Sic ille in Quaestionibus in Genesin ad hunc locum: *Lisa ipsa est, quae nunc Callirrhoe dicitur, ubi aquae calidae prorumpentes, in mare mortuum defluunt.* In Thargum Jonathanis קלדוהי per Daleth legitur, manifesto errore librarii, pro קלרוהי, *Callirrhoe.* In historia quidem belli Nesibeni §. XVI. p 104. suspicatus sum, Callirrhoen eam esse, quae nostro tempore Crach vel Caracha dicitur, quod ejus thermas Abulfeda (p. 89. 90. Syriae) memorat: sed obstare videtur, quod aliis argumentis Crach mihi jam potius est *Kircheres* (קִיר חרשׂ) Hebraeorum; nec thermae certum indicium, sunt enim in toto illo tractu frequentes.

Thermarum Callirrhoensium descriptionem ex Josepho subjungere liceat. Sic ille l. I. de Bello Jud. c. 33. §. 5. de Herode Magno, insanabili morbo laborante: διαβὰς τὸν Ἰορδάνην τοῖς κατὰ Καλλιῤῥόην θερμοῖς ἐκέχρητο. Ταῦτα δὲ ἔξεισι μὲν εἰς τὴν Ἀσφαλτῖτιν λίμνην, ὑπὸ γλυκύτητος δ᾽ ἐστὶ καὶ πότιμα. *Trajecto Jordane thermis prope Callirrhoen utitur. Hae in Asphaltiten lacum effluunt, atque ob dulcedinem etiam bibi possunt.* Sic et Ant. XVII, 6, 5. θερμοῖς τοῖς κατὰ Καλλιῤῥόην, ἅπερ σὺν τῇ εἰς πάντ᾽ ἀρετῇ καὶ πότιμά ἐστι.

Lectio Samaritana, ex qua fines Chananaeorum pertinuisse dicuntur, מנהר מצרים עד הנהר הגדול נהר פרת ועד הים האחרון *a fluvio Aegypti, usque ad fluvium magnum Euphratem, et usque ad mare occidentale,* manifesta sunt ex capite XV, 18. interpolatio, codici Samaritano non honorifica. Ad Euphratem potuerint fines Amoraeorum, forte et Hamathensium, pertinere, non nego: at fluvium Aegypti inter et terminos Chananaeorum Philistaea interfuit, ab Aegyptiorum colonia habitata.

Genes.

* * *

GENES. X, 21.

ולשם ילד גם הוא אבי כל בני עבר אחי יפת הגדול

Interpretationem latinam non adſcripſi, de ſententia verſus obſcuri incertus, eumque in mendo cubare ſuſpicans. Conſului ergo biblia Kennicottiana, ſed codices ibi excerpti nullam habent alicujus momenti lectionem variam, nullam certe, cujus ope dubia mihi ſubnata expedire queam. Puncta maſorethica accentusque ſi ſequaris, haec prodibit verſio: *atque Semo quoque ipſi ſoboles fuit*, *patri omnium Transeuphratenſium*, *fratri Japhethi majoris*. Haec tamen ipſa ut ex Hebraicis efficias, non una opus anomalia. De ſingulis agemus verbis.

ולשם יֻלַּד, ſecundum puncta acceptum, paſſivum erit, *et Semo natum eſt*, i. e. *nati ſunt filii*. Sic fere omnes veteres, LXX, Vulgata antiqua et recentior, tres Chaldaei, Arabs uterque. Eſt aliqua mediocris in verbo ſingularis numeri, ילד, difficultas, quam ad enallagen numeri referre ſolent, ſimilia citantes exempla, ex hoc ipſo capite v. 25. ולעבר יֻלַּד שני בנים Geneſ. XLI, 50. וליוסף יֻלַּד שני בנים. Nec obſtrepo, nam et Arabes ſequente nomine plurali verbum ſingularis numeri praemittere poſſunt: facilior tamen ratio, quam ſupra tentavi, *natum eſt*, i. e. *ſoboles fuit*: quid enim opus plurali verbo, ubi nullum ſequitur nomen plurale?

Poſſis tamen et active יָלַד efferre, hac conſtructione: *et ad Semum quod attinet*, *genuit ille quoque*. Sic ſolus Syrus.

Res non magni momenti, utcunque conſtruas eadem proditura ſententia: ſed valde turbat, quod ſequitur, גם

הוא

הוא etiam ipse, et ſuperfluum, nec legibus grammaticis ſatis conſtans. Conſtruunt cum praecedentibus, et vertunt, *Semo filii nati ſunt etiam ipſi.* Hic quidem primo, *etiam ipſi*, languide redundat: cur enim non et Semo naſcerentur? mirumne id, ut addi debeat tanquam inexſpectatum? impotentiaene ſuſpectus erat? Deinde dicendum fuiſſet, גם לו, non גם הוא, quod eſt, *etiam ipſe.* Miror, neminem ex interpretibus hic ſuſpicioſum fuiſſe.

Utinam particula גם careremus, atque ita legeremus, ולשם ילד הוא אבי כל בני עבר *Semo nati ſunt (hic eſt pater omnium Transeuphratenſium, et frater Japhethi natu majoris)* Jam, reaſſumta ſententia verſus 22. *Filii ergo Semi ſunt.* Sed nullam invenio varietatem lectionis: mendum video, ſed tam antiquum, ut nec ex codicibus, nimis illis recentibus, nec ex verſionibus corrigi poſſit. Nihil ergo interpreti praeter conjecturam criticam relinquitur.

אבי כל בני עבר ex plerorumque interpretatione eſt, *pater omnium filiorum Eberi*, ejus nempe, qui verſu 24 ut pronepos Semi commemorabitur. Sic jam LXX πατρὶ πάντων τῶν υἱῶν Ἔβερ. Eſt vero, ut recte monuit Clericus, frigidiſſimum dictu, omnes poſteros pronepotis fuiſſe etiam proavi poſteros: quis enim id neſcit, docerique opus habet? Ergo malim illis accedere, qui בני עבר explicant, *incolae regionis Transeuphratenſis*, ut Aſſyrii, pleniore phraſi, Jeſ. VII, 20. עברי הנהר, *Transeuphratenſes*, vocantur. Ita Chaldaei ſequiores, אבוהון דכל בני עבראי, clariusque etiam Raſchi, *pater omnium filiorum trans Euphratem fuit Semus*: atque, niſi fallor, ex antiquioribus Joſephus Ant. I, 6, 4. Σήμᾳ δὲ, τῷ τρίτῳ Νωέου υἱῷ πέντε γίνονται παῖδες, οἳ τὴν μέχρι τοῦ κατ' Ἰνδίαν Ὠκεανοῦ κατοικοῦσιν Ἀσίαν, ἀπ' Εὐφράτου τὴν ἀρχὴν πεποιημένοι: i. e. *Semo*, *tertio*

Noachi filio, quinque fuerunt posteri, qui omnem usque ad Indicum Oceanum Asiam, inde ab Euphrate, habitarunt. Quin suspicor, Eberum, non a parentibus aut coaevis hoc nomine vocitatum, sed a posteris, maxime Israelitis, quod progenitor Transeuphratensium esset; plane ut ab Arabibus Hud (هود) vocatur, quia sator Judaeorum fuit. Vide Herbeloti bibliothecam orientalem p. 460. et Corani Suram. XXVI.

אחי יפת הגדול ambiguae constructionis est, possetque verti, *frater Japhethi natu major*, et, contrario plane sensu, *frater Japhethi natu majoris.* Chronologia quidem posteriorem explicationem non svadet solum, sed et praecipit: cum enim filiorum suorum, diluvio superstitum, primum centesimo ante diluvium anno genuerit Noachus, Genes. V, 32. VI, 11. Semus autem biennio demum post diluvium centesimum annum vixisse dicatur, c. XI, 10. non potuit primogenitus Noachi esse. Sic ergo LXX acceperunt, ἀδελφῷ Ἰαφὲθ τοῦ μείζονος nulla lectionis varietate vertentes, et ex Rabbinis doctissimi.

At alii *majoris* epitheton ad Semum retulerunt, ut Vulgata, *de Sem, fratre Japheth majore*, incertum, errore chronologico, an quod *majoris* nomen spirituali sensu de eo, quem Bochartus (*) primatum Semi dixit, acciperet. Sic certe Chaldaei sequiores, רבא ברחלתא דיהוה, *major ob timorem Domini*, et Salomon Ben Melech, vera interpretatione praemissa: *majori annis. Sic et Rabbini nostri interpretati sunt, Japhethus enim fratrum maximus fuit aetate: sed sunt alii, qui majorem honore et existimatione interpretantur.* Alias quidam apud Abenesram rationes ineunt, artificiosiores, quam ut descriptu digni videantur.

Mihi

(*) Phaleg. libr. II. c. 1.

Mihi quidem, ſive הגדול, ſive totum adeo comma, valde ſuſpectum. Primo enim, quid attinebat dici, *Semum fratrem Japhethi eſſe*, cum id omnes Moſis lectores dudum ſcirent? et ſi hoc placebat addi, cur non et alterum, eſſe Chami fratrem? Deinde, verba ut jacent legens vix poterit aliter intelligere, quam, *frater Japhethi natu major*, manifeſto errore chronologico: ea autem interpretatio, quae *majorem pietate*, *honore*, *exiſtimatione* vult, coactiſſima ac parum probabilis. Duplex ergo mihi ſubnata, ſuſpicio dicam? an conjectura critica?

1) Quid? ſi Moſes ſcripſerit, הקטון *minor*, idque Judaei per euphemiſmum, inque honorem patris, mutarint in הגדול? Eſt tamen conjectura ſine teſte.

2) Mallem, Moſen ſic ſcripſiſſe: גם הוא אבי כל בני עבר עם אחיו יפת הגדול egregia proditura ſententia: *hic quoque cum fratre ſuo majore, Japhetho, pater fuit omnium trans Euphratem.* Qui enim ultra Euphratem colebant, omnes aut Japhethitae aut Semitae.

Hanc ipſam ſententiam ex textu conſveto exſculpere Clericus adgreſſus eſt, ante יפת ſubintelligens עם. Sed dura ellipſis, licet eam, ſuo pro more, habeat Noldius, exemplisque nixa, aliis incertis, falſis aliis: deinde manifeſtum admittitur vitium grammaticale, ſi אחי יפת vertamus, *cum fratre Japhetho*, ſtatus enim conſtructi eſt אחי, unde ſequitur, ut Japhethi nomen, ex conſveta lectione, in genitivo ponendum ſit.

Suſpicari non deſino. In hoc tamen quoque commate nihil omnino varietatis reperit Kennicottus, nec ex antiquis verſionibus alia exſculpi lectio poteſt. Mendo ſi laborat, valde antiquum eſſe neceſſe eſt, nec poteſt niſi conjectura tolli.

* * *

GENES. X, 22.

Filii Semi ſunt עילם, *Elamitae.*

De Elamitis, Elymaidis incolis, dubitari nequit, egeruntque, cum Bochartus l. II. c. 2. tum Cellarius P. II. geographiae antiquae p. 801. ſeqq. Ergo parum ſpicilegii relictum.

Nomen diu ſervarunt Syri, iisdem adeo literis ſcriptum, ܥܝܠܡ, unde Elamitas ܥܝܠܡܝܐ dicunt. Plenius haec Aſſemanus in bibliotheca Orientali T. III. P. II. p. 419-421. ex domeſticis Syrorum monumentis docens, quatuor eſſe populos, qui in unum coaluerint, ut una eademque regio cenſeatur, 1) ܥܝܠܡܝܐ *Elamitas* ſeu *Elymaeos*, 2) ܫܘܫܝܐ vel ܫܘܫܢܝܐ *Suſios*, 3) ܗܘܙܝܐ *Uzios*, *Uxios*, *Oxios*, et 4) ܟܘܣܢܝܐ *Cuſſaeos*, horumque quatuor populorum terram communi nomine *Churiſtan* خورستان vocari, pro quo alii *Chuziſtan* ſcribant. Haec ille: unde diverſa ſcriptio, ex errore nempe librariorum, quisque videt Arabicarum literarum mediocriter peritus, Churiſtan enim (خورستان) et Chuziſtan, (خوزستان) ſolo puncto diacritico differunt. Accedebat forte et alia errandi cauſſa, confuſio nominis Churiſtan, quod eſt totius regionis, cum Huziſtan (هوزستان), quae eſt quarta ejus pars, ſupra memorati *Uzii*, Syris ܗܘܙܝܐ, Arabibus أهواز; et cum Chuſiſtan, (ܟܘܣܝܣܛܢ) alia regionis quarta parte, a Coſſaeis habitata. *Churiſtan* nomen ſcribit Abulfeda, indicato tamen aliorum diſſenſu: *in Homonymis*, inquit, *refertur*, *Churi-*

Churiſtan (خورستان) *etiam dici Chuz* (خوز) *per Cha punctatum, Vau, et Ze punctatum.*

Jam melius orientales intelligemus interpretes. Arabicus chronicorum, *Churiſtanam* poſuit pro Elam: contra qui prophetas Arabice vertit Jeſ. XI, 11. XXII, 6. Jerem. XLIX, 34. pro עילם, ſeu potius pro Graeco Αἰλάμ et Ἐλαμῖται (ex Graeco enim interpretabatur) *Ahvazam* (الاهواز), unam ex quatuor partibus regionis Churiſtan, cujus incolae erant Huzitae, urbsque primaria jam *Beth Laphet* (ܒܝܬ ܠܦܛ), jam *vicus Huzitarum* (ܩܪܝܐ ܕܒܝܬ ܗܘܙܝܐ, سوق الاهواز) dicebatur. Vide Aſſemani bibliothecam orientalem T. III. P. II. p. 758. Adjicio deſcriptionem Abulfedae, quod typis nondum vulgata eſt, ex codice Pariſienſi num. 303: والاهواز كورة من كورة خورستان وتسمّي الاهواز ايضا بهنو شهر وهي من اعظم كور خورستان وقال في اللباب يقال لها سوق الاربعا ايضا وقال في المشترك وسوق الاهاز وهي مدينة الاهواز وهي خورستان وقد خرب اكثرها قال في العزيزي ومنها الى مدينة اصفهان ثمنون فرسخا قال في المشترك ويقال لمدينة الاهواز سوق الاهواز i. e. *Ahvaz eſt regio de regionibus Churiſtanae, appellaturque alio nomine Manu Schahr* (Reiskius in ſuo codice legebat Hormoz Schahr) *eſtque ex maximis Churiſtanae regionibus. Refertur in Medulla, vocari etiam Sauk elarbaa* [forum diei Mercurii, nempe quod die Mercurii mercatum haberet (*)]: *inque Homonymis, Sauk-el-Ahvaz (forum Ahvaz) eſſe urbem Ahvaz, alio nomine Churiſtan, jamque plurimam ejus partem vaſtatam eſſe. Dicit Azizi: ab ea Ispahanam ſunt octoginta paraſangae. Dicitur in Homonymis: urbs Ahvaz eſt Sauk-el-Ahvaz.*

Mani-

(*) Vide noſtras epiſtolas de 70 hebdomadibus Danielis, ad Joannem Pringle, Baronetum, datas (Londini 1773) pag. 117. 118.

Manifeſtus error, a Bocharto jam notatus, forte non Syri interpretis, ſed librariorum (*), nomen Alanorum (ܐܠܢܝܐ) pro Elamitis Act. II, 9. in exemplis impreſſis verſionis Syriacae poſitum. Occaſio errandi, niſi fallor, haec fuit, quod, cum Syri ſcribere nomen Elamitarum per Ain ſoleant, ܥܝܠܡܝܐ, interpres N. T. pro ſuo more per Aleph ܐܝܠܡܝܐ ſcripſerat, ut et Arabs Erpenianus ex eo deſcripſit: ſolent enim nomina propria non pauca aliter ſcribere, ubi ſui ſunt, aliter, ubi Graeca interpretantur (**). Vetus tamen error, quem correxit Heracleenſis verſio, teſte Barhebraeo: ܘܐܠܢܝܐ ܚܘܪܟܝܐ ܥܝܠܡܝܐ ܗ̇ ܗܘܙܝܐ ܐܡܪ ܘܠܡܗܘܢ ܐܠܢܝܐ *pro Alanis Heracleenſis habet. Elamitas, id eſt, Huzitas, dicitque neutiquam eſſe Alanos* (***).

Alanos, Europae populum ad Tanaim, tam fuiſſe notos Syris, ut ſive ab interprete ſive a librariis confundi cum Elymaeis poſſent, erit forte qui miretur. Monuit ergo Aſſemanus, eos intelligi, quos Alonos vocat Plinius, Gordyaeisque jungit, libr. VII. c. 26. §. 30. *Gordyaeis*, inquiens, *juncti Aloni, per quos Zerbis fluvius in Tigrim cadit.* Non repudio; ipſi tamen ad Tanaim Alani ſatis per Syriam noti, ingenti eruptione facta, magnaque Aſiae clade, ſaeculo jam poſt Chriſtum natum primo clari. Vide Joſephum de Bello Judaico, l. VII, c. 7. §. 4.

Perſae

(*) *Vide curas noſtras in actus apoſtolorum Syriacos* p. 55. 56. ubi monitum, Arabem Erpenianum in Syro Elamitarum nomen legiſſe.

(**) Vide noſtram bibliothecam Orientalem T. VII. p. 157. 158.

(***) Verba Barhebraei ſumſimus ex Aſſemani biblioth. Or. T. III. P. II. p. 420.

Perſae et Elymaei, vicinae gentes, ſed ortu diverſae fuiſſe videntur: hi quidem Semo orti, ad quem Perſas referre non ſolemus. Diſtinguit etiam Alexander Magnus, in oratione ad milites habita: καὶ Βαβυλὼν δὲ ἔχεται, καὶ τὸ Σουσίων ἔθνος, καὶ Πέρσαι καὶ Μῆδοι, καὶ ὅσων Πέρσαι καὶ Μῆδοι ἐπῆρχων (*), i. e. *Babylon jam veſtra, et Suſiorum gens*, (vide pag. 68.) *Perſaeque, et Medi, et omnes, quibus Perſae et Medi imperitabant.*

De inſigni loco 1 Maccab. VI, 2. in commentario in hunc librum egi, ſimulque oſtendi, impletum eſſe vaticinium Jeremiae, c. XLIX, 39. de reſtitutione Elymaidis, quae Strabonis tempore ſuas reges habuit. Haec ergo non repeto.

* * *

ואשור *et Aſſyrii.*

Aſſyrii quin intelligantur, nemo dubitaverit. In his tamen, quae Bochartus l. II. c. 3. de Aſſyriis habet, aliqua corrigenda.

Aſſyria proprie ſic dicta, Graecis Adiabene, cum in Gemara aliisque Rabbinorum libris tripliciter ſcribatur, הדייב, חדייב, et חרייב, Bochartus primum הדייב, praefert, in quo ſine dubio fallitur. Vidit, Adiabenen vocari, non ex etymo graeco, ſed a flumine Lyco, qui Aramaeis דיב ſit, hoc quidem recte: ſed putat, ei eſſe praepoſitum He Hebraeorum articulare, ſcribique הדיב. Contra primas hic leges grammaticas peccatum: ut enim taceam, Aramaeos et Aſſyrios He praefixum articuli non habere, ne apud Hebraeos quidem partem nominis proprii ita facit,

(*) Arrianus de expeditionibus Alexandri libr. V. c. 25. p. 229.

cit, ut et ab exteris efferatur. Ut exemplo utar, Carmelus mons est כרמל, cui nomini potes articulum praefigere, הכרמל, sed nemo unquam *Accarmelum* vocavit. Certum potius et exploratum censeo, veram scriptionem esse חריב per Cheth, idque duce lingua Syriaca, in qua Cheth et He, figura diversissimae literae, permutari per socordiam nequeunt: Syris enim sine dubio est ܚܕܝܒ, aut si plenius scribatur, ܚܕܝ ܝܒ, fluvii primo, Lyci utriusque, deinde et regionis interjectae, seu propriae Assyriae nomen. Vide Spicilegii partem I. p. 243.

Syris Assyriae nomen, Schin pro more Aramaeorum in Thau mutato, *Atthur* (ܐܬܘܪ) scribi solet, unde Latinum Graecumque *Aturia*, et *Atyria*, de quo consules Bochartum. Hoc tamen in loco Schin retinuit Syrus interpres, scripsitque ܐܫܘܪ; Chaldaei autem, suae linguae adpellationem sequuti, אַתּוּר. Arabs Polyglottorum cur *Mosol* (الموصل) vertat, jam dixit Bochartus, nempe quod urbs Mosol (*pontem* diceres latinae) vastatae urbi Nino successit, quae olim caput fuit Assyriae. At Maurus Hebraicum اشور retinuit. Arabicus chronicorum interpres Assyrios suo loco omisit, addens in fine versus post Aramaeorum colonias, ibique موصل vocans; manifesto librariorum errore.

De nomine Assyriae, latius olim apud Graecos patente, et Syriam quoque complexo, videbis Bochartum: verum alia hic Hebraicorum scriptorum ratio, Assyrios et Aramaeos distinguentium, eadem lingua utentes, sed ortu diversos. Victoriae Assyriorum fecerunt, ut victas ab illis gentes Aramaeas eodem nomine Graeci complecterentur. Unde autem nomen ortum, a beata regione, an a proge-

progenitore gentis, aut duce, mea non refert, eſtque in incertis. Joſephus quidem utrumque conjungens, Ἀσούρας, inquit Ant. I, 6, 4. Νῖνον οἰκίζει πόλιν, καὶ τοὺς ὑπηκόους Ἀσσυρίους ἐπωνόμασεν, οἱ μάλιστα εὐδαιμονοῦσιν, *Aſur Ninum urbem condidit, eosque qui ipſi obediebant, Aſſyrios cognominavit, qui ſunt beatiſſimi.* De hiſtoria Aſſyriorum quid ſentiam, et quae putem mendaciis Graecorum certiora colligi poſſe ejus fragmenta, in praefatione Jeſaiae germanice redditi dixi.

* * *

וְאַרְפַּכְשַׁד et *Arphaxad*,

ſeu potius,

et Arphachasd.

Nomen viri hoc eſſe, non populi, ex ſequente inde a verſu 24 genealogia, et cap. XI, 12-26. certum eſt: non debebant ergo de populo aut urbe cognomine ſolliciti eſſe interpretes, ſufficit, quod Moſes narrat, majores Loti et Abrahami, felicisque Arabiae incolas, Arphaxado prognatos eſſe. Sic ille ſat magnorum populorum pater. Suſpectum ergo, quod *Arrapachitidi*, Aſſyriae parti, nomen ab eo ducit Bochartus, cui conjecturae ne cum Moſaica quidem hiſtoria ſatis convenit. Nec enim Aſſyrios Arphaxado poſteros attribuit Moſes, nec Abrahamum ex Aſſyria, ſed ex Chaldaeorum terra veniſſe auctor eſt. Negliguntur praeterea in Arphaxadi nomine ultimae duae literae שׁד, ſi Arrapachitidi conferamus. Magis etiam diſplicet, quod Beckius ad 1 Chron. I, 17. de Artaxatis habet, urbe multo recentiore, ab Hannibale enim conditam, et in Artaxiae regis honorem ita dictam, auctor eſt Strabo, regionum inter Caspium mare et Pontum Euxinum peritiſſimus.

tiſſimus. Hic ut in dubiis relinquam (*), quod de Hannibale traditur, id tamen certum videtur, ab Artaxia eam rege, Hannibalis coaevo, nomen accepiſſe, nec negat Beckius, illud ארתחששתא ſcribendum videri.

Antequam ad alia majoris momenti pergere poſſim, de ſcriptione nominis dicendum. Syrus enim, cum hic, tum in libris chronicorum, per R, Arphachſchar (ܐܪܦܟܫܪ) ſcripſit, manifeſto, ut mihi videtur, librariorum peccato. Certe nulla, nec in Hebraicis nec in Samaritanis codicibus, varietas lectionis a Kennicotto obſervata: Syrique librarii eundem errorem et in Novo Teſtamento commiſerunt, Luc. III, 35. ubi in Graeco ſine dubio eſt Ἀῤφαξὰδ, ܐܪܦܟܫܪ ſcribentes.

At de ש dubito, ſitne ut Schin appellandum: chronicorum enim interpres Chaldaeus Samech ſubſtituit, ארפכסראי, ac ſi eſſet ארפכשד per Sin, nec ſuſpicionem mihi excutio, in ultimis tribus literis nomen Chaldaeorum latere.

Jam ad id perveni, de quo, ſi licet, agam copioſius. Non pauci ſunt, qui Chaldaeos Arphaxadi poſteros faciunt, ipſeque adeo Joſephus, Ant. I, 6, 4. *Arphaxades*, inquit, *his, qui nunc Chaldaei vocantur, nomen dedit, progenitor gentis.* Cui quidem ſententiae neutiquam ea oppoſuerim, quae Bochartus (**), gratis tamen ſumi puto. Abra-

(*) Vide enim Cellarii geogr. T. II. p. 789. 790.

(**) Chaldaeorum conditorem facit Chaſedum, Nachoris filium, Geneſ. XXII, 22: vultque, Uram Chaldaeorum, ex qua egreſſus Abrahamus, per prolepſin *Chaldaeorum* dici. l. II. c. 4. Verum quo argumento noverat, ab hoc Chaſedo, tam recente, ortam Chaldaeorum gentem, ejusque nomen, ubi diu jam ante Chaſedum occurrit, per prolepſin poni? Nullo certe alio, quam, quod T. I. p. 171. quale ſit in Francorum exemplo poſui.

Abrahamum Ura Chaldaeorum egreſſum Moſes tradit, ſed nunquam Chaldaeis adnumerat: cumque Aramaei et Chaldaei diverſi ſint, cum aliis ſcriptoribus (*) ſacris, tum Moſi, populi, Labanem, Abrahami fratris filium, Aramaeum (**) vocare Moſes ſolet, ipſum quoque Abrahamum ſine dubio Aramaeum dicturus, ſi occaſio tuliſſet.

Nec tamen diſſimulo, in Arphaxadi nomine literas כשד ineſſe, quibus Chaldaeorum, ſeu, ut Hebraice efferam, Chasdaeorum nomen ſcribitur; maxime, ſi a punctis ſecedens, אַרְפְּכֶשֶׁד i. e. *Arphcheſed* vel *Arphchasd* ſcribas, quae mihi verior videtur appellatio. Nec tamen ideo Arphchasdus Chaldaeorum progenitor, quorum nomini proprio tres primae literae, in Arphchasdi nomine praepoſitae, ארף, deſunt. Apud Arabes quidem hae ipſae literae ارف *terminum*, *fines*, ſignificant (***): unde mihi videtur Arphachasdus hoc nomen, ſeu potius cognomen, apud Hebraeos accepiſſe, quod pars poſterorum ejus, ea certe, ex qua Abrahamus ortus, *in finibus Chaldaeorum* habitaret, ſedibus utriusque gentis mixtis. Frequens Orientalibus, inclytos viros non eo vocare nomine, quod vivi habuerunt, ſed cognomine, a fatis, poſteris, rebusque geſtis ducto, unde

(*) Jerem. XXXV, 11. *ab exercitu Chaldaeorum, et exercitu Aramaeorum.*

(**) Geneſ. XXXI, 24.

(***) Cum celeberrimo *Schloetzero*, collega et amico ſingulari, de Arphchasdo nuper colloquens, audio, cum jam in hiſtoria borealium regnorum edita anno 1771. eandem nominis explicationem obiter prodidiſſe. Locus eſt in, *Allgemeiner Welthiſtorie* Tom. XXXI. p. 235. infima: ארפכשד *Arab. die Gräntze von Chaldaea, vielleicht urſprünglich ein Länder - und kein Mannes - Nahme.* Hic mihi conſenſus commendat, facitque veriſimiliorem ſententiam, cujus ſua ſponte duobus in mentem venerat.

unde non parum caliginis hiſtoriae obfundi ſolet. Vide quae de Eberi nomine pagina 65. 66. ſcripſimus; alia hujus moris exempla in nota (*) ſubjiciemus.

Chal-

(*) Alexandrum Magnum ab Arabibus *Dulcarnein*, *duplici cornu praeditum*, vocari, non ſuo nomine, vix eſt qui ignoret, nec cauſſam cognominis ignorare poteſt, qui Alexandri imaginem cum duplici cornu in nummis expreſſam vidit. Sauli nomen Arabicum eſt, *Taluth*, طالوت, a proceritate ductum, طال enim eſt, *procerus fuit*. Henochus, quem literarum inventorem fingunt, valdeque eruditum, *Edris* (ادريس) nomen ab eruditione accepit. Vide Coranum c. XIX, 57. et Herbeloti bibliothecam orientalem pag. 310. ſub, Edris.

Haud pauca nomina biblica ejusdem generis eſſe, id eſt, non tam nomina, quam cognomina, inſignis hiſtoriae cum adpellativa ſignificatione concentus prodit. Habeli nomen, (הבל) *vanitatem* et *orbitatem* notans, videri poteſt ex fatis viri, cito occiſi, ſumtum, eſt certe هبل *orbitas*, a ſpe vana dicta: ſed id in dubiis relinquamus, licet certum putemus, filium Adami habere non potuiſſe nomen Hebraicum, i. e. Chananaeum, quod ſi habet, a poſteris inditum videbitur. Noachi nomen a parentibus ei datum, aliud fuiſſe videtur, נחם, Moſe illud ad verbum נחם referente, Geneſ. V, 29. ſed deinde ex fatis viri ab Hebraeis ultima litera detruncata mutatum in נוח: eſt enim Syris ܢܘܚܐ γαλήνη, *placidum mare*, *aequatis auris ſpirantibus*. Vide verſionem Syriacam Marc. IV, 19. et Aſſemani bibliothecam Orientalem T. I. p. 40. De Nimrodo T. I. pag. 210-213 diximus, et ante nos Perizonius cap. VII. originum Babyloniarum. Hagarae nomen, ſervae profugae, mire cum hiſtoria Geneſ. XVI. narrata convenit, eſt enim هجر *fugere*. Eſavo ſine dubio aliud nomen, Edom, a lentibus avide expetitis inditum, quod in tota deinde gente haeſit: nec haec conjectura, ſed Moſes diſerte narrat Geneſ. XXV, 30. Seir, Troglodytarum qui ante Idumaeos Seiritidem tenuerunt progenitor, nomen, quod *Hirſutum* ſonat, a ſucceſſuro populo, ejusque progenitore, Eſavo, valde hirſuto, accepiſſe videri queat. Bileami nomen, *avariſſimum* notans, a بلعم *avide deglutivit*, ita cum moribus hominis convenit, ut videatur, cognomen potius ab Iſraelitis per convicium inditum,

quam

Chaldaeos autem cum alii Arphachasdo posteros assignent, ego nomen ab illis Arphachasdum accepisse arbitrer, idque dubio careat, Abrahamum Arphachasdo ortum terram Chaldaeorum patriam habuisse, hic nisi fallor locus est de Chaldaeis agendi. Sequantur ergo

כַּשְׂדִּים *Chaldaei.*

Duplex cum Chaldaea sit, altera ad Orientem Palaestinae circa Babylonem, ad Septentrionem altera in vicinia Ponti Euxini, ubi Chalybum regionem habent geographi: ego quidem in ea sum sententia, hanc septentrionalem veram esse et antiquissimam Chaldaeorum patriam, ex qua et Abrahamus egressus, et Chaldaei paulo ante Nabochodonosarem eruperint, sintque Babylone, ac deinde Asiae imperio potiti.

De boreali quidem Chaldaea, alio nomine Chalybum regione, Strabo libr. XII. p. 825. (al. 548): τῆς δὲ Τραπεζοῦντος ὑπέρκεινται καὶ τῆς Φαρνακίας, Τιβαρηνοὶ δὲ καὶ Χαλδαῖοι (*supra Trapezuntem et Pharnaciam Tibareni et Chaldaei sunt*) proxime a Tibarenis Chaldaeos habens. Idem sequente pagina (826. al. 549.) Οἱ νῦν Χαλδαῖοι Χάλυβες τὸ παλαιὸν ὠνομάζοντο, καθ' οὓς μάλιστα ἡ Φαρνακία ἵδρυται, κατὰ θάλατταν

quam nomen esse. De Gileado, cujus posteri Gileaditidem diu ante ipsum ita vocatam habitarunt, ad Jos. XVII, 1. diximus in notis germanicis *Jefthah*, (יפתח) ejus ominis nomen habet, ita rebus gestis aptum, ut meretricem, quae eum peperit, vatem diceres, ipsa si indidisset: significatio enim nominis, *Vincet*, a فتح 1) *aperuit*, 2) *vicit*.

Syri medii aevi huic adhuc mori ita dediti, ut ex doctoribus scholae Edessenae Nestorianis nullus sit, non ab his, qui se orthodoxos putabant, turpi cognomine notatus. Vide chrestomathiam Syriacam p. 8. 9. ubi haec scholastica cognomina invenies, partim ita turpia, ut Simeonem Betharsamensem describere puduerit.

τὰν μεν ἔχουσα εὐφυΐαν τὴν ἐκ τῆς πηλαμυδίας, (πρώτιστα γὰρ ἁλίσκεται ἐνταῦθα τὸ ὄψον τοῦτο) ἐκ δὲ τῆς γῆς τὰ μέταλλα, νῦν μὲν σιδήρου, πρότερον δὲ καὶ ἀργύρου. Ὅλως δὲ κατὰ τοὺς τόπους τούτους ἡ παραλία στενὴ τελέως ἐστὶν, ὑπέρκειται γὰρ εὐθὺς τὰ ὄρη μετάλλων πλήρη καὶ δρυμῶν, γεωργεῖ δ' οὐ πολλά. Λείπεται δὴ τοῖς μεν μεταλλευταῖς ἐκ τῶν μετάλλων ὁ βίος, τοῖς δὲ θαλαττουργοῖς ἐκ τῆς ἁλίας, καὶ μάλιστα τῶν πηλαμύδων καὶ των δελφίνων. i. e. *Qui nunc Chaldaei sunt, Chalybes olim dicebantur* (*), *penes quos potissimum Pharnacia est, cui a mari commoda palamydum* (**) *captura, qui pisces ibi primum capiuntur: terra metalla praebet, nunc quidem ferrum, olim et argentum. His quidem locis ubique ora maritima perquam arcta, montibus metalliferis ac silvis impendentibus: parum ergo agri colitur, sed victus metallorum fossoribus ex metallis, maritimis autem ex piscium captura, palamydum maxime et delphinorum.* &c. Ergo Chalybes et Chaldaei iidem, eorumque regio ferri dives. Nomina recogitanti, *Chasdaeorum* quod Hebraicum est, et *Chalybum*, videri possit, tertium, *Chaldaeorum*, ex utroque, errore exterorum constitisse.

Solus hic auctor suffecerit, non solum veterum geographorum omnium fide dignissimus, sed et in his regionibus pene domesticus, inque vicinia earum natus: unde fit, ut de illis nemo curatius Strabone prodiderit. Carere ergo possemus aliis testibus: adscribo tamen, quae Stephanus

(*) Scripseritne Strabo inverso ordine, οἱ νῦν Χάλυβες, Χαλδαῖοι τὸ παλαιὸν ὠνομάζοντο, *qui nunc Chalybes sunt, Chaldaei olim dicebantur*? Certe Chalybum nomen Strabonis tempore usitatius et notius.

(**) Palamydes sunt thynni (Taunfisch) adolescentes, pedali magnitudine, quam ubi excesserunt, thynni vocantur. Vide Pauli Jovii de piscibus Romanis libellum c. 6.

nus de urbibus habet. Pag. 710. Χαλδία, χώρα τῆς Ἀρμηνίας. Μένιππος ἐν περίπλῳ τῶν δύο Πόντων· τὴν μέχρι τούτων τῶν βαρῶν ἐστιν ἡ Ποντικὴ βασίλεια, καὶ κατὰ Τιβαρίην, καὶ Χαλδίην, καὶ Σανδίκην. Οἱ ἐν ταύτῃ κατοικοῦντες, Χάλδοι, οὕτω γὰρ ἐπεκράτησε: i. e. *Chaldia, regio Armeniae. Menippus in periplo duplicis Ponti: ad hos usque muros* (*) (nescio cujus urbis) *pertinet Ponticum regnum, et usque ad Tibariam, et Chaldiam, et Sandicam incolae Chaldi vocantur, sic enim usus invaluit.* Nempe, qui in Armenia habitant ejus gentis non Chaldaeos, sed Chaldos dici ait, usu ita volente: quod et Constantini Porphyrogenetae testimonio confirmavit Stephani editor. Sed addo jam graviorem Stephano testem horum in Armenia Chaldaeorum, magis etiam, si fieri potest, ipso Strabone domesticum, Mosen Chorenensem, qui in historia Armeniae, Armenice scripta, eam Armeniae partem, quae ad Pontum Euxinum vergit, *Chalodastiam*, incolas *Chaldaeos* vocat: p. 87. (**) 198. 285. 357. Sed ad Stephanum redeamus: Pag. 711. postquam de Chaldaeis circa Babylonem disseruisset, haec addit: εἰσὶ δὲ καὶ Χαλδαῖοι ἔθνος πλησίον τῆς Κολχίδος. Σοφοκλῆς Τυμπανισταῖς

Κόλχος τε, Χαλδαῖός τε, καὶ Σύρων ἔθνος.

sunt

(*) Βάρων editum est, vix ulla probabili sententia. Mutandum ergo censuerunt alii in χώρων, in Τιβαρηνῶν Salmasius. Ego nihil mutarim praeter accentum: βαρῶν erit, *usque ad has portas*, urbis nempe alicujus, quam nominaverat Menippus, a nominativo βάρεις.

(**) Hunc primum locum excerpo, quod situs regionis Chaldaeorum ex eo intelligitur: *quibuscum in mediam regionem pervenit, paulo supra origines magnae paludis ad ripam Eraschis* (Araxis) *prope collem Armavirensem, - - - atque ibi etiam collectis earum terrarum incolis ad Chaldaeorum fines procedit.*

ſunt vero etiam Chaldaei gens prope Colchidem. Sophocles Tympaniſtis:

Colchus, et Chaldaei et Syrorum gens.

Jam cum Jeremias Chaldaeos, Nabochodonoſaris ductu Palaeſtinam invadentes, ut hoſtes a ſeptentrione venientes deſcribat, ſitque duplex Chaldaea, quis dubitare poteſt, veram gentis patriam non circa Babylonem, quam in ditionem redegerant, ſedemque fecerant imperii, ſed in ſeptentrionali Chaldaea fuiſſe? Babylon enim nec Hieroſolymae a ſeptentrione, nec Tyro, cui ipſi quoque borealem hoſtem minatur Ezechiel, ſed ab Oriente: et tamen vide, qua conſtantia Chaldaei a borea venturi dicantur. Jerem. I, 14. IV, 6. VI, 1. X, 22. XIII, 20. Ezech. XXVI, 7. Nec quidem ignoro, quid hic commentatores dicere ſoleant: non rationem ſitus Chaldaeae haberi, ſed itineris, quo Palaeſtinam a Libano invaſerint. Mirum quidem, tam ut dixi, conſtanter hoſtem ab itinere, potius quam a ſitu deſcribi: ſed ut hoc omittam, non omnibus locis interpretatio apta, atque vix ex ea expedieris Jerem. VI, 22. X, 22. ubi non a ſeptentrione ſolum, ſed et *ex terra ſeptentrionis, ultimis ex terrae angulis*, (מארץ צפון - - מירכתי ארץ) erumpere victor populus dicitur. Sed faciamus, his omnibus locis artificioſa conſuli medela poſſe, ſupereſt multo illuſtrior, ad Chalybum nos terram, veram gentis patriam, deducens. Me certe primus eo ire coegit, viam veri monſtrans.

Sic quidem de iisdem Judaeae hoſtibus Jeremias, invictos eos deſcribens: *frangeturne ferrum? ferrum ſeptentrionale, et aes?* Jer. XV, 12. Hic vero quis non videt, populum ſeptentrionalem deſcribi, domeſticoque ipſi ferro, in terra ſeptentrionali effoſſo, comparari. Tales Chaldaei ſeptentrionales, alio nomine Chalybes, quorum patriam ferri divitem

vitem fuisse, supra ex Strabone excerpsimus, noruntque omnes ex illo Virgilii,

At Chalybes nudi ferrum.

Georg. I, 58. Ex hac antiqua patria Chaldaeos putem paullo ante Nabochodonosarem Magnum, forte ductu Nabochodonosaris primi, qui ejus pater fuit, aut avi, erupisse, divictisque aliis gentibus australibus, Babylonem, ipsam quoque devictam, ingentis regni sedem fecisse.

Babylon certe antiquitus Chaldaeorum non fuit, sed a Cuschitis condita (*). Jesaiae adhuc tempore, immunis ab Assyriorum dominatione, ac forte illis inimica, suum habebat regem, Hiskiae amicum, ad quem gratulatum legatos misit (**). Nulla tum mentio Chaldaeorum Babylone imperantium, et si qui sunt illo tempore in vicinia Babylonis Chaldaei, subsunt regi Assyriae, ejusque colonia.

Insigne hujus facti, ductae ab Assyriis in orientalem Chaldaeam Chaldaeorum coloniae, monumentum historicum superest Jes. XXIII, 13. 14. ex quo et intelligitur, satis recentem Jesaiae tempore coloniam fuisse. Victorias Nabochodonosaris, Tyrique expugnationem praedicens, *en,* inquit, *terram Chaldaeorum, populi, qui antea non erat! Assyrii fundabant illam, dabantque incolis deserti; errantes Nomades consistere fecerunt, aedificaruntque palatia. Hic populus Tyrum eventit.* &c. Recens Jesaiae est populus Chal-

(*) Genes. X, 8. 10. Ipsa forte Chaldaea orientalis nomen primorum incolarum, Cuschitarum, in hunc usque diem retinuit, سودان i. e. *Nigritia* dicta. Vide Golii Lex. p. 1234. et Assemani biblioth. Or. T. III. P. II. p. 5. 6. Sed hoc nomen alii ad colorem tentoriorum referunt, in quibus Nomades habitant.

(**) Jes. XXXIX. tot.

Chaldaeorum, nec antea fuit. Id quidem de Chaldaeis universim dici nequit, Abrahami jam tempore inclytis, et quorum summam antiquitatem laudat Jeremias, c. V, 15. at potuerunt in Chaldaea prope Babylonem novi et recentes esse, videturque colonia eorum, Nomadum antea errantium, certas ibi sedes ab Assyriorum regibus paulo ante Jesaiam accepisse. *Fundatam* dicit *terram incolis deserti*: fundatam, id est, nisi fallor, aggeribus munitam, qui exundantem Euphratem coercerent; incolae autem deserti videntur Nomades Chaldaei esse, longe a patria, Curdorum fere in morem, per deserta Arabica etiam et Syriaca errantes, nec sine latrociniis (*). Quod הקימו בחוניו interpretatus sum, *errantes Nomades consistere fecerunt*, ejus forte ratio reddenda. Displicet consveta explicatio, *erexerunt speculas ejus:* speculae enim Nomadum sunt errantium, qui ipsi eas erigunt, non a datore stabilis sedis rege accipiunt: Confero potius Arabicum بحتنا *mansio Nomadum nocturna.* Videntur ergo reges Assyriae errantibus antea per deserta Chaldaeis in vicinia Babylonis certas sedes dedisse, praesidio forte finibus futuris contra Babylonem, Assyriis non subditam nec amicam, indeque regio nomen accepisse (**).

Inter-

(*) Vide Job. I, 17. modo lectio sana, pro כשדים enim, *Chaldaeis*, LXX *equites* habent, i. e. פרשים, quod, si nomen proprium malis, *Persas* etiam interpretari possis.

(**) Ea animo revolventi, quae de terra Ponti (ארעא דפונטוס) p. 233. Tomi I. pro terra Sinear posita excerpsi, conjectura historica se offert, advenas ex Ponto, aut Ponti vicinia, hoc etiam nomen parti novae patriae imposuisse, ut coloni solent, maximeque gentibus ab Oriente Ponti Euxini usitatum fuit. Certe duplicem Pontum habemus, Asiaticum et Europaeum, forte jam tertium. Multa nomina geographica, Ponto Euxino Orientalia in Occidente iterum invenies, Asia minore,

Interjecto Jeſaiam inter et Jeremiam tempore, fortasſis Manaſſe in Judaea regnante, Chaldaeos ſeptentrionales ex

re, Europa denique, migrationibus gentium, ex hac vagina erumpentium, translata.

Caeterum non ignoro de Chaldaeorum circa Babylonem nomine alia omnia referre Stephanum de urbibus ex Hellanico et Dicaearcho, ſed fabulas et mendacia Graecorum ſapere videntur: primo enim manifeſtas Graecorum aut hiſtorias aut fabulas, plane pro more Graeciae ſua ubique invenientis, remotiſſimarum gentium hiſtoriae attexit; deinde, iterum ut Graeci mentiri conſveverant, regem fingit, a quo gens nomen acceperit, raro, ſi veram hiſtoriam conſulas exemplo; tertio nimis recens facit nomen Chaldaeorum, Abrahami jam tempore notum; denique Babylonis, antiquiſſimae Moſi urbis, conditorem decimum quartum a Nino regem fuiſſe tradit, antiquis et domeſticis orientalium rerum ſcriptoribus, Moſi aliisque, ubique contrarius. Jam verba adſcribo ex Holſtenii, ubi probatur, emendatione: Χαλδαῖοι, οἱ πρότερον Κηφῆνες, ἀπὸ Κηφέως τοῦ πατρὸς Ἀνδρομέδας, ἀφ' ἧς, καὶ τοῦ Περσέως, τῆς Δανάης καὶ Διὸς, Πέρσης· ἀφ' οὗ οἱ Κηφῆνες, καὶ Χαλδαῖοι; πρότερον Πέρσαι ἐκλήθησαν, ὡς ἔυρηται ἐν τῷ περὶ Κηφηνίας. Ἑλλάνικος δέ φησιν ἐν πρώτῳ Περσικῶν, ὅτι Κηφέως οὐκέτι ζῶντος στρατευσάμενοι ἐκ Βαβυλῶνος ἀνέστησαν ἐκ τῆς χώρας, καὶ τὴν Χογην ἔσχον. Οὐκετι ἡ χώρη Κηφηνίη καλεῖται, οὐδὲ ἄνθρωποι οἱ ἐνοικοῦντες Κηφῆνες, ἀλλὰ Χαλδαῖοι, καὶ ἡ χῶρα ἄυτη πάση νῦν Χαλδαικὴ καλεῖται. Ἐκλήθησαν δὲ ἀπὸ Χαλδαίου τινὸς, ὡς Δικαίαρχος ἐν πρώτῳ τοῦ τῆς Ἑλλάδος βίου. Τούτῳ δὲ συνέσει καὶ δυνάμει διάφορον γενόμενον τὸν καλούμενον Νῖνον τὴν ὁμώνυμον ἀυτῷ συνοικίσαι πόλιν· ἀπὸ δὲ τούτου τέταρτον ἐπὶ δέκα βασιλέα γενόμενον, ᾧ τοὔνομα Χαλδαῖον ἐῖναι λέγουσιν, ὅν φασι καὶ Βαβυλῶνα τὴν ὀνομαστοτάτην πόλιν περὶ τὸν Εὐφράτην ποταμὸν κατασκευᾶσαι, ἅπαντας εἰς ταυτὸ συναγαγόντα τοὺς καλουμένους Χαλδαιους. I. e. *Chaldaei, qui antea Cephenes dicebantur, a Cepheo Andromedae patre, a qua, et Perſeo filio Danaae et Jovis, Perſes. Ab illo ergo et Chaldaei olim Cephenes vocabantur, ut dictum eſt ſub, Cephenia.* (quae pars libri periit cum aliis in eodem folio ſcriptis) *Hellanicus in primo rerum Perſicarum libro narrat eos mortuo jam Cepheo, expeditione*

ex antiqua patria magno agmine erupisse putem, ferum initio populum, sed inter devictas gentes sensim mansvescentem, postque multas et insignes victorias magna parte Asiae potitos, ipsaque tandem Babylone, ubi in vicinia coloniae ex sua gente ab Assyriis olim deductae, consederunt, jamque et latius ipsi etiam Babyloniae suum nomen indiderunt. Has eorum primas victorias, aut coaevus describere, aut paulo ante praedicere videtur Habacucus, incredibiles pene audientibus et videntibus. *Opus*, inquit (*), *facio in diebus vestris, quod non credetis cum narrabitur. Ecce enim erumpere facio Chaldaeos, gentem iracundam et celerem, late per terras euntem ad occupandum sedes* (**) *non suas.* Ac primo quidem, ut ex Habacuci I, 9. liquet, versus Orientem eruperunt, id vero est, aut Assyriam invaserunt, aut Mediam, aut utramque: qui prophetae locus perdifficilis est, de Babyloniis, ut fere faciunt interpretes, cogitanti; lucet, historiaeque consentit, de Chaldaeis septentrionalibus intellectus. Hos Graeci certe Scythas dicturi erant: in haec autem ipsa tempora magna incidit Scytharum eruptio, Assyrios primo, deinde Medos, utrosque

ditione ex Babylone suscepta migrasse ex regione, et Cochen tenuisse. Haec omnis regio jam Chaldaica vocatur, quod nomen acceperunt a Chaldaeo quodam, ut Dicaearchus in primo libro de vita Graeciae tradit. Hoc et prudentia et potentia multo majorem fuisse tradit Ninum, qui urbem sibi cognominem condiderit, decimo autem quarto ab hoc regi nomen, Chaldaeus, fuisse dicunt, hunc Babylonem, nobilissimam ad Euphratem urbem condidisse, collectis illuc omnibus, qui Chaldaei vocabantur. Hoc unum forte veri ex fabulosa compilatione lucror, Babyloniae olim nomen Chaldaeae non fuisse, sed serius ei regioni inditum.

(*) c. I, 5. 6.

(**) *Sedes*, משכנות. Videtur ergo populus describi, qui sedes mutat, nec solum exteros vincit, sed et in illorum terris considit.

que ſibi orientales, vincentium. Vide Herodotum libr. I. c. 103-106. atque de temporis rationibus (*) Uſſerium, a quo in eo tamen ſed ſolo diſſentio, quod Scythas Chaldaeosque eosdem habeo, victoriasque antecedentium annorum, quas Nabochodonoſari primo tribuit, Scythicasque, easdem. Sed hic non locus eſt, hiſtoriam Scytharum, Aſiam obtinentium, quam omnes obſcuram, atque adeo fabulis deturpatam, fatentur, perpurgandi: ſufficiat, nutu aliqua veri inveniendi veſtigia demonſtraſſe, ac monuisſe, eadem tempeſtate, qua Chaldaeos late per Aſiam invaleſcentes habent ſacrae literae, Orienti domeſticae, Graecam hiſtoriam Scythas habere (quod nomen refugium eſt ignorantiae Graecorum, diverſiſſimos populos eo complectentium) Aſia potientes. Id modo addo, Chaldaeos ut equeſtrem populum deſcribi ab Habacuco, c. I, 8. et Jeremia, Scythas, qui eodem tempore eruperunt a Graecis: Scythasque Herodoti ibidem locorum, ubi Chalybes, ſedes antiquas et patrias habuiſſe videri. *A lacu*, inquit (**), *Maeotide, ad fluvium usque Phaſin et Colchos triginta dierum eſt*, (haec videtur eſſe patria Scytharum erumpentium) *ex Colchide autem non longum in Mediam iter, ſed una interjacet gens Saſpirorum. Hac autem via Scythae non irruperunt*, ſed &c. Saſpirorum vitata gente Caucaſum a dextra reliquerunt.

Ejusmodi imperio, ex barbarorum eruptione nato, et inter victas gentes manſveſcenti, eximie apta Chaldaici regni imago, Danielis c. VII, 3. 4. informata. Portentum belluae, ex leone et aquila compoſitum, primo alas amittit,

(*) Hic nonnihil errare videtur Herodotus: hoc tamen ex eo certum, in Pſammetichi regnum incidere Scytharum eruptionem.

(**) l. I. c. 104.

tit, deinde hominum more erigitur bipes, eique cor hominis inditur. Forte et quae Herodotus de Scythis habet *morbo femineo adfectis*, (l. I. c. 105.) mythologica ſunt, male ab illo intellecta, ut ſaepe ei accidit, eoque pertinent, ut Scythae, feri initio et fortes, ſub molliore coelo, accedente luxu, ſenſim effeminati ſint.

Ne lingua quidem, quae nunc Chaldaea vocari ſolet, (Aramaeam melius diceres) uſi antiquitus videntur Chaldaei ſeptentrionales, Scythica gens et barbara, ſed, cum Babylone ſedem imperii figerent, victae gentis linguam ſuam feciſſe, fere ut Germani, Gallias, Italiam, Hiſpaniam, occupantes, ibique inter adſvetos latino ſermoni conſidentes. Nomina certe propria regum ducumque Chaldaeorum barbarum quid ſonant, nec eorum certa reddi ex Aramaea Hebraicaque lingua ratio poteſt, quod eo fortius eſt barbariei argumentum, quo facilior alias expeditiorque eſſe ſolet in Hebraica cognatisque linguis etymologia. Habet praeterea Daniel, Babylone ſub Nabochodonoſare ſcribens, extera nonnulla vocabula, Aramaeorum linguae, ut ex Syrorum eam monumentis diſcere datur, ignota. De utrisque dicam, unum praefatus, ab ipſo Jeremia Chaldaeos et Aramaeos diſtingui ut populos diverſos, idque cum jam uno ſub rege eſſent: Rechabitae enim profitentur, ſe, Nabochodonoſare per Palaeſtinam graſſante, nunc primum contra mores patrios tecta ſubiiſſe, *propter exercitum Chaldaeorum, et propter exercitum Aramaeorum*. (מפני חיל כשדים ומפני חיל ארם) Jerem. XXXV, 11.) Alium ejusdem prophetae locum, cap. V, 15. non urgeo, ubi Chaldaeos deſcribit, ut populum, cujus linguam Judaei non intelligant: namque et Aramaeam non intelligebant, qui ei non adſveverant, ut Saxoniae inferioris

ferioris ruſtici Bavarum aut Svevum vix intellecturi erant. Sed res ipſa loquatur.

דָּת Danieli (*) *edictum*, *ſententiam judicialem*, *legem*, aut ejusmodi quid, ſignificans, plane barbarum et Hebraeis eſt, et Aramaeis, peccantque adeo contra leges grammaticas, qui a דעת, *ſcientia*, derivant: nec enim litera Ain ex quieſcentium eſt numero, quae abjici ſolent. Vocabulum eſt, aut Perſicum, aut Armenium, aut utrumque: Perſis *Dad* (داد) *juſtitia*, *aequitas*, Armenis, ut ex Schroederi theſauro linguae Armenicae p. 19. diſco, DAT, *judicium*. Perſica in illis capitibus Danielis, quae ſub Nabochodonoſare ante Perſarum dominationem ſcripta ſunt, vix exſpectes (**): borealis autem Armeniae incolae aut vicini, Chaldaei, inferre linguae Arameae domeſticum nomen potuerunt.

Nabochodonoſaris nomen, patri filioque commune, barbarum quid ſonat. Latino more diſtincte ſatis ſcribi nequit, quia Latini צ Hebraeorum, (ʒ noſtrum) non habentes, pro eo S ponunt: audeamus ergo orthographia uti Germa-

(*) c. II, 9. 13.

(**) Non ignoro, in tertio capite Danielis nomina et munerum occurrere et veſtium, Perſicam originem prodere viſa: ſed hoc ipſum caput Danieli forte aliqui abjudicaverint; nec videtur primus interpres Graecus legiſſe. (Biblioth. Orient. T. IV. p. 26-30.) Ergo hanc totam de mere Perſicis vocabulis quaeſtionem hic omitto; quamquam et lingua Chaldaeorum Scythica Perſica vocabula habere potuerit, non quaſi ipſa fuerit Perſica (toto enim genere, ipſoque auditu nomina propria differunt) ſed quod inter linguas ad Pontum Euxinum auditas aliqua eſſet Perſicae ſoror et cognata, ex qua aliqua vocabula vicinitatis jure in Chaldaeo-Scythicam immigrarent.

Germanica, atque ejus exemplo, qui primus latinum alphabetum Germanis commodavit, per Tz exprimere. Jam נבוכדנאצר *Nebuchadnetzar*, ſeu ex alia nominis lectione נבוכדראצר *Nebuchadretzar* erit, utrumque nil Hebraici, aut cum Hebraica lingua cognati prodens. Quid hic etymologiarum Hebraicarum tentarit Simonis, in ejus onomaſtico p. 573. legi velim: mihi nec ſatisfecit, ac ne veriſimilibus quidem adnumerandum viſum eſt. Ultimas nominis literas, אצר, cum Perſico آذر vel آزر, *ignis*, comparans, *ſplendorem* interpretatur, ſatis audaci literarum צ et ז permutatione. Alii in eis Hebraicum אֹצָר, *theſaurum*, vident. Mirum, non hoc unum nomen Chaldaicum, ſed multa, in צר vel אצר deſinere, ſi id *theſaurum* aut *ſplendorem* ſignificat. Videtur potius haec tanta frequentia nominum, in Tzar deſinentium, ut, *Hammeltzar* (*), *Beltſchatzar* (**), *Belſchatzar* (***), *Nergal-Scharatzar* (****), linguam prodere, in qua Tzar aut terminatio erat, aut aliquid ſignificabat compoſitioni nominum propriorum valde aptum. Reliquas ſyllabas violentius etiam torquent, ut cum ex נבוכדנ (*Nebuchadn*) Simonis effecit, נבוך ארן, idque vertit, *Nebo eſt dominus*, formativam literam ך addi, et Aleph radicale demi confingens. Nempe pronominibus Chaldaei nonnunquam jungunt ſuperfluum ſuffixum ſecundae perſonae, ut אֵלֶּךְ, *hi tibi* (*,*,*): cujus rationem cum ignorarent grammatici, putabat, ſemper ſibi licere, Caph ſicubi luberet in fine addere, et ex *Nebo* facere *Neboch*.

Ergo

(*) Dan. I, 11. המלצר

(**) Dan. I, 7. בלטשאצר

(***) Dan. V, 1. בלשאצר

(****) Jerem. XXXI, 3. נרגל שאראצר

(*,*,*) Vide grammaticam Chaldaicam §. 25. p. 97. 98.

Ergo cum plane barbarum, et ab omni cognatione linguae Hebraicae Aramaeaeque ſejungendum mihi videretur nomen *Nebucadnetzar*, interrogavi Büttnerum, opus polyglottum, quale adhuc orbis non vidit, componentem, ullane in lingua, quae potuerit unquam ad Orientem Ponti Euxini audiri, aliquid ſignificet? Reſpondit: *Nebu* lingua Slavica *coelum* eſſe, *Tzar* (quod quidem ipſe noveram ex Ruſſico Tzari, i. e. imperatoris nomine) *dominum:* totum nomen ſic componi poſſe, *Nebje-Kadzenyi-tzar*, ut ſignificet, *a coelo conſtitutum dominum.* Ruſſicis quoque literis haec ſcribebat, ſed quibus caret typographeum. Ipſe linguarum Slavicarum, Ruſſicae, Polonicae, Bohemicae, Venedicae, peritus non ſum; ſedes antiquas Slavis non pauci ab Oriente Ponti Euxini adſignant: ſintne nomina propria Chaldaeorum in *Tzar* deſinentia, aut *Nebo* habentia, Slavicae originis, viderint, doctiores: quoque illis facilius ſit ſententiam dicere, alia quoque Chaldaica, quae barbarum quid ſpirant, adjicio, *Aſchfenaz* (*) אשפנז, Dan. I, 3. שדרך *Sadrach?* an *Schadrach?* Dan. I, 7. מישך *Meſchach?* an *Moſchoch?* Dan. I, 7. אריוך *Arjoch* (**) Dan. II, 14. נבוזראדן *Nebuzaradan*, Jerem. XXXIX, 11. (Sed

(*) Cum LXX pro hoc nomine Ἀβιεσδρὶ ſubſtituant, i. e. אביעזרי, quaeri poſſit, ſitne alterum alterius verſio? ſignificetne Aſchfenaz aliqua lingua barbara, *pater meus auxilium*, aut, *patris auxilium?* Utrumque nomen conjunxit in commentariis Ephraemus Syrus, ܘܐܡܪ ܡܠܟܐ ܠܐܫܦܙ ܐܒܝ ܡܥܕܪܢܝܬܐ ܗܘ ܠܐܫܦܙܘ ܐܒܝ ܡܥܕܪܢܐ *dixit rex Aſchfazo* (vitium, ut puto librarii) *i. e. Ebiezero* &c. Nec celandum hos, qui linguarum aliarum periti origines inveſtigare allaborabunt, Joſephum legiſſe videre, *Aſchchenaz*, אשכנז, nomen enim ſcribit, Ἀσχανὴς, Ant. X, 10, 1.

(**) Non ignoro, idem nomen jam in Moſe occurrere Geneſ. XIV, 1. ſed

(Sed et occurrerunt alia, nec quaerenti, ac nihil tale ſuſpicanti, vocabula Chaldaica linguis Slavicis uſitata: cujus aut fortunae aut luſus duo exempla pono admodum recentia. Cum enim jam haec, quae praecedunt typographo tradita, ab eoque typis deſcripta eſſent, hocque ipſo menſe Decembri anni 1779 Danielem auditoribus interpretarer, idemtidem ad barbara verba dubitans et ſubſiſtens, haberemque in eorum numero Hungaros, Slavonicae linguae aut peritos, aut natalibus Slavos, ultro illi me monebant, haec ſua eſſe genuina ac vernacula. Sciant autem lectores, tres in Hungaria linguas diverſarum gentium audiri, Hungarorum, Slavorum, et Germanorum, ſed alteram ab altera, nec id mirum in tanta non vicinitate modo ſed et confuſione gentium, multa ſumere mutua.

Ergo cum ad סרבלן Dan. III, 21. haec monerem: eſſe genus braccarum Orientalium, ac vocabulum Perſici quid ſonare, viderique ipſiſſimum *Schalvar* (شلوار) *braccae*, transpoſitis modo, ut ſaepe in exoticis accidit, literis, ſed tamen et Scythicum eſſe, cum veſtimentum, tum veriſimiliter vocabulum, teſte Julio Polluce (*), plerumque
male

ſed non inde ſequitur, ut ſit Hebraicae aut Aramaeae originis: poterat enim Arjoch rex Elaſſarae barbarus eſſe, proque barbaro habuit, atque in ipſa Chaldaeae ſeptentrionalis vicinia regnum ei attribuit Vulgata, regem *Ponti* vocans.

(*) l. X, §. 168. *Ἐκ δὲ τῶν σκευῶν καὶ ἀναξυρίδες καὶ σκελεαὶ, καὶ ποδίδες, καὶ περσικαὶ, ὡς Ἀριστοφάνης ἐν ταῖς νεφέλαις τὰς ἀναξυρίδας ἔοικε καλεῖν. Ἀντιφάνης δε ἐν Σκύθαις καὶ Ταύροις, Σαράβαρα καὶ Χιτῶνας πάντες ἐνδεδυκότες.* i. e. "ex ſupellectile quoque ſunt, ſubligacula, tibialia, caligae, et Perſicae, ut Ariſtophanes ſubligacula in Nubibus vocare ſolet. Antiphanes autem in comoedia, cui nomen, *Scythae et Tauri:* haec habet: *omnes induti Sarabaris et tunicis.*"

Ergo Tauri et Scythae Sarabara,
(ſic

male intellecto: continere vocem vix potuerunt ex auditoribus Hungari, monentes, ſuum eſſe vocabulum. Sciſcitabar, quomodo ſcriberetur? cujusque linguae eſſet? Reſponſum tuli, *Schalwary* (ipſa pene vox Perſica), ſed non tam ſcribi, quam adpellari, nec enim ſe meminiſſe in libris legere, ſed in communi vita frequens eſſe. Hoc vocabulo vocari braccas breviores, non ad genua deſcendentes, inferioribus braccis (quae Hungaris, plane ut Perſicae, usque ad pedes deſcendunt) impoſitas diverſi ſaepe a braccis intimioribus coloris: nulla in lingua, ac ne quidem, de qua adcuratius interrogabam, Slavonica, etymon adparere, vocabulum vero ipſum tribus linguis in patria ſua auditis, Slavicae, Hungaricae, Germanicae, eſſe commune. Hic quis non vocabulum agnoſcat, Perſicum forte origine, ſed tamen et Scythis adſcititium, quodque cum his in Europam immigravit?

Brevi poſt הדבריא Dan. III, 24. 27. occurrebat. Monebam, LXX *amicos* regis vertere, viderique hoc quoque vocabulum exoticum, neutiquam enim ad radicem דבר referri, neque He pro articulo haberi poſſe, Aramaeis He articuli ignorantibus, ac ne Hebraeis quidem illud nomini in ſtatu conſtructo aut ſuffixo praefigentibus. Iterum illi monebant, *Dwor* Slavis, Hungaris *Udwar* aulam regis vocari, indeque Slavis *Dwornik* aulicum eſſe.

Haec quidem refero: Slavicae linguae me peritiores arbitrentur.)

Quos hucusque interrogavi, linguae Ruſſicae aut Polonicae gnaros, quos inter ipſe Sereniſſimus Princeps Czartorinsky, timidus in adſeverando, eoque veri amantior

(ſic Graeci pro שרבלה dicunt) geſtabant; erant veſtis genus non Perſicum modo, ſed et Scythicum ac Tauricum, ex quo gentem noſceres.

tior viſus, in Nabochodonoſaris nomine Slavicum quid agnoſcunt, licet non omnes plane eodem modo vertant. Quidquid ſit, lingua barbara eſt, cujus haec ſunt nomina propria, unde jam linguam *Chaldaeorum*, quam doceri Danielem jubet Nabochodonoſar Dan. I, 4. non putem eam eſſe, quae c. II, 4. *Aramaea* vocatur, ſed barbaram, et Chaldaeorum patriam, aut, ſi malis ita dicere, Chaldaeo-Scythicam. Ipſa certe nomina, לשון כשדים, et ארמית, diverſas linguas prodere videntur, nec ratio adparet, cur eandem linguam Daniel capite primo Chaldaicam, ſecundo Aramaeam vocare voluerit.

Haec ſi lingua Chaldaeo-Scythica ipſo ſono nominum propriorum Slavicum quid prodere videbitur in eam inquiſituris, nolint tamen, peto, reliquas omnes linguas repudiare, ſi cujus nominis explicationem ultro offerant. Potuit enim Slavica eſſe, et tamen non pauca recipere linguarum vicinarum, ad Orientem Ponti Euxini auditarum, vocabula. Vera hae regiones vagina gentium, ex quibus populi, linguis diverſiſſimi, in Europam ſe Aſiamque effuderunt. Mithridatem quidem, Ponti regem, *viginti duabus linguis locutum eſſe, nec de ſubjectis gentibus ullum hominem per interpretem appellatum ab eo eſſe*, refert Plinius, hiſt. nat. l. XXV, c. 2. ſeu §. 3. nec ut narrationem dubiam, ſed addens, quod raro ponit, *certum eſt*. Trapezunti ab Auſtro et Oriente erat mons *Lexiorum*, vel *Legſiorum*, quem Arabum geographi ob multitudinem linguarum ibi vernacularum *montem linguarum* vocabant. Verba adſcribo Abulfedae, quod haec pars geographiae ejus nondum edita (*): وفي جنوبي طرابزون بشرق جبال اللكزي ويقال له جبل الالسان لما فيه من اللغات Hic ergo facile accidere potuit, quod et apud

(*) n. 402. Armenias, in Trapezuntis deſcriptione.

apud nos in linguarum viciniis, accidere videmus, ut Chaldaeo-Schythica a pluribus vicinis vocabula mutuaretur.

Quod ſi quis ergo et alia Danielis verba, ut פרתמים, פתבג, סגנים, פתגם, et ſi qua plura ſunt, quorum nulla adhucdum certa ratio ſatisque expedita reddita eſt, aliqua in lingua ad Orientem Ponti Euxini olim uſitata reperiat, ſi vel Slavicae nulla teneatur cognatione, is vero et valde ſibi obſtrictos habebit Danielis interpretes, hiſtoriaeque ſtudioſos, nec illos adverſarios, quibus Chaldaeorum lingua Slavicam ſonare videtur. Disquirendum ante, quam ſtatuendum.

Chaldaeorum ante Jeſaiam vix ulla in libris Hebraicis mentio, niſi ubi dicitur repetiturque, Abrahamum ex *Ur Chaldaeorum*, de qua deinde agam, egreſſum eſſe. Unius praeterea loci recordor, ſed dubiae, ut pagina 82. faſſus ſum, lectionis, Job. I, 17. Ex conſveta, Chaldaei impetum in Jobi camelos faciunt tripartito agmine: quae ſi vera eſt, Chaldaei, licet ad Pontum Euxinum habitantes, tamen ex patria jam tum evagati ſunt, Nomadicam vitam agentes, nec ſine latrociniis. Aliter legerunt LXX, vertentes, οἱ ἱππεῖς ἐποίησαν ἡμῖν κεφαλὰς τρεῖς, nempe פרשים, incertum, *equites*, an *Perſas*, pro כשרים invenientes: Mihi quidem lectio conſveta veroſimillima, ac prope certa. Chaldaeos in illis tractibus praedones potius quam Perſas exſpectaverim: equites indigenae in Arabia Jobi tempore nulli, ut in fragmento meo de hiſtoria equorum in Palaeſtina viciniſque tractibus dictum. Menſe Decembri aut Januario acciderunt Jobi mala, quae capite primo narrantur: araſſe enim boves ſcriptor dicit, quod illis in tractibus Decembri

cembri fit aut Januario (*). Ergo Chaldaei, aeſtatem in ſuis montibus agentes, hieme meridionalia deſerta ac planities pererrabant; ut ſolent Nomades. Vide me *von der Schaafzucht der Morgenländer* §. 2. 3. 4. (**).

De vocabulis nominibusque propriis Chaldaeorum, barbari quid ſonantibus, plures a me conſultos eſſe linguae Slavicae peritos, ſupra dixi, ex his nemo copioſius reſpondit Joanne Reinholdo Forſtero, viro tam variae et magnae eruditionis, ut in illo ſolo conveniant, quae diviſa decem alios celebres facere poſſent, ac tot regionum, gentium, inſularum, αὐτόπτῃ, linguarum auditore, quot raro alius mortalium. Ruſſicas regiones peragravit, Oceanum auſtralem naturae ſcrutator, juſſu Auguſtiſſimi Regis, pernavigavit, naturaeque cognitioni, linguisque noſtri temporis, eximiam junxit veteris hiſtoriae antiquarumque linguarum cognitionem. Non in omnibus adſentio, ſunt etiam, de quibus ego quidem, multarum linguarum imperitus, judicare nequeo, aliterque ſentit, conſuli a me in his rebus ſolitus Büttnerus, ſum praeterea in etymologiis timidior, ut jam ex his intelligitur, quae timide retuli: gratiſſimum tamen me facturum lectoribus arbitror, ſi integras tanti viri literas adjecero, maxime cum latina lingua ſcriptae ſint, nec opus interprete habeant.

Noviſſi-

(*) Teſtes producam in calendario oeconomico Palaeſtinae vicinarumque regionum.

(**) *Vermiſchte Schriften Tom. I. num. 6.*

Novissimae Tuae litterae d. VI. Dec. datae, inexspectatam novamque de Chaldaeorum origine Pontica inter Chalybes quaerenda, opinionem Tuam declarant, Tuumque desiderium, a me discendi quid de nominibus Chaldaeis sentiam, quae non Chaldaicae sed Slavicae originis esse suspicaris. Possem equidem cum Romano oratore verbis iisdem uti, et dicere: *si quid est in me ingenii, quod scis quam sit exiguum;* sed nolo nimis modestiam in hoc studiorum genere simulare, quod olim adeo adamavi, in quo etiam per aliquot annos totus occupatus fui, quodque nunc etiam mihi satis arridet, dummodo satis otii mihi superesset, ut eidem rursus me totum dicare possem. Tua vero prolixa in me benivolentia id poscit, ut nec labori ulli parcam, et Tibi obsecundem etsi nil minus sim, quam otiosus; posthabita itaque modestia, morem potius Tibi gerere paro, probe gnarus Te non facile id daturum immoderato animo novas opiniones divulgandi.

Jam diu id mihi ex Eusthathio in Dionys. Perieg. v. 767. cognitum erat, *Chaldaeos* a *Chalybum* in Ponti vicinia degentium gente originem trahere; praeterea et ex Mose Chorenensi p. 356. patet *Zaniam* esse *Chaldaeam*. Zanni *Marcellin. Chron.*, Zianni *Ammian. Marcellin.* 25. 1. Sanni *Strab.* lib. 12. et Zanni *Notit. Imper.* et Thanni ad Pontum incolebant et olim *Macrones* fuere appellati, Dionys. Perieg. et Eusthath., erant vero proximi vicini Chalybum: unde et forte Moses Chorenensis male *Zannos* confudit cum *Chalybum* gente, qui recte Chaldaei olim sunt vocati.

Verum id mihi nondum innotuerat, hosce Chalybes vel Chaldaeos tempore Hiskiae et Jeremiae (forte Jesaiae) in Chaldaeam impetum fecisse et Babylonem occupasse. Si enim recte intelligo locos apud Stephanum voce Χαλδαιος et apud Eusthath. ad 767. vers. Dionys. Perieg. id multo ante haec Hiskiae regis tempora accidit, et quidem ut ipse reor 780 ante ea tempora annis. Quae me in hanc opinionem trahunt sunt verba jam excitata Stephani et Eusthathii qui meminere regis Chaldaei XIVti a Nino. Si igitur in catalogo regum Assyriorum post Ninum regem Chaldaeum quaero, vix eundem reperio, nisi idem lateat sub nomine regis Ascatadis, qui apud Eusebium est 16tus apud Africanum vero 17mus, quia Africanus Belum regem, Nini patrem quo-

que

que numerat, at Eusebius eodem omisso habet 16 ad Ascatadem: verum hic loci non possum immorari rationibus, quae mihi persuasere, ex Africani et Eusebii laterculo eliminandos esse reges BALAEUM BELOCHI successorem, et MAMYLUM secundum; forte alia occasione data id pluribus exponam. Sufficiat nunc, expuncto BALAEO et MAMYLO, *Ascatadem* esse 14tum regem a Nino: in hoc vero nomine certo certius nomen CHALDAEI regis apud Dicaearchum latet. ASCASADEM credo pro *Ascatade* legendum; isque erit איש-כשדי *Ish-Cashdi, vir Chaldaeus*, noster rex CHALDAEUS; qui Babylonem tum a Sesostre rege Asiae victore colonis exhaustam, rursus collectis novis colonis, (forte ex patria sua Pontica Chaldaea petitis) replevit, qui et *Chaldaei* fuere appellati. Itaque mihi quidem opinio magis placet, Chaldaeorum originem esse referendam ad tempora circiter Mosis, circa Exodum: nec ab hac mea sententia adeo aliena videntur oracula vatis Jesaiae cap. XXIII, 13. ubi expressis verbis, Assyriis origo Chaldaeorum tribuitur. Id tamen nolim negare, tempore quo Assyrium regnum sub Sardanapalo ab Arbace eversum fuit, in Babylonia Satrapas incoepisse plus virium colligere et potentiae sibi assumere, et ut id facilius perpetrarent facinus, milites ex gente Chaldaeorum forti, valida, et laude rei militaris clara conscripsisse; quae etiam res eos Chaldaeis animos addidit ut ex gente sua regem Babyloniae praeficerent, quorum primus forte fuit *Nabonassarus*, a quo Aera celebris procedit. Ejus successores partim Chaldaei partim Aramaei fuere, haec enim, nomina in laterculo Nabonassareo in Canone demonstrant satis lucide. *Nabopolassarus* pater Nebucadnezaris Chaldaeae originis fuisse videtur, et omnes ejus Successores. *Evil Merodach*, nepos certe est *Iloarodamus* laterculi, et idem qui *Belshatzar* Dan. V. 1. nam hoc nomen est Slavonicum *Bolshoi-tzar Magnus rex*, et ut jam inde apparet optime in *Iloarodamum* vel *Evil Merodachum* quadrat, qui magni victoris *Nebucadnezaris* filius erat: verum is interiit; forte a Neriglissare, quem scriptura vocat NERGALSAR-EZER. Jerem. XXXIX, 3; qui quoque a Cyro in Babylonis urbe tempore Saceorum capta interfectus, eique Darius Medus vel Astyigas *Ctesiae* et Astyagis seu Apandae frater, Cyaxaris I Medi filius in regno successit; is enim tum temporis rex regum et 120 Satraparum Dominus, (Cyri quoque ex nepti Mandane pronepotis) Princeps erat, qui tum mortuo jam patre Cambyse Persidis

sidis Satrapiam seu regnum tenebat, et Astyigae dux bellicus erat. In Babyloniae Satrapia LABOROSOARCHADES, Nebucadnezaris nepos, rex a Dario s. Astyiga institutus fuit: sed post aliquot mensium regnum interiit, eique successit Chaldaeus NABONADIUS s. NEBUZAR ADAN Jerem. XXXIX. 11. qui per aliquot annos regnavit, verum a Medis Persisque deficiens; a Cyro Babylon, Gynde flumine prius derivato, rursus capitur, (*) rex Nabonadius in urbem Borsippam fugiens capitur et Caramaniae praeficitur, annis 538 ante Christum natum.

Nebucadnezar, Chaldaeae erat originis, uti omnes principes qui a *Nebu* vel *Nabo* nominis initium ducunt. viz. *Nabonassar Nabopollassar*, *Nabonadius*, et alii &c. Nolim prorsus inficiari haec nomina *Neba* et *Nabo* voci Slavonicae *Nebo* esse simillima, quae *coelum* significat; nec id quidem negandum vocem *Tzar*, multis nominibus Chaldaeorum additam, similem esse admodum voci Slavonicae *Tzar*, *rex*, *princeps*. Verum id nondum sufficit, duas tantummodo voces Chaldaeas similes esse sono vocibus Slavonicis, ut possimus inde concludere Slavonicas gentes esse originis Chaldaeae. Itaque si quid exinde exsculpere voluerimus, id imprimis erit probandum, gentes Slavicas ex Asia et gentibus circa Ponti Euxini angulum Euronotium originem trahere. Id jam aliquatenus probare annitar: Tria mihi sunt in hac re argumenta; primum est Historicum; secundum desumtum a colore, moribus et genio gentis; tertium a linguae Slavonicae cum Asiaticis mira similitudine.

I. Notissima equidem in antiqua Historia res est, Scythas gentem ad orientem Tanais olim degentem, in Kimmerios in Chersoneso Taurica tum habitantes impetum fecisse, iisque victis, eosdem in Asiam esse secutos; verum aberrasse a via: Kimmerii enim in Asiam minorem pervenere, et in ea aliquamdiu vixere; Scythae vero in Mediam delati, Cyaxare I. Medo devicto, omnem superiorem Asiam ad Aegyptum usque armis tenuere per 28 annos; et eo temporis intervallo, teste Diodoro Siculo lib. 2do Scythae *e Media ad Tanaîn coloniam deduxere*, *cujus populi postmodum* SAUROMATAE *appellati fuere*. In eodem loco et Herodotus Sauromatas suos collocat;

(*) Polyaenus bis meminit Babylonem a Cyro captam fuisse.

locat; Herodotus vero ſua accepit a Graecis inter Scythas degentes; quos poſtmodum gentem Lithuanicam Poruſſicam, Curonicam et Letticam formaſſe cum Bayero adhuc credo, etſi quidam contra eam opinionem multa diſputaverint. In lingua Lithuanica vero *Shaure* ſignificat Septentrionem, Medi etiam *Madai* ſunt appellati, unde *Saure-madai* vel *Saurematai* ſunt *Medi boreales*, i. e. *Sauromatae*. Hi Scytharum potentia fracta, Mithridatis *Eupatoris* tempore coepere caput erigere, et primum libertatem ſibi vindicare, mox etiam finibus prolatis, vicinas gentes ſubigere, denique omnia late imperitando a Tanai ad Danubium et Viſtulam ſibi ſubjicere. Unde factum, quod eas Nationes videamus in Pannonia et Moeſia bella geſſiſſe teſte Tacito hiſt. l. I. c. 79. et Oſis, Gothinisque tributa impoſuiſſe de morib. Germ. C. 43. et quoque vicinos Iberorum in Caucaſo et Albanorum fuiſſe. Annal. l. 12. c. 29. Hae eaedem gentes iisdem in locis conſedere, in quibus poſtmodum Slavicae gentes vivebant. Nomen enim Slavorum ſibi invicem a *Slav tribus*, *gens* dedere, quod eſſent in gentes plurimas diviſi, quarum quaevis nomen peculiare gerebat; et *Slavi* non raro *Sarmatae* a ſequioris aevi ſcriptoribus appellantur; nam non ante medium Seculi VIi Slavorum mentionem fieri cognitum. Hinc mea quidem opinione omnes Slavorum gentes, a Medis ipſis originem duxiſſe primam in Sauromatia ad Tanain, videntur.

II. Verum et ipſe gentis color nativus, mores, et genius Orientalem originem poſcunt. 1) Omnes Slavicae gentes, quas modocunque novi et vidi, vidi autem plurimas, ſunt colore fuſco iride oculorum fuſca, capillis nigris, corporibus robuſtis raro vel nunquam obeſis, (non niſi deſides enim ſunt craſſi et obeſi) ſtatura procera; praeterea ſunt agiles et exercitati. 2) Genius nationis eſt ita ab omnibus gentibus diſtinctus ut nunquam eos cum aliis populis confundere poſſes: amant jocos et ludicra, cantus et muſicam, ſaltationes et epulas; vini et inebriantium ſunt appetentiſſimi; in Venerem mature feruntur et plurimos procreant liberos. Denique verſubus et facundia certant; ſcientiis ſunt aptiſſimi, bello fortes, ſed non ſine crudelitate in victos, amici mobiles et incerti, hoſtes implacabiles. 3) Veſtes gerunt laxas, et ſatis longas, omnes cingun-

tur,

tur, inferioris ſortis homines ſerviunt nobilitati ut olim Sceptruchis; equos alunt et multum eis utuntur; arma acinaces i— —, haſtae praelongae, et loricis concatenatis utebantur non ita diu. Pleraque horum, Slavicis gentibus cum Medis communia fuere: ne igitur taedium pariam, nolo res notiſſimas attingere: praeterea adeo parum mihi ſupereſt temporis, ut nequeam extra oleas vagari: et Tibi ſufficient haec, ex quibus illico perſpicere poteris, ad quae veterum hiſtoricorum loca de Medorum et gentium vicinarum colore, genio et moribus alluſerim.

III. Denique et lingua Slavica, ejusque variae dialecti, ad orientis linguas in multis accedunt, adeo ut ex his quoque opinioni noſtrae novum poſſit parari robur.

1) Primum voces aliquot antiquis cognitas explicabimus. a) Herodotus nutricem Cyri lingua Medica nomen dicit geſſiſſe *Spaco*, quod ipſe explicat η Κυνω, verum quantum haec vox cum Slavico *Sabaka* effinitatis habeat, non eget longa diſputatione. b) Κανδυς apud Heſych. erat genus veſtis manicatae apud Perſas et Medos; Poloni gerunt veſtes manicatas longas, corpori ſtrictim adhaerentes quas vocant *Kontuſz*. c) Σαραβαρα εσθης Περσικη. Ενιοι δε λεγουσι βρακια. Heſych. vox eſt biblica סַרְבָּלִים *Sarbalim*. Ex Heſychio conjectari licet eſſe genus braccarum ſeu femoralium: et ſic apud Polonos in uſu eſt genus femoralium, in quae colligunt veſtes ſuas laxas et longas ne conſpurcentur in itinere et ut expeditiorem in equum aſcenſum praeberent, haſce vocant *Szarawary* (lege *Sharawary*). d) *Zamen* Perſis olim tellus, et Polonis *Zemia*, Ruſſis *Zemlia*. e) Δανακες (*) pro nummo Perſico apud Heſychium, ni fallor; (nam non ad manus eſt liber) Ruſſis *Denga* pecunia; Usbeki habent genus nummorum quod appellant *Tanga*, quod a Perſis certe adoptarunt. f) Σαγαρις. Πελεκιον Heſychio. Polonis *Szekera*. g) *Taber* Perſis eſt aſcia, Ruſſis et Polonis *Topor*. h) *Sada* Perſis denotat *centum Sto* et Polonis et Ruſſis: et in derivativis *Setny*, *Setnik*, *Setniceſtwo*, *Setkowat* vocem *Set* Poloni adhibent quod ad *Sada* magis accedit, et facile ejusdem originis eſſe vocem demonſtrat.

N 2 2) Si

(*) Δανακη Heſych. p. 885.

2) Si voces Linguae antiquae Perſicae in Dialecto *Zend* apud Anquetilum du Perron comparo, cum vocibus Slavicis, magnam affinitatem facillime erui poſſe, video.

Zend	*Slavon. Ruſſ. Polon.*	*Latine.*
Aſtem	Oſè (os Piſcis) Koſt.	Os, Oſſis.
Djerete	Dzielat	Facere.
Zedehe	Zadek, Zad.	Poſteriora.
Zemo	Zemia, Zemlia	Terra.
Goſhté, Gneôſh. (Goſh. *Pehlvi*)	Uſzi (lege *Uſhy*)	Aures.
Medo	Miod, Med. (Mel et Hydromeli)	Hydromeli. vel Vinum.
Mediché, Mâté	Mat, Matka, Mac.	Mater.
Meſhïo.	Maz, Muſh	Vir.
Mreté.	[Mertwi (*mortuus*)] [Mertwenni (*mortalis*)]	mortalis
Vî, vo vé	Wi	vos (*pronom.*)
Vâtem	Wiatr, Wietr	Ventus.
Oné	On	ille.
Erézeém	Serdze (Sirt. *Armen*)	Cor (*corazon hiſp.*)
Ziann, Gamé, (Zemeſtan. *Pehlvi*)	Zima	hiems.
Té	Ty	Tu (*pronom.*)
Djeté, Djeoûesté. (Zivad, zived. *Pehlvi*)	Zivet, Zijet	vivit.
Djeedeïet. (Zit. *Pehlvi*)	Ziv'yeti	vivitis.
Dedâeté	daiet (*lege dayet*)	dat.
Dâtô	dato	datum.
Zeânté	Znat	cognoſcere, ſcire.
Kéïé	Koy, Koya, Koye	quis, quae, quod.
Makhſhé (Magas *Pehlvi*)	Mucha	Muſca.
Veſtan, Veſô, Veſh, (Vouſt, Vos. *Pehlvi*)	Wſho, Wſziſtko	omnia.
Jézé	Yezeli, Izeli	Si, an.
Perô, Peôoroïé	Pered, Perod, pred	ante.

	Zend.	*Pehlvi.*	*Parſi.*	*Armen.*	*Slavon.*	*Latine.*
1)	Eéoûo, oim,	Advak,	Jek,	Mehk.	Odin	unus.
2)	Beſt, Bee, Doûé.)	Dou		Jermuy	Dwa	duo.
3)	Tèſhro, Thré, Sé	Zé, Sé		Jerik	Tri	Tres.

4) Tche-

Zend.	Pehlvi.	Parsi.	Armen.	Slavon.	Latine.
4) Tchetró, Tchetveré.	Tchahár, toüerim	- - -	Tchyrk	Tchetery.	Quatuor.
5) Peantche	- - - -	- - -	Hing -	Pet. (piec. *Pol. lege p'yentsch*)	quinque.
6) Khshonesh -	sese	- - -	Wjets -	Shest -	Sex.
7) Hapté (ἑπτά)	haft	- - -	Jothn -	Siem, Siedm	Septem.
8) Ashté (achte)	Asht	- - -	Wyth (*huit*gall.)	Osiem, -	octo.
9) Neo	- - -	- - -	Jnn. (ἐννέα)	dewiat -	novem.
10) Dese	Dah, das,	Deh -	Tasn. -	desiem -	decem.
100) Seté	Raz - -	Sad -	Hariur.	Sto. (Set.)	centum.

3) Slavonicas gentes emigrasse ex oriente id mihi quoque inde videtur posse confici, quod habeant nomina Elephanti, Cameli, Tygridis, Pantherae, Lyncis, et Alces plane diversa, ab iis quibus reliqua Europa uti consvevit. Id enim inde patet, reliquam Europam vocabula graeca et latina adoptasse, quia haec animalia per Graecos et Latinos iis primum innotuere; at Slavonicae gentes utuntur vocabulis peculiaribus, quia vixere in regione ubi videre Elephantos, Camelos &c. solebant.

Ruff.	Polon.	Germ.	Armen.	Latine.
Slon - -	Slon - - -	Elephant	Pigh. - - -	Elephas.
Welblind -	Wielblad - -	Kamehl - -	Wughd - -	Camelus.
Babr. - -	Tygr - - -	Tyger - -	Palang, Tatgr	Tygris.
Bars - - -	- - - -	Leopard - -	Intz (*uncia*)	Pardus, varia.
Rys - - -	Rys - - -	Luchs - -	- - - - -	Lynx.
Lós - - -	Lós - - -	Elend (Elk. *Angl.*) -	- - - - -	Alce.

---

4) Russis vox *Mir* saepius in compositis nominibus propriis occurrens. v. gr. *Waladi-mir*, *Kazi-mir*, *Jaro-mir*, &c. significat *mundum, universum;* Forte *Mihr* vel *Mihr-ter Mihthra Dominus universi* huc spectat.

Ter vox *Armenica* simillima, voci *Tzar* Slavonicae utraque *Dominum*, *Principem* significat.

Sed

Sed ego hisce nimium immoror; et id tantum hic addere mihi liceat precor: Diodorum in loco supra citato, non Medos ipsos in Sarmatiam translatos, sed tantum *e Media* colonos in *Sauromatiam* deductos narrare: inde forte sequeretur, non ipsos Medos, verum gentem vicinam et Medis vel sociam vel parentem, affinem quoque lingua, moribus, genio, Chalybes seu Chaldaeos ad Tanaim sedes figere coactum fuisse; metuebant sibi scilicet Scythae a gente valida et bellicosa; et ne res turbarent, eos in deserta Tanaïtica ablegarunt. Hinc et facile patet, quod Xenophon non potuerit invenire gentem numerosam, quum ipse cum XM. ad Chalybas perveniret, exhausta enim regis erat colonis, bis in Chaldaeam abeuntibus, primum tempore Ascasadis et rursus circa Nabonassari aetatem, denique alia multitudo a Scythis traducta. Bellicosa vero gens erat et animis elatis, quia arma optima e chalybe facta habebat.

5) Gentes Slavicae certe uti Medi et Magi duo principia colebant sibi invicem contraria, unum vocabatur *Belibog* numen album, alterum *Tcherni-bog numen nigrum.*

Denique id observatum jam credo a viris doctis ante me, (sed ob temporis penuriam, nequeo loca evolvere,) quod linguae *Zend* et *Pehlvi*, linguae Medicae antiquae reliquias contineant. Armeni quoque plures servant voces Medicas in lingua Haikana; verum illa tot perpessa mutationes a victoribus et novis incolis, ut non sit mirum, non plura vocabula Slavonica et Medica in ea reperiri.

Hisce raptim praemissis, nomina quaedam a Te Vir Generose Chaldaea mecum communicata e Slavonicis Dialectis explicare tentabo.

Nebu-cadne-tzar,	Nebu-godnoi.tzar,	*Coelo dignus Princeps.*
Belsha-tzar, -	Bolshoi-tzar, - -	*Magnus Princeps.*
Bel-tesh-tzar, -	Byt-tesh-tzar, -	*Fuit quoque Princeps.* i. e. e familia Regia, scil. Daniel fuit.
Mel-tzar, - -	Mili-tzaru, - -	*carus Principi.*
Shara-tzar, -	Shara-tzar, - -	*Noctis Dominus.* i. e. Praefectus vigilum.
Nabo-nash-tzar,	Nebu-nash-tzar. -	*coelo noster Dominus.*

Naba-

Nabo-polaſs-tzar,	Nebu-polězi-tzar.	*Coelo habitat Dominus.*
Saugar-Nebo;	Zagor-Nebu. - -	*Combuſtio Coeli*, ſ. *Ignis coeleſtis.*
Nebu-Saſban,	Nebo-Zaſępione. -	*Coelum triſte.*
Nergalſare-tzar.	Nie-rugal Sharu-tzar	*Non ludibrio habuit colorem Princeps.*
Nebu-zarad-an.	Nebu-zariad-on. -	*Ille pactum coeli.*
Shadrach - -	Stchedri - - -	*liberalis*, *munificus.*
Meſhach. - -	Muzik. - - -	*virilis*, analogice; ſed proprie *ruſticus.*

Arioch, non eſt vox Chaldaea ſed Aramaea, occurrit enim jam Gen. XIV. v. 1. Asaria eſt nomen Aramaeum.

Nollem Te haſce ultimas nugas ſerio pro veris habere: Explicui quidem quaedam ex Slavonicis dialectis, ſed non ſerio inde argumenta vellem repeti: Etymologia enim vel nihil, vel nimium demonſtrare videtur, niſi alia adſint argumenta majoris momenti. Ego haec magis, animo Tibi morem gerendi tentavi, quam ut crederem, haec quae diſſerui poſſe placere Viris Doctis; Tu pro Tuo conſumatiſſimo in hoc ſtudiorum genere judicio, utere hiſce ſicuti Tibi maxime libuerit. Vale et me amare ut ſoles perge. Dabam Londini d. XX. Decembris. Anni. MDCCLXXVI.

P. S. Poſtquam omnia in chartam conjeciſſem, quaecunque de Slavicis et Sauromaticis gentibus, earumque origine Medica vel orientali ſaltem noveram; video etiam aliam gentem trans Iſtrum ab Herodoto lib. V. c. IX. memorari, veſte Medica utentem et a Medis originem ducentem, *Sigynos* nempe; Henetis ad Adriam vicinos. Verum ſimul fateor, quo haec gens ſit referenda, me prorſus ignorare. Situs et vicinia ſuaderent eosdem eſſe corporis Sarmatici gentem, fuere enim illic poſtmodum Jazygum gentes ad Tibiſcum, qui certe fuere Sarmatae teſte Strabone l. VII.; ubi et urbs *Singidunum* forte a *Sigys* vel *Sigynis*.

* * *

אור כשדים

Ur Chaldaeorum.

Urae Chaldaeorum, ex qua egreſſus Abrahamus, Carras primum, deinde in Palaeſtinam migravit, (Geneſ. XI, 28. 31.) aliquoties in ſacris literis mentio, ſed ſitus plane adhuc incertus. Nec equidem expedire quaeſtionem, unam omnium obſcuriſſimam, ſuſcipio, quod fieri nequit, ante quam regiones Pontum inter Euxinum et mare Caspium, antiquae Chaldaeorum ſedes, deſierint incognitae nobis eſſe, ac forte nunquam ſperandum, ſi tanto temporis intervallo memoria nominis interiit: hoc uno conſilio varias ſententias colligo, ut quam ſint incertae adpareat, revocenturque, qui dubitare poſſunt, a fide aut falſis aut dubiis habenda. Melius certe eſt dubitare, quam errare, haecque una via ad verum aliquando, ſi fors dederit, inveſtigandum patet.

Primo ergo non defuerunt, qui in Chaldaea Babylonia Uram quaererent: neque illis cum Bocharto (*), ipſoque adeo Cellario (**), oppoſuerim, ex Babylonia Palaeſtinam petenti non iter per Carras eſſe, ſed multo rectius et brevius per deſerta: certum enim eſt, vel in hunc usque diem, qui Baſſora in Syriam proficiſcuntur, non ſemper proximo per deſerta itinere uti, ſed longo flexu Bagdadum, Moſolam, Edeſſam, Niſibin, tandemque ipſam Carrarum viciniam adire, ut nuper admodum Ives et Niebuhrius fecerunt. Nempe montibus Armeniae vicina ſectantur, quod minus deſerta et ſiticuloſa: arida illa deſerta vitant, quo-

(*) libr. II. c. 6. p. 78. (**) Geogr. Ant. T. II. p. 760.

quorum trajectum Niebuhrius ex aliis descripsit, T. II. itinerum, p. 236. 237. Nec tamen hoc argumento abdicato in eorum partes concedere possum, qui in Babylonia Uram inveniunt, quod non hanc sed Chalybum regionem antiquam Chaldaeam puto. Sententias enarrabo.

Syri, ut Castelli lexicon p. 66. docet, Uram *Cuthi Rabbam* interpretantur, dicuntque *significationem nominis esse: ardet ignis. Alii* dicunt, *civitatem esse sacerdotum*, (teste Honain) *quae* كسكرا *et* كوثي *dicta.* Utrique concordes, Castellique illud, *alii*, eo modo pertinet, ut alii sint, ex quibus hoc, alii ex quibus praecedens excerptum erat. Nempe Cufam inter et Bassoram sita fuit (*), quam in nostris tabulis geographicis frustra quaesivi, *Cascara* vel *Caschcara* (كسكر, كشكر, ܟܫܟܪ), alio eadem nomine *Cuthi* vel *Cusi*, كوثي, hancque sacerdotum urbem dictam, i. e. sive sacrificulorum, sive ignicolarum, pro Ura Abrahami habuerunt.

His jungendus Eupolemus, ex quo sua sumsisse anonymos, qui citantur, Syros arbitror, cujus excerptum ex Alexandro Polyhistore nobis servavit Eusebius, l. IX. Praeparationis evangelicae c. 17. Εὐπόλεμος ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων τῆς Ἀσσυρίας φησὶ, (omitto hic alia fabulosa) — — δεκάτῃ δὲ γενεᾷ, φησὶν, ἐν πόλει τῆς Βαβυλωνίας Καμαρίνῃ, ἥν τινας λέγειν πόλιν Οὐρίην, εἶναι δὲ μεθερμηνευομένην Χαλδαίων πόλιν, ἐν τρισκαιδεκάτῃ γενέσθαι Ἀβραὰμ γενεᾷ: i. e. *Eupolemus in libro de Judaeis Assyriae sub decima generatione*, (a diluvio) *tradit*, *decima tertia generatione* (**) *in urbe Babyloniae Camarine*, *quam*

(*) Assemani biblioth. Or. T. III. P. II. p. 734. 735.

(**) Decimam tertiam generationem computari puto a Methusala, qui diluvio superstes fuisse fingebatur: (vide me *de chronologia Mosis ante dilu-*

vium

quam aliqui urbem Uriam vocent, significetque, Chaldaeorum urbem, fuisse Abramum. Quid dicat, video: urbs aliqua Babyloniae erat, Camarine, seu, ut Hebraicis literis scribam, עִיר כמרים, Cascara ni fallor medii aevi, idque nomen, jure an injuria? ignoro, *urbem sacerdotum* interpretatur, sacerdotum nomine, ut recte viderunt Scaliger et Ikenius (*), ignicolas intelligens. Hanc ergo Camarinen Uram vult esse Abrahami recte? an secus? aut quo argumento (**)? non liquet: id enim certum, vel ex verbis ejus lectis, nomen *Ur Chasdim* eam non habuisse, sed modo a quibusdam Uram Chaldaeorum putatam fuisse. Non testis est, sed conjector etymologicus, forte ne linguae quidem satis peritus, אור et עיר confundens, *urbem* enim sacerdotum, id vero est Chaldaeorum interpretatur. Verum haec ut condonentur, licebit cuique suas tentare conjecturas etymologicas, aeque bonas, aliumque aeternum ignem Chaldaeorum, celebriorem forte, arripere. Auctoritatis quidem ne hilum quidem in Eupolemo residet, scriptore ineptissi-

vium §. XI. pag. 144. 145. (commentationum per annos 1763-1768 praelectarum) vix dum enim de gigantibus, qui diluvium effugerant, verba fecerat Eupolemus.

(*) §. XIII. differt. de כמורים *ignicolis*: p. 128. *differtationum philologico-theologicarum.*

(**) Hanc suspicor argumentorum fuisse seriem: *Ur Chaldaeorum fuit ignis sacer ignicolarum; Camarine ab ignicolis nomen habet*, (כמורים enim non alii quam ignis sacerdotes) *ergo Ur Chaldaeorum Camarine fuit.* Fac, omnes praemissas veras esse, adde etiam concessionum largus, atque ultro offer, aeternum ignem, i. e. fontes naphthae aeternum ardentes, Camarinae fuisse; ne sic quidem inde consequetur, Camarinam fuisse Uram Chaldaeorum. Plures enim ignicolarum sacri et aeterni ignes, (celeberrimus ad urbem Baku, de quo infra) Chaldeique Abrahami tempore nondum in Babylonia consederant.

ptiſſimo, ut facile dabunt, qui omnia ex eo excerpta (*) perlegere non dedignati fuerint, in quibus non mediocria modo commenta, ut, Abrahamum aſtronomiae et aſtrologiae peritiſſimum, Phoenices Aegyptiosque utramque docentem, ſed et alia majora portenta invenient, gigantes ex diluvio ſuperſtites, turris Babylonicae conditores; Davidem, cum Vaphre Aegyptiorum rege, i. e. cum Pharaone Hophra, (Jeremiae coaevo) foedus percutientem, Salomonem ab hoc Hophra octoginta fabrorum millia mutuantem, et quae alia ſunt, tam putida, ut hoc teſte uti erubeſcendum ſit.

Et tamen talem ſequutus Bayerus in eruditiſſima hiſtoria Osrhoena, ſed cujus initium reliquo opere indignum, alia plura etiam vitioſiora addidit, ut Camarinam alio nomine *Orchoen* Ptolemaei eſſe, eandemque et *Erech*, et *Urhoi*, quibus de peccatis magni viri in primo Tomo ſpicilegii p. 222-225. dictum, nolimque ingrata repetere.

Alia eſt, non contemnenda, multo certe veriſimilior ſententia Bocharti (**), ipſiusque adeo Cellarii (***), Ur intelligentium, caſtellum ſeptentrionalis Meſopotamiae, cujus Ammianus Marcellinus l. XXV. c. 8. (****) mentionem facit, reditum Romani exercitus ſub Joviano poſt mortem Juliani deſcribens: *ad Ur Perſicum venere caſtellum.* Situs caſtelli medius inter Hatram et Niſibin, ſeu, ut diſtinctius dicam, *Hatra ad caſtellum Ur ſex dies per deſerta, poſt hoc caſtellum Tilſaphata, poſt Tilſaphata Niſibis.* Hic ergo

(*) Euſebii Praeparat. evangelicae l. IX. c. 30-34. 39.

(**) Phaleg. l. I. c. XXI. p. 38. c. VI. p. 78.

(***) Geogr. Ant. P. II. p. 729. 760.

(****) p. 351. editionis Erneſti; aliis cap. XXVI.

quam aliqui urbem Uriam vocent, significetque, Chaldaeorum urbem, fuisse Abramum. Quid dicat, video: urbs aliqua Babyloniae erat, Camarine, seu, ut Hebraicis literis scribam, עִיר כמרים, Cascara ni fallor medii aevi, idque nomen, jure an injuria? ignoro, *urbem sacerdotum* interpretatur, sacerdotum nomine, ut recte viderunt Scaliger et Ikenius (*), ignicolas intelligens. Hanc ergo Camarinen Uram vult esse Abrahami recte? an secus? aut quo argumento (**)? non liquet: id enim certum, vel ex verbis ejus lectis, nomen *Ur Chasdim* eam non habuisse, sed modo a quibusdam Uram Chaldaeorum putatam fuisse. Non testis est, sed conjector etymologicus, forte ne linguae quidem satis peritus, אור et עיר confundens, *urbem* enim sacerdotum, id vero est Chaldaeorum interpretatur. Verum haec ut condonentur, licebit cuique suas tentare conjecturas etymologicas, aeque bonas, aliumque aeternum ignem Chaldaeorum, celebriorem forte, arripere. Auctoritatis quidem ne hilum quidem in Eupolemo residet, scriptore ineptissi-

vium §. XI. pag. 144. 145. (commentationum per annos 1763-1768 praelectarum) vix dum enim de gigantibus, qui diluvium effugerant, verba fecerat Eupolemus.

(*) §. XIII. differt. de כמרים *ignicolis*: p. 128. *dissertationum philologico-theologicarum.*

(**) Hanc suspicor argumentorum fuisse seriem: *Ur Chaldaeorum fuit ignis sacer ignicolarum; Camarine ab ignicolis nomen habet,* (כמרים enim non alii quam ignis sacerdotes) *ergo Ur Chaldaeorum Camarine fuit.* Fac, omnes praemissas veras esse, adde etiam concessionum largus, atque ultro offer, aeternum ignem, i. e. fontes naphthae aeternum ardentes, Camarinae fuisse; ne sic quidem inde consequetur, Camarinam fuisse Uram Chaldaeorum. Plures enim ignicolarum sacri et aeterni ignes, (celeberrimus ad urbem Baku, de quo infra) Chaldeique Abrahami tempore nondum in Babylonia consederant.

ptiſſimo, ut facile dabunt, qui omnia ex eo excerpta (*) perlegere non dedignati fuerint, in quibus non mediocria modo commenta, ut, Abrahamum aſtronomiae et aſtrologiae peritiſſimum, Phoenices Aegyptiosque utramque docentem, ſed et alia majora portenta invenient, gigantes ex diluvio ſuperſtites, turris Babylonicae conditores; Davidem, cum Vaphre Aegyptiorum rege, i. e. cum Pharaone Hophra, (Jeremiae coaevo) foedus percutientem, Salomonem ab hoc Hophra octoginta fabrorum millia mutuantem, et quae alia ſunt, tam putida, ut hoc teſte uti erubeſcendum ſit.

Et tamen talem ſequutus Bayerus in eruditiſſima hiſtoria Osrhoena, ſed cujus initium reliquo opere indignum, alia plura etiam vitioſiora addidit, ut Camarinam alio nomine *Orchoen* Ptolemaei eſſe, eandemque et *Erech*, et *Urhoi*, quibus de peccatis magni viri in primo Tomo ſpicilegii p. 222-225. dictum, nolimque ingrata repetere.

Alia eſt, non contemnenda, multo certe veriſimilior ſententia Bocharti (**), ipſiusque adeo Cellarii (***), Ur intelligentium, caſtellum ſeptentrionalis Meſopotamiae, cujus Ammianus Marcellinus l. XXV. c. 8. (****) mentionem facit, reditum Romani exercitus ſub Joviano poſt mortem Juliani deſcribens: *ad Ur Perſicum venere caſtellum.* Situs caſtelli medius inter Hatram et Niſibin, ſeu, ut diſtinctius dicam, *Hatra ad caſtellum Ur ſex dies per deſerta, poſt hoc caſtellum Tilſaphata, poſt Tilſaphata Niſibis.* Hic ergo

(*) Euſebii Praeparat. evangelicae l. IX. c. 30-34. 39.

(**) Phaleg. l. I. c. XXI. p. 38. c. VI. p. 78.

(***) Geogr. Ant. P. II. p. 729. 760.

(****) p. 351. editionis Erneſti; aliis cap. XXVI.

ergo tandem aliquando Ur habemus, nescio adhuc, quibus literis Orientalium scribendum, verum non *Ur Chaldaeorum*, ne urbem quidem, castellum in neutra Chaldaea, non in orientali, non in boreali, sed in Mesopotamiae desertis, et vero septentrionalibus, longe ab utraque. Non ignoro, Stephanum pro hac Mesopotamiae Ura citari posse, aut certe ejus auctoritate dubium dilui, qui Deum adparuisse dicit Abramo, *cum adhuc in Mesopotamia esset, antequam Carras abiret*, Act. VII, 2. Sed ut pium hominem venerer, primumque martyrem, falli tamen nescium non puto, maxime in oratione extemporanea, in qua multa manifesta insunt errata, hicque adeo ipse versus Mosi contradicit, serius adparuisse Deum Abramo narranti. Prophetam tamen si qui eum arbitrantur, hancque ejus orationem inspiratam, illis non poterit non Ura Mesopotamiae vera videri Abrami patria.

Vix nominanda videtur Ura Plinii (*), ad quam Euphrates cursum ab Occidente ad Orientem circumflectit, licet et de ea cogitaverit Bochartus (**): Sura enim urbi nomen, non Ura, ut vitiose hic legitur. Vide Harduini emendationem LVII ad librum Plinii quintum.

Josephus de Ura Chaldaeorum, ut de urbe nota loquitur, ubi suo adhuc tempore sepulcrum Haranis, fratris Abrahami ostendatur: τούτων Ἀράνης μεν ἐν Χαλδαίοις ἀπέθανεν, ἐν πόλει Οὐρῆ λεγομένη τῶν Χαλδαίων· καὶ τάφος αὐτοῦ μέχρι νῦν δείκνυται i. e. *ex his Aranes inter Chaldaeos mortuus est, in urbe, Ura Chaldaeorum dicta; ejusque adhuc sepulcrum monstratur*. Utinam vel verbum de urbis situ addidisset, de

(*) Hist. nat. libr. V. c. 24. §. 21. editionis Harduini pag. 268. lin. 17.

(**) p. 78.

de quo uno quaerimus: ſed hunc ipſe, nec id mirum, cum geographiae ad Euphratem et ultra, imperitior ſit, ignorabat, ſolum incerto rumore audierat, ſepulcrum Haranis alicubi ſupereſſe. Fabula, ut mihi videtur, manifeſta; quis enim credat ſepulcrum hominis, nulla alia re clari, quam quod frater Abrahami fuit, poſt tot ſecula ſupereſſe, certisque indiciis gnoſci.

Abulpharagius, quem omnino interrogari neceſſe erat, cum et bibliothecas Arabicas Syriacasque, Aſiae, inprimis vero inſtructiſſimam in ipſa urbe Tebris (*), boreali Chaldaea vicina, inſigni diligentia excuſſerit, hiſtoriam ſcripturus, et hanc ac plerasque regiones, in quibus Ura quaeri poſſit, Maphrianus Orientis ſaepe adierit, in ſua dynaſtiarum hiſtoria nil habet, quod nos juvare poſſit, ſed nomen late patens, قرية الكلدانيين, *urbs Chaldaeorum*, in qua Abrahamum, XV annos natum, templum idolorum incendiſſe, fratremque ejus Haranem, ignem reſtinguere volentem, combuſtum eſſe, ex fabuloſa Orientis traditione refert.

Ad eos venio, qui adpellative nomen אור interpretati ſunt: nec tamen in illis numero LXX, Geneſ. XI, 28. 31. Nehem. IX, 7. χώραν τῶν Χαλδαίων, *regionem Chaldaeorum* habentes; ſuſpicor enim, interpretem ὦρα τῶν Χαλδαίων ſcripſiſſe, quod cum librarii non intelligerent, in χώρα mutasſe, ut ſimili errore Dan. XII, 1. in Chiſiano codice, editionibusque ex illo factis, κατὰ τὴν χώραν ταύτην legitur, pro, κατὰ τὴν ὥραν ταύτην, Hebr. בעת ההיא. Eſt tamen error perantiquus, Philonisque jam et Lucae tempore Χώρα in Grae-

(*) ܬܒܪܝܙ, nunc *Tauris*, metropolis regionis Adorbigan, ad occidentem Caſpio mari.

Graecis bibliis lectum. Ille quidem, mystica et philosophemata ludere in nominum propriorum etymis solitus, multusque, in Harrana, ad quam migravit Abrahamus, spiritualiter explicanda, quid non in *Ur*, i. e. *luce Chaldaeorum*, lusurus, quos altos sensus inventurus erat, si *Ὠρα* in suo Mose, quem non nisi graece legebat, invenisset? Sed nihil hic naeniarum, ac ne nomen quidem urbis habet, ex qua Abrahamus egressus sit: exiisse ait, *ἀπὸ τῆς γῆς Χαλδαίων*, T. II. p. 11. *ἀπὸ τῆς Χαλδαικῆς γῆς*, pro *χώρα* synonymum *γῆ* substituens. Stephanus autem, Actor. VII, 2. *ὄντι ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ, πρὶν ἢ κατοικῆσαι ἐν Χαῤῥὰν*, et v. 4. *ἐξελθὼν ἐκ γῆς Χαλδαίων*, terram, non urbem Ur nominans.

At multi fuerunt, qui אור *ignem Chaldaeorum* interpretarentur, varias commenti fabulas, de Abrahamo templum idolorum accendente (*), qui jam ignis aliquis Chaldaeorum est, ac propter hoc factum, sive etiam ob cultum idolis negatum, statuasque Deorum injuriis adfectas, in rogum, fornacem, foveamve igne plenam conjectum, qua ex flamma miraculo salvus evaserit. Nec tacendum, Arabibus *Uvara* (أُوَارَةٌ) hoc significatu usurpari, ut p. 106. 107. chrestomathiae nostrae, ubi rex Muharrak, id est, Combustor, nomen inde accepisse dicitur, quod ignem accendens in *Uvara* (بالاوارة) Themimitas combusserit. En, ut rem narrant, in multis dissentientes, Judaei. Thargum Pseudojonathanis Genes. XI, 29. *cum Nimrodus Abramum in fornacem ardentem conjecisset, non colentem idolum suum, ignis nullas vires habuit ad eum comburendum. Hinc dubius Haran, dixit: si vicerit Nimrodus, ejus sectam sequar, sin Abramus, sectam Abrami. Populus autem, qui videbat, Abra-*

(*) Sic pagina praecedente Abulpharagius.

Abramum ab igne non laedi, dixit apud se: Haran Abrami frater incantationum est peritissimus, incantavit ignem, inde fit, ut comburere nequeat fratrem ejus. Statim delapsus est summo coelo ignis, contigitque Haranem, et mortuus est in conspectu patris sui. Eandem fabulam, paulo brevius, sed aliis fabulis adtexens, habet Thargum, 2 Chron. XXVIII, 3. (*). Sed aliter Jarchi ad Genes. XI, 28.: *in Midrasch Agada dicunt, eum per patrem suum mortuum esse. Conquesto enim Theracho apud Nimrodum de Abramo filio suo, quod exciderit imagines Therachi, projecerunt Abramum in fornacem ignis. Haran autem considens secum cogitavit: si Abram vicerit, ejus partes sequar, sin Nimrod, Nimrodi. Erepto ergo Abramo dixerunt Harani: utrius partibus accedis? respondit eis Haran: Abrami! Projecerunt itaque et illum in forna-*

(*) En mendaciorum quantum satis est: *Abas adolevit quoque filium suum in valle Bar-Hinnom, atque traduxit filios suos per ignem. Eripuit autem verbum Domini ex eis Hiskiam, quoniam Dominus praesciebat, quod ex eo egressuri essent tres sancti, Hanania, Misael et Azarias, parati aliquando tradere corpora sua projicienda in medium fornacem ignis ardentis propter nomen magnum ac gloriosum, eriperenturque ex incendio. Primus autem ereptus est Abrahamus ex incendio fornacis ardentis, quem projecit illuc Nimrod, cum nollet ejus idolum coelre. Secundo erepta est Thamar ex incendio ignis domus judicii, cum diceret* (Juda): *ducite eam ut comburatur. Tertio ereptus est ex incendio ignis Hiskias, nepos Jothami, tempore, quo projecit eum pater ipsius in valle Hinnom in altaria Thopheth. Quarto erepti sunt Hananias, Misael, et Azarias ex fornace ignis ardentis Nabochodonosaris regis Babylonis. Quinto ereptus est Josua, filius Josadaci, sacerdos magnus, cum projecisset eum Nabochodonosar impius in fornacem ignis ardentis, cum pseudoprophetis Achabo filio Koliae, et Sedecia filio Maasejae* (Jer. XXIX, 21. 22.) *atque hi quidem combusti sunt ab igne, Josua vero Josadaci filius ereptus est propter innocentiam suam.*

fornacem ignis, in qua et combuſtus eſt, et haec eſt אור כשדים. Similia a Judaeis audierat Hieronymus, ſed, ut fas eſt, fabulis annumerabat (*): *pro eo quod legitur, in regione Chaldaeorum, in Hebraeo habetur, in UR CHESDIM, id eſt, in igne Chaldaeorum. Tradunt autem Hebraei ex hac occaſione iſtiusmodi fabulam: quod Abraham in ignem miſſus ſit, quia ignem adorare noluerit, quem Chaldaei colunt, et Dei auxilio liberatus, de idololatriae igne profugerit: quod in ſequentibus ſcribitur, egreſſum eſſe Tharam de regione Chaldaeorum, pro quo in Hebraeo habetur, de incendio Chaldaeorum. Et hoc eſſe, quod nunc dicitur: mortuus eſt Aran ante conſpectum Thare patris ſui in terra nativitatis ſuae, in igne Chaldaeorum: quod videlicet ignem nolens adorare igne conſumtus ſit.* Unum hic notari velim, reliquis veriſimilius, quod de igne a Chaldaeis culto habet: ſed de hoc deinceps. Tranſiit fabula et ad chriſtianos hiſtoricos graece ſcribentes, magis Hieronymo credulos, et ad Arabes, a Muhammede quoque, ſed iterum, ut fieri ſolet in fabulis nivis inſtar flexibilibus, aliter enarrata. Sed haec non excerpo: de illis enim conſules notas ad Joſephi Ant. I, 6, 5. paginae 27. editionis Havercampii ſubjectas: Muhammedis ſtilo ornatam fabulam invenies Sur. XXI, 52-69. quae vel Arabicarum literarum imperitus in quacunque Corani verſione releget.

Fabuloſa haec eſſe, quae de Abrahamo in ignem conjecto, exque eo miraculoſe ſervato narrantur, ſi quis non videat, nae is omnem veri ſenſum perdiderit. Teſtes in hiſtoria exigimus coaevos, aut qui ex ſcriptis coaevis hauſerunt: hic et Moſes tacet, et tota per duo annorum millia ſacra ſcriptura, ac ne Joſephus quidem de Abrahamo

ex

(*) In quaeſtionibus in Geneſin ad Geneſ. XI, 28.

ex flammis ſervato quidquam audierat, ſed ejus ipſius Haranis, quem iſto in rogo abſumtum igne fuiſſe fabula mentitur, ſepulcrum adhuc ſupereſſe: nec audierat Philo, Chaldaeorum terram, non ignem, memorans, quantumvis copioſe in hac parte vitae Abrahami ludat. Ergo Philonis et Joſephi tempore fabula aut nondum audita, aut digna relatu non habita. Poſt deſtructam demum Hieroſolymam teſtes derepente exſiſtunt, portenti, quod ante duo, et quod excurrit, annorum millia, eveniſſe dicunt. His ne quotidiana quidem ac veriſimillima crediderit hiſtoricus: at miraculum, rem unam omnium maxime incredibilem, et quae graviſſimis certiſſimisque teſtibus opus habet, talibus quis crediderit? Nec tacet modo Moſes, ſed et, dum tacet, negat: rem omnium in vita Abrahami nobiliſſimam ſcituque digniſſimam non praetermiſſurus, ſi quidquam de ea audiviſſet.

At quod obiter de igne ſacro ignicolisque habebat Hieronymus, aliique plures, ſejungi forte a fabula, atque etiam media inter hos, qui appellativum, quique proprium nomen אור faciunt, teneri via poſſit. Ad Occidentem Caspii maris antiquiſſimae ignicolarum ſedes et religiones, a quibus et toti regioni nomen *Adorbigan* (ܐܕܘܪܒܝܓܢ, Perſice, id eſt vernacule, آذربایجان) *terra ignis* haeſit. Ipſa quodammodo locorum natura ſuperſtitionem huc vocabat et invitabat: prope urbem Baku, ad mare Caspium, (ſub gradu latitudinis 41.) naphthae fontes ardentes, ſacri viſi ignicolis, atque in hunc usque diem Gebris, religionum cauſſa eos adeuntibus ignemque venerantibus, ſanctiſſimi, deſcripti a *Kämpfero*, amoenitatum exoticarum Faſc. II. relat. I. §. 6-12.

Quid? si אור כשדים, *ignis Chaldaeorum*, celebris aliquis facerque habitus ignis fuerit, naphthae fontes aeternum depascens, a Chaldaeis cultus? forte is ipse unus omnium nobilissimus ad urbem Baku? Haecne Abrahami patria? inde evocatus? Non sententiam dico, non adsevero, sed interrogo.

* * *

וְלוּד *et Lud.*

Plene nomen scribitur in exemplis masorethicis, defective לד, id est, *Lod*, in Samaritanis, eo forte fine, ut ipsa orthographia a Ludiis v. 13. Aegyptiorum colonia, hi distinguantur Semo orti. Ne hae quidem minutiae negligendae in nomine dubio: utinam et majoris momenti varietatem notare possem, sed vereor, ne vera nobis lectio perierit.

Quis sit populus, mihi obscurissimum. Lydos Josephus interpretatur, in quam sententiam pene omnes eunt, Bochartus inprimis, l. II. c. 12. doctus et copiosus, sed exigui momenti usus argumentis. Cum enim fateatur, Lydos olim Maeonas dictos perhiberi, recentiusque nomen, Herodoto, Dionysio Halicarnassensi, et Stephano testibus, a *Lydo* rege accepisse: hos omnes testes solis etymologiis confutat, et vero ex lingua Hebraica ductis. לוד idem esse vult, quod לוז, *detorquere*, (jam hoc quidem satis pro lubitu), Lydiamque ob Maeandri illam alluentis flexus ita a Phoenicibus dictam: quasi vero nautae, sola noscentes litora, a fluminum mediterraneorum lapsu, nomina indent regionibus. Deinde vult, Maeoniam dictam a μαῖα, *obstetrix*, nomine לוד derivato a יִלֵּד, *opem obstetrici-*

trici-

triciam praestare. Hujus generis argumenta, in geographia aut historia quis ferat?

Mihi quidem veri dissimillimum, Lydiam intelligi. Est illa a reliquis regionibus nostro in versu commemoratis nimis remota: neque ullo argumento constat, Lydos sive lingua, sive natalibus, illis gentibus cognatos fuisse, quas ad Semum Moses refert. Fateor, non defuisse, maxime in Italia, qui Hetruscam linguam cum Hebraica conferrent, a qua ad Lydiam argumentabantur, quod Hetrusci a Lydis orti feruntur: verum sunt, qui hoc faciunt, Hebraicae linguae vix ultra literas et lexicon docti, nec verisimiliora adferunt, quam qui omnium linguarum fontes ex Hebraica derivant. Quod si recens Lydorum nomen a rege Lydo inditum, in Mosaicis scriptis nec quaeri fas erit, nec inveniri poterit: Graecis autem, recens id facientibus, vel hanc ob caussam aliquid fidei habuerim, quod, cum Lydiae rex, Croesus, nobilissimus fuerit Cyri hostis, Babyloniorumque socius, Jesaias in suis de Cyro Babyloniisque vaticiniis Lydorum nomen omnino non habet. Ergo hoc paene ut certum sumo, neque לודים Aegyptiorum coloniam, v. 13, neque nostros cognomines Semitas, Lydos esse. Malim potius, qui Mosis לוד vel לודים sint, plane ignorare.

Vix autem suspicionem mihi excutio mendi, perantiqui, fateor, sed tamen mendi. Aliud forte nomen scripserat Moses gentis in ultimo Oriente, cujus incolas Semitas fuisse plerique dabunt, librariis ignotae: quo autem tempore Lydorum gens potentissima prope ac ditissima Asiae erat, id est, sub Croeso, et proximo ante eum tempore, librarii eorum nomen pro ignoto sono reposuerint. Mirum, Indorum nullam a Mose fieri mentionem. Hinc

ſub nomine לוד latent, הוד, vel הנד; vel להנד, vel denique להד, ut v. 13. legi in aliquo (*) Samaritano meminerimus, corrigendo? Hebraeis quidem ſub Perſarum dominatione India, הדו (*Hoddu*) Arabibus Syriſque, הנד (*Hend*) dicitur. Moſis tempore vix poterant Iſraelitae Indorum nomen, niſi ab Arabibus habere: unde fortaſſis Lamed. Arabs Indiam vocat cum *articulo* الهند (*El-Hend*), id vero eſt ex antiquiſſima ſcriptione ejus temporis, quo Eliph proſtheticum ſcribi nondum coeperat, ſaepe et in appellando non auditum, *L'Hend*, لهند, להנד, omiſſoque, quod omittere Hebraei in הדו ſolent, Nun, להד. Scripſeritne Moſes, להנד? aut להד? Ipſum video Samaritanum לד, ſed arte aliqua, huc trahi poſſe: exterorum multi, Graeci, Latini, nos Europaei, H in Indiae nomine negligunt, Indiam pro Hindia dicentes, Hebraeique, ut dixi, N abjiciunt: ſic *L'Hend* Hebraeo in *Ledd* vel *Lodd* tranſire poſſit, לד ſcribendum. Sed ab hoc artificio reſilio, aliamque malim lectionem, illam ipſam, quam Polyglotta v. 13. in textu Samaritano habent, להד. Neque adeo aegre ferrem, ſi quis cum hic, tum ibi Indos intelligat, mixtam forte ex Semitis et Aegyptiis gentem: ſed nihil definio, verum adhuc quaero, velimque ab aliis quaeri doctioribus.

Beckius in notis eruditiſſimis ad Chaldaicam verſionem chronicorum, c. I, 17. *omnium*, inquit, *quos vidimus*, *conſenſu Lydi ſunt*, *et quidem Aſiatici: domino Chriſtiano Erneſto Zarvoſſi*, *Judaeo converſo*, *amico noſtro*, *ſunt* Κυνοκεφαλοι *Indiani*, *Jarchaeum*, *ut videtur*, *ſequuto: id vero non placet.*

(*) T. I. p. 256. dixeram, Samaritanum textum להדים habere: jam ex Kennicotti bibliis diſco, unum modo pro hac lectione teſtem citari, reliquos Samaritanos aut לודים habere aut לדים.

placet. Equidem in Jarchaeo nihil, quod huc faciat, invenio: nec ſatis expedio, quid ſenſerit Zarvoſſi, aut quae argumenta ſententiae habuerit.

A Ludiis Moſaicis plane ſejungo eos, quorum mentionem injecerunt Jeremias et Ezechiel: hos enim facile concedo Lydios eſſe poſſe, utriusque prophetae tempore celeberrimos. De his jam dicendum, errorque p. 257. Tomi I. admiſſus, emendandus.

* * *

לודים

Jerem. XLVI, 9. Ezech. XXVII, 10. XXX, 10.

Numerantur in Aegyptiorum Tyriorumque militibus mercenariis. Nihil de illis certi habens, non tamen negaverim, Lydos eſſe poſſe, qui eo tempore Aſiae fortiſſimi habebantur. Nec mirum, Lydos in Aegyptiorum exercitu eſſe: ſolitum enim eo tempore Aegyptiis, exterum militem conducere, et vero maxime ex Aſia minore. Iones quidem et Cares, Lydiae vicini, (hi quidem forte et Lydorum nomine comprehenſi) non ſolum ſtipendia Pſammeticho et Aprii fecerunt, ſed et agris in Aegypto donati ſunt. Vide Herodotum l. II. §. 152. 154. 163. l. III. §. 11. Ergo de Ludaeis Aegyptiorum mercenariis adhuc incertus, Lydi fuerint, an Aegyptiorum colonia a Moſe verſu 13. memorati, id quidem veriſimillimum habeo, Ludaeos, quos in Tyriorum exercitu cenſet Ezechiel, Lydos fuiſſe.

* * *

וארם *et Aramaei.*

Dubitari vix poteſt, quin illi intelligendi ſint, qui ſua lingua Aramaei dicuntur. Syros vocare jam nequeo, quia

nomen anguſtius; nec Aſſyrios, quia Aſſyrii Moſi jam ante memorati, licet ob ſimilitudinem linguae ipſis quoque nomen Aramaeorum haeſerit. Ergo Hebraicum et Aramaeum nomen, ARAMAEI, retinendum.

Aramaea eſt, primo pars ejus, quam Syriam, vel Soriam recentiores, dicimus, illa, quae a Phoenicibus non habitabatur. Phoenices anguſtam ad mare ſubque Libano Phoenicen, Libani praeterea aliquam partem et quosdam ad Orontem tractus, ſupra memoratos, habitarunt: quae magis ad Orientem vergebant, Aramaeae jam erant, usque ad Euphratem. Ab Euphrate usque ad Tigrim, iterum Aramaea: ita tamen, ut verſus ſeptentrionem Armenia finiretur, ab Auſtro Babylon eſſet cum circumjecta regione, cujus conditorem Cuſchaeum eſſe, Chamo oriundum, ex verſu 8 et 10 meminerimus. Hanc Aramaeam in plures partes dividunt ſcriptores Hebraei, id eſt, antiqui et domeſtici, ut

ארם דמשק *Aramaeam Damaſcenam*, ex quo nomine certum, Damaſcum Aramaeae partem eſſe.

ארם נהרים, *Aramaeam duorum fluviorum*, i. e. Meſopotamiam, quam antea deſcripſi.

פדן ארם, ſeu, ut ab Hoſea c. XII, 13. Hebraice verſo nomine vocatur, שדה ארם, *campum Aramaeae*. Nempe Syris ܦܕܢ *aratrum*, inde فَدَّانٌ Arabibus et פַּדָּן Chaldaeis, *biga boum arantium*, hinc فدان et *ager*, ut in ſententia decima, grammaticae Erpenianae ſubjecta (*), deni-

(*) كُلَّمَا تَغْرِسُ فِي ٱلْفَدَّانِ يَنْفَعُكَ *quidquid plantaveris in agro proderit tibi.* Mallet quidem Schultenſius lectionem mutare, quod nuſpiam فدان pro agro poni meminerat: verum ſubvenire videtur reliquarum linguarum orientalium analogia.

denique apud Syros ܦܕܢܐ non *ager* ſolum, ſed et *deſertum*, planities, montibus oppoſita. *Campos Meſopotamiae* Curtius dicere ſolet, l. III, 2, 3. cap. 8, 1. libr. IV, 9, 6. V, 1, 15. Forte hoc nomen peculiariter notat planitiem circa Carrhas, clade Romanorum, cujus cauſſa quodammodo fuit, nobilitatam: licet non negem totam campeſtrem Meſopotamiam complecti potuiſſe.

ארם צובה, *Aramaeam Neſibenam*, de qua in duodecima *commentationum ſocietati regiae per annos* 1763-1768. *praelectarum* actum. Vide quae infra de מש, Maſiisque montibus dicemus.

Praeter has *Aramaea* quoque *Rechobenſis* (ארם בית רחוב), 2 Sam. X, 6. quam cur ultra Tigrim ſitam, partemque Aſſyriae fuiſſe credam, eadem in commentatione §. XVI. p. 99-102. expoſui. Hic de nomine Aramaeae dicendum, quod novum quodammodo atque inſolens videri poſſit, Moſe Aramaeos ab Aſſyriis diſtinguente. Putem ergo, ſive Aſſyrios lapſu temporis Aramaeos quoque dici coepiſſe, quod eadem cum Aramaeis lingua uterentur (*); ſive, coloniam Aramaeorum in ipſa Aſſyria conſediſſe.

Medii aevi ſcriptoribus Syris *Aramaea* (ܐܪܡ) nomen eſt proprium regionis trans Tigrim, neſcio quibus terminis definiendae. *Aſſyriam* Aſſemanus interpretari ſolet, ut T. I. bibl. Or. p. 353. (**) ܐܩܩ ܩܡ ܠ ܐܬܘܪܝܐ *Acacius* (epiſcopatum adeptus eſt) *Aſſyriorum*: pag. 354. (***) ܒܣܠܝܩ ܩܛܣܝܦܘܢ ܡܕܝܢܬܐ ܕܒܝܬ ܐܬܘܪܝܐ *in Seleucia et*

(*) Jeſaiae XXXVI, 11.
(**) ſeu chreſtomathiae noſtrae pag. 10.
(***) chreſtom. p. 11.

et Ctesiphonte, urbibus Assyriorum. Idem in indice Tomi II. P. II. *Aramaei iidem qui Assyrii*, ad paginam quintam operis remittens lectores, ubi, quae Arabes de Mosol, i. e. Assyria, narrant, Syri de ܐܪܘܡ, Aramaea, habent. Equidem ut minime negaverim, proprie sic dictam Aramaeam scriptorum medii aevi ultra Tigrim quaerendam, non tamen universam Assyriam, sed partem ejus esse credo. Ab aliis enim Assyriae partibus distingui video, ut p. 353. (*) aliquoties a regione Garamaeorum, (ܒܝܬ ܓܪܡܝ) id est, Assyria interiore (**). Id quidem dubio caret, eam Assyriae partem, in qua Seleucia et Ctesiphon, Chalonitidem Graecorum, ita Syris vocitatam fuisse. Utinam certiora et distinctiora dedisset, qui solus dare poterat, Assemanus.

Hos ergo, quos jam dixi, Aramaeos, late per Syriam, Mesopotamiam, Chalonitidemque diffusos, ad Aramum refero hic memoratum: sive conditor gentis fuerit, sive totus populus a Mose intelligatur; ex quibus prius voluit Josephus. Ἀραμαίους, inquit Ant. I, 6, 4. Ἄραμος ἔσχεν, οὓς Ἕλληνες Σύρους προσαγορεύουσι (***).

Manifestus error LXX interpretum, quod Syros non ad hunc Aramum, sed ad Kemuelem referunt, filium fratris Abrahami, Genes. XXII, 21. Quae enim ibi leguntur, vertunt, Καμουὴλ τὸν πατέρα Σύρων, cum vertere debuissent, *Kamuelem patrem Arami.* Aramaeorum quidem, seu, ut Graeci loquuntur, Syrorum gens, diu ante illum Aramum, nepo-

(*) Chrestomathiae p. 8. 9. 10.

(**) Spicilegii Tom. I. p. 14. 15.

(***) Nec id ita intelligendum, ac si *Aramaeorum* nomine nunquam utantur Graeci; vide enim Bochartum l. II. c. 5.

nepotem fratris Abrahami, fuit. Laban, non ab eo ortus, Aramaeus dici solet, (לבן הארמי) Jacobique jam tempore ארם נהרים et פדן ארם ingens regio, in qua viginti annos versatus est Jacobus. Quin ipsa Abrahami familia Aramaeis accenseri videtur, Deuteron. XXVI, 5. quae verba vertere soleo: *Aramaeus errans* (cum gregibus, certas sedes non habens, Nomadum modo vagus) *erat pater meus.* Est nempe אבר Arabibus *errare*, qua significatione et in Hebraicis Ps. CXIX, 176. occurrit.

Forte hinc lucis aliquid loco obscuro, cruci interpretum, Amos IX, 7. *nonne Israelem ascendere feci ex Aegypto, Philistaeos ex Caphthor, et Aramaeos a Cyro*, fluvio: (וארם מקיר). Varia tentarunt interpretes, quae jam nec repeto, nec refello, meam aut conjecturam proponens aut sententiam. Ex regionibus inter Caspium mare et Pontum Euxinum Abrahamum egressum esse cum suis, supra vidimus: ibi certe antiquae sedes Chaldaeorum, ibi Ur Chaldaeorum, quaecunque demum sit, quaerenda. Haecne vera vagina gentium patria quoque antiqua fuerit Aramaeorum? quibus habitatione et lingua sociati fuerunt majores Abrahami, ut vel iis annumerarentur, Aramaeique dicerentur. Aramaeine olim circa Cyrum fluvium in Chaldaeorum terra, aut prope eam vagi, sub mitiore deinde coelo consederunt? Id nisi placeat, Armeni Amoso Aramaei dicentur: sed id antequam deliberandum lectoribus ac dijudicandum proponam, alia expedienda.

LXX interpretes, qui Syros ad nepotem fratris Abrahami Genes. XXII, 21. retulerunt, sine dubio Aramaeorum nomine Genes. X, 22. aliam gentem intellexerunt, unde nec Syrorum, ut solent, nomen reponunt, sed habent, καὶ Ἀράμ, sive adeo ex codicis Alexandrini lectione, καὶ

Ἀραμαίων. Hinc hic de Armenia cogitarint? Arabica, quae in Polyglottis legitur, versio, plane Armeniae nomen habet, cum in Genesi, tum in libro chronicorum, ارمن. Quaeri ergo possit, Armeniaene etiam nomen Aram fuerit? Nec id ita quaero, ut suspicer Armeniam ab ארם dictam, licet jam Strabo ita conjecerit (*): jure enim negare videtur Bochartus, multoque verisimilius etymon divinare, הר מני, *mons Minui.* Hoc ergo demto, non negaverim, sive omnem Armeniam, sive partem ejus australem, Aramaeam ab indigenis vocari potuisse. Duo enim gentis suae conditores cum Armenii laudent, primum *Haicum* dicunt, secundum, Abrahamo fere coaevum, *Aramum*, genealogiam ita texente Mose Chorenensi l. I. historiae Armeniae p. 12.

Japheth
|
Gomer
|
Thiras
|
Thogarmus
|
Haicus
|
Armenaeus
|
Aramaeus
|
Amasia

(*) pag. 42. al. 71. εἰκάζει δὲ δὴ καὶ τὰς τῶν ἐθνῶν τούτων κατονομασίας ἐμφερεῖς ἀλλήλοις εἶναι· τοὺς γὰρ ὑφ' ἡμῶν Σύρους καλουμένους ὑπ' αὐτῶν τῶν Σύρων Ἀρμενίους καὶ Ἀραμμαίους καλεῖσθαι *estque verisimile harum gentium nomina idem dicere: qui enim a nobis Syri vocantur, sua lingua Arammaei et Armenii sunt.*

Amasia
|
Gelamias
|
Harma
|
Aramus

qui Aramus undecimus illis est a Japhetho, ut a Semo Abrahamus. De eo ergo Moses Chorenensis l. I. c. 11. p. 35. *Ab Aramo, ut ab heroe, multae res traduntur fortiter et praeclare gestae, qui et Armeniam quaqua versus ampliavit, de cujus nomine omnes gentes regionem nostram nominarunt, ut Graeci, Armeniam, sed Syri ac Persae Armenich.* Pergit deinde capite 12 res gestas Arami describere: *is cum vir esset, patriae amans et laboribus deditus, ut idem ille historicus* (Maribas) *scribit, satius habuit pro patria mortem oppetere, quam fines avitos ab exteris cernere conculcatos, suosque consanguineos alieno imperio subjectos. Hic igitur Aramus paucis ante annis, quam Ninus Assyriae et Ninives potitus erat, a circumjectis nationibus oppressus, virorum fortium domesticorum multitudinem collegit, sagittis et hastis plurimum valentium, aetate integra, viribus firmis, cum manibus tum animis ad bellum paratis, quasi ad numerum quinquaginta millium, et ad extremos Armeniae fines Medorum pubi obviam processit, cui Nycharus quidam, Mades appellatus, praefuit, vir superbus ac bellicosus, ut idem historicus demonstrat, et qui in modum Cuschi Armenios tractus incursionibus proculcaverat, atque in servitutem per biennium adduxerat; cui nec opinanti ante solis exortum superveniens Aramus, numerosam ejus cohortem profligavit, atque ipsum Nycharum Madem comprehensum in Armavirum abduxit, ubi in summo turris muro, clavo ferreo per frontem adacto, pa-*

rieti adfigi juſſit, in conſpectu omnium, qui illâc erant tranſituri, et regionem ejus usque ad montem, qui vocatur Zaraspus, ſtipendiariam fecit. &c. Eſt quidem genealogia fabuloſa, exque veris nominibus magno traditionis mendacio concinnata, ut vel ex ipſo initio liquet: id tamen negari vix poteſt, aliquem Armenios ſive verum ſive fabuloſum regem Aramum, gentis ſuae ſtatorem, jactitaſſe, coaevum Nino: ab hoc ergo et Aramaeorum nomen accipere, cognominesque fieri vicinae genti potuerunt. Quamquam, ut verum fatear, pene ſuſpicor, Armeniae ſive regnum ſive populum ex duobus populis conſtitiſſe, altero barbaro, Japhetho orto, qui proprie Thogarma dicitur (*), altero Aramaeo, vicinos Meſopotamiae montes habitante. Ea enim, quam Armeniam linguam vocamus, ſine dubio ab Aramaeae, Hebraicae, Arabicae linguae familia eſt ſejunctiſſima: et tamen Strabo, harum regionum in primis peritus, Τὸ τῶν Ἀρμενίων, inquit (**), ἔθνος, καὶ τὸ τῶν Σύρων καὶ τῶν Ἀράβων, πολλὴν ὁμοφυλίαν ἐμφαίνει κατά τε τὴν διάλεκτον, καὶ τοὺς βίους, καὶ τοὺς τῶν σωμάτων χαρακτῆρας, καὶ μάλιστα καθὸ πλησιόχωροι εἰσί. Δηλοῖ δὲ ἡ Μεσοποταμία, ἐκ τῶν τριῶν συνεστῶσα τῶν ἐθνων: i. e. *Armeniorum, Syrorum et Arabum populi magna habent et manifeſta cognationis indicia, in lingua, moribus, corporumque forma, maxime ubi vicini ſunt. Exemplo eſt Meſopotamia, a tribus his gentibus habitata.*

Ergo jam non negaverim, ארם צובה *Aramaeam Neſibenam* (***), ipſam eſſe Armeniam, cujus regia recentioribus

(*) T. I. p. 76. ſeqq.

(**) p. 41. 42. al. 70. 71.

(***) Negaveram §. III. commentationis *de Syria Sobaea Neſibi &c.* duodecima commentationum mearum Societati Scientiarum per annos 1763–1768 praelectarum.

ribus quoque temporibus jam Neſibis fuit, jam Edeſſa: ſed haec copioſius diſputabo in nova editione *commentationis de Syria Sobaea, Neſibi ac circumjecto tractu*, ſi qua aliquando prodibit. Videant interea lectores, *Etwas von der Geſchichte der Pferdezucht* p. 303-310. tomi tertii juris Moſaici.

Ergo ea ſi diſpliceant, quae p. 121. illuſtrando difficili loco Amoſi c. IX, 7. conjeci, aliter quoque ei ſuccurri posſit, ſi ארם de Armeniis intelligatur, qui ad ipſum Cyrum fluvium habitarunt, exque ſeptentrionali patria, in quam eos fugiſſe Haicano duce auctor eſt Moſes Chorenenſis, egreſſi, meridionalia quoque occuparunt. Vide Moſen Chorenenſem p. 12. 13. 35. 37. &c.

* * *

V. 23.

Hunc totum verſum non habent ſequiores metaphraſtae Chaldaei. Eſt et ingens, ſententiam totam immutans varietas lectionis, Moſen inter, et chronicorum libros. Ex pentateuchi enim lectione omnes, qui ſequuntur, filii ſunt Arami, id eſt, Aramaeorum coloniae: at 1 Paral. I, 17. omiſſis verbis, ובני ארם, fratres Aramo dantur, conſentientibus cum Hebraico textu interpretibus, Syro, Chaldaeo et Latino. LXX ſoli, ut in codice Alexandrino leguntur, (reliqui enim hic hiant) congruenter Pentateucho habent, καὶ υἱοὶ Ἀρὰμ, Ὢς καὶ Οὐλ &c. eandemque lectionem expreſſit, niſi quod Armenorum nomen pro Aram poſuit, Arabs, وبنو ارمن الغوطة.

Mihi quidem ובני ארם verior lectio, librariorumque errore ex Paralipomenis excidiſſe videtur: ſaepe ita in deſcri-

ſcribendis genealogiis erratum, atque hic facilius quoque oculis in ואדם ובני ארם aberrare, et a primo ארם ſtatim ad alterum tranſilire. Innumeri lapſus librariorum ex ὁμοιοτελεύτῳ.

* * *

עוץ, *Utz*, *vallis Damaſcena.*

Veriſſimam dixit ſententiam Bochartus l. II. c. 8. *Utz vallem eſſe Damaſcenam*, *Arabibus* الغوطة *dictam*, ſed brevius quam ſolet, nec dubia ſolvens, unde opus, totam quaeſtionem retractare.

Primo ergo ſciendum, Joſephum et Hieronymum, harum regionum non ignaros, ſententiam praeiviſſe. Ille quidem, Οὖσος μὲν, inquit, κτίζει τὴν Τραχωνῖτιν καὶ Δαμασκόν, hic, *Us*, *Trachonitidis et Damaſci conditor*, *inter Palaeſtinam et Coelen Syriam tenuit principatum*, *a quo et LXX interpretes in libro Jobi*, *ubi in Hebraeo ſcribitur*, *terra Us*, *regionem Auſitidem*, *quaſi Uſitidem*, *tranſtulerunt.* Nempe hi Jobi I, 1. Ἄνθρωπός τις ἦν ἐν χώρᾳ τῇ Αὐσίτιδι. Conſentit quoque Arabica et Pentateuchi et chronicorum verſio, in Polyglottis evulgata, الغوطا *Alguta*, habens. Maurus enim non tam vertit, quam literas Hebraicas deſcripſit, عوص.

Eſt autem غوطا atque غوطة, primo adpellative, *vallis*, a radice غوط *immergi*: deinde nomen proprium pulcherrimae vallis Damaſcenae, quam non ſolum quatuor paradiſis adnumerant Arabum geographi, ſed et primum ei in his locum adſignant. Duarum ſtationum, i. e. circiter 8 milliarium germanicorum, longitudine eſſe, ex Nubienſi jam retulit Bochartus, cui ex Abulfeda addo, unius diei iter adhuc Damaſco verſus orientem procurrere, ibique deſertis terminari. Sic ille p. 34. Syriae: *a Damaſco verſus Orien-*

Orientem usque ad extrema Gutae, ubi finitur campis Beduinorum, iter eſt diei. Vide et Schultenſii indicem geographicum ſub *Damaſco*, deque amoenitate vallis inſigni, itinerum deſcriptiones tantum non omnes eorum, qui Damaſcum adierunt, quam ideo nunquam intrare auſum eſſe Muhammedem fabulantur Arabes, quod vereretur, ne minus coeli paradiſum deſideraret, ingreſſus terreſtrem, eminus modo oculis uſurpatam.

Joſephus Abaſſi, Maronita nobilis (non ille humilis, cujus nomen poſtea vulgatum eſt, a priore diverſus, mihique etiam notus) cujus praedia tridui itinere Damaſco aberant, cum me anno 1768 die 17 Martii inviſeret, eumque de geographicis, maxime de Damaſco, quam ipſe adierat, ac Valle Guta interrogarem, narrabat, eſſe in hac valle vicum majorem, in modum oppidi, ſedem magni principis Arabici. Verba erant: *il reſide là un grand Seigneur Turque-Arabe*, nomenque ſua manu ſcribebat الغوطا بلد كبير.

In hac igitur valle ipſum adeo nomen עוץ nobis ſupereſt, ut jam vidit Bochartus, monens, pro צ Hebraeorum Syros frequenter ט habere: eſt autem haec vallis pars Syriae. Nec conjecturis opus, ſed ex lingua Arabica certum, utroque modo per צ et ט efferri poſſe: verbum enim *demergi*, maxime de urinatoribus poſitum, utroque modo ſcribitur, غاص et غاط, ut vel ex Golio p. 1741 diſci poteſt. Regionem Damaſcenam ab Aramaeis habitatam fuiſſe, dubio caret: innumeris enim locis Damaſceni, eorumque reges, jam ſimpliciter ארם vel ארמים, jam ארם דמשק vocantur.

In tam manifeſta etymologia mirum, eruditiſſimum Simonis in Onomaſtico ſuo p. 43. עוץ ex יעוץ detruncatum putare, ac vertere, *conſultiſſimum*, *prudentiſſimum*.

Jam

Jam et intelligimus, quomodo acciderit, ut ex veteribus aliqui עוץ Armeniam interpretarentur. Nempe eſt et Armenia vallium amoeniſſimarum dives, quarum unam his verbis deſcribit Moſes Chorenenſis p. 31: *Armenacus cum cuncta multitudine inter orientem ſolem et ſeptemtriones progrediens, ad profundam quandam vallem devenit, altiſſimis montibus circumcluſam, per quam amnes ab Occidentis parte magno murmure delabentes fluebant; campus autem ab Oriente ad ſolem converſus in longitudinem maxime patebat, et de montis radicibus varii fontes limpidi profluebant, qui in fluvios collecti praeter montium et campi terminos placide labebantur, velut juvenes cum puella ſimul deambulantes. Mons autem meridianus, albenti vertice ſplendidus, rectus e terra eminebat, tridui viam in circuitu habens. — — Hanc itaque profundam vallem incoluit Armenacus.* Vide et Abulfedae deſcriptionem urbis Bardaa, num. 427. (*). Jam cum ex veteribus non pauci ארם Moſis Armenos interpretarentur, conſequens hujus erroris fuit, ut novo errore עוץ *Tempe Armeniae* eſſent, i. e. amoeniores Armeniae valles, quarum aliquae valde inclaruerunt, una quoque ab Arabum geographis in quatuor paradiſis numerata. Errorem non dubius dixi, Jobus enim, in terra Utz habitans, Job. I, 1. ditiſſimus fuiſſe dicitur omnium *filiorum Orientis* id eſt, *Saracenorum Arabum*, c. I, 3: Utz ergo in Arabiae vicinia quaerenda, neutiquam in Armenia. Id tamen in ipſo errore ſani, quod qui eum commiſerunt, עוץ *vallem amoenam, Tempe*, interpretati ſunt, atque ad Arabicum غوطة retulerunt. Fecerunt id

1) Chaldaeus Paralipomenorum interpres, *Aram* et *Utz* uno Armenorum nomine complectens. Quod ſi ſuſpice-

(*) Ex Reiskii verſione in Büſchingii *Magazin der Geographie* T. V. p. 314.

ſpiceris, nomen Utz ab eo c. I, 17. omiſſum, non Armeniam redditum eſſe, relege verſum ejusdem capitis 42. (al. 43.) ubi pro *Utz Seirita* iterum Armenios habet, בני דיתן ארמניוס וארן *filii Dithanis ſunt Armenius et Aran.* Abſurde quidem ille, fateor, cum de Seirita ſermo ſit, a quo Armeniam vicinamque Aranam incolas accepiſſe veri eſt diſſimillimum; ſed invitabat interpretem nomen ſequens *Aran;* ſunt enim vicinae regiones Armenia et Aran, ſibique ita conjunctae, ut vel Abulfeda communem ei parti libri, qua Armeniam deſcribit, titulum praepoſuerit, ذكر ارمينيه واران واذربيجان *deſcriptio Armeniae, Aranae et Adorbiganae.*

2) In bibliis Venetis, quae ipſe non vidi, Chaldaeus Jerem. XXV, 10. Thren. IV, 21. pro Utz Armeniam habere dicitur.

Regionis Utz tribus adhuc locis mentio fit, Job. I, 1. Jerem. XXV, 20. Thren. IV, 21. de quibus ſingillatim dicendum, maxime de ultimo, quod ex eo argumenta contra Gutam Damaſcenam peti ſolent.

Jobi patria *Utz* dicitur, Job. I, 1. ubi jam fidenter intelligo vallem Damaſcenam, concinente totius fabulae ſacrae tenore, in qua nihil, quod non huic valli ſit aptiſſimum. Praedones, qui Jobi greges diripiunt, amici ſolatum venientes, vicini: id ipſum, quod magnos ovium, camelorum et aſinarum greges alit, ſimulque agriculturam excercet, (c. I, 3. 14.) naturae ac ſitui vallis convenit, quae ipſa fertiliſſima deſertis Beduinorum eſt contermina. Quod nulla in his gregibus mentio fit equarum, convenit Dama-

ſco et tempori, ut alibi monuimus (*). Rivorum autem nivis tabe ultra notas ripas auctorum, ac ferocientium, mox exareſcentium, inque deſerto pereuntium, deſcriptio, c. VI, 15-19. quem melius decuerit, quam vallis Damaſcenae incolam, cui in vicinia Libanus, aeſtate etiam nivalis, ſtagna in quibus ſubſidunt fluvii Damaſceni, ultra illos aquae inops deſertum? Accedit antiqua traditio, Jobi ſepulcrum in vicinia Damaſci oſtendens, non illa quidem vera, nullus enim unquam Jobus fuit, inque fabula morali ejus perſona informatur, ad diſputandum de boni malique in hac vita modo, futuraque vita exſpectanda: ſed tamen id vel ex mendacio eorum, qui Jobi ſepulcrum circa Damaſcum commenti ſunt, liquet, eos nomine Utz vallem Damaſcenam intellexiſſe; fuerunt autem illius ipſius vallis indigenae. Jam vide doctiſſimi Koehleri praefationem Syriae Abulfedae praemiſſam, pag. 41. ubi ex Kalkaſcendi excerpit, *Nave eſſe urbem antiquam agri Damaſceni, in qua ſit ſepulcrum Jobi prophetae.*

Fuerunt, qui mallent Idumaeam Jobo patriam dare, cujus ſententiae ultima auctoritas lacinia libro Jobi in fine verſionis Graecae adjecta, Jobabum, regem Edomitarum Geneſ. XXXVI, 33. memoratum, Jobum faciens: Γέγραπται δὲ, πάλιν ἀναστήσεσθαι αὐτὸν μεθ᾽ ὧν ἀνέστησεν ὁ Κύριος.

Οὗτος ἑρμηνεύεται ἐκ τῆς Συριακῆς βίβλου, ἐν μὲν γῇ κατοικῶν Αὐσίτιδι, ἐπὶ τοῖς ὁρίοις τῆς Ἰδουμαίας καὶ Ἀραβίας. Προυπῆρχε δὲ αὐτῷ ὄνομα Ἰωβάβ, Λαβὼν δὲ γυναῖκα Ἀράβισσαν γεννᾷ υἱὸν, ᾧ ὄνομα Ἐννών. Ἦν δὲ αὐτὸς πατρός μεν Ζαρὲ, τῶν υἱῶν Ἡσαῦ υἱὸς, μητρὸς δε Βασσόρας, ὥστε εἶναι αὐτὸν πεμπτον ἀπὸ Ἀβραάμ. Καὶ οὗτοι οἱ βασιλεῖς οἱ βασιλεύοντες ἐν Ἐδὼμ, ἧς καὶ αὐτὸς ἦρξατο χώρας.

Πρῶ-

(*) In fragmento de equorum in Palaeſtina viciniſque regionibus hiſtoria antiquiſſima, tomo III. juris Moſaici adjecto.

Πρῶτος Βαλὰκ ὁ τοῦ Βεὼρ, καὶ ὄνομα τῇ πόλει αὐτοῦ Δενναβά.

Μετὰ δὲ Βαλὰκ Ἰωβὰβ, ὁ καλούμενος Ἰώβ.

Μετὰ δὲ τοῦτον Ἀσσὼμ, ὁ ὑπάρχων ἡγούμενος ἐκ τῆς Θαιμανίτιδος χώρας.

Μετὰ δὲ τοῦτον Ἀδὰδ υἱὸς Βαρὰδ, ὁ ἐκκόψας Μαδιὰμ ἐν τῷ πεδίῳ Μωὰβ, καὶ ὄνομα τῇ πόλει αὐτοῦ Γεθθαίμ.

Οἱ δὲ ελθόντες προς αὐτὸν φίλοι, Ἐλιφὰζ υἱὸς Σωφὰν, τῶν υἱῶν Ἠσαῦ, Θαιμανῶν βασιλεύς. Βαλδὰδ υἱὸς Ἀμνὼν, τοῦ χοβὰρ, ὁ Σαυχαίων τύραννος· Σωφὰρ ὁ Μιναίων βασιλεύς. Θαιμὰν υἱὸς Ἐλιφὰζ, ἡγεμὼν τῆς Ἰδουμαίας.

Οὗτος ἑρμηνεύεται ἐκ τῆς Συριακῆς βίβλου.

Ἐν μὲν γῇ κατοικῶν τῇ Αὐσίτιδι ἐπὶ τῶν ὁρίων τοῦ Εὐφράτου. Προυπῆρχε δὲ ὄνομα αὐτοῦ Ἰωβὰβ, ἦν δὲ ὁ πατὴρ αὐτοῦ Ζαρὲθ, ἐξ ἀνατολῶν ἡλίου. Id est: "*Scriptum autem est, iterum resurrecturum esse cum his, quos excitavit Dominus.*

Hic (*) *versus est ex Syriaco libro. Habitabat in Ausitide, in finibus Idumaeae et Arabiae. Olim vero nomen ejus fuerat Jobab* (**), *ducensque Arabissam, ex ea genuit Ennonem: patrem autem habuit Zerachum* (***), *aliquem ex Esavi filiis, matremque Bassoram, ita ut esset ab Abrahamo quintus. Hi autem sunt reges, qui in Idumaea, cui et ipse regioni praefuit, regnarunt.*

Pri-

(*) Si vera lectio, οὗτος, id dicitur, *totum Jobi librum ex Syriaco versum esse.* Id verum de Arabica, non de Graeca versione: ergo, si vera lectio, totum hoc assumentum ex Arabico Graece redditum videbitur. Sed fateor, me suspicari, legendum esse, οὕτως: *haec, quae sequuntur, ex Syriaco libro graece reddita sunt.*

(**) Genes. XXXVI, 33. Quae de uxore Arabissa, filioque Ennone sequuntur, unde hausta, non liquet.

(***) Prava interpretatio verborum בן זרח מבצרה Genes. XXXVI, 33. Bostra vel Bossora, urbe, pro uxore Zarae, Jobabique matre, habita.

Primus Balacus (*), *Beori filius*; *et nomen urbis ejus Dennaba.*

Post Balacum Jobabus, dictus Jobus.

Post hunc Assomus, qui dux erat ex regione Themanitide.

Post hunc Adadus, filius Baradi, qui vicit Midianitas in campestribus Moabitidis: nomen urbis ejus Getthaim (**).

Amici autem, qui ad illum venerunt, sunt: Eliphazus filius Sophani, unius ex Esavi filiis, Themanitarum rex; Bildad filius Amnonis, filii Chobari, Suchaeorum tyrannus; et Sophar Minaeorum rex; Theman filius Eliphazi, dux Edomitarum.

Hic (vel, *sic*) *quidem ex Syriaco libro redditus est* (redditum est).

In Ausitide terra habitabat, ad terminos Euphratis: fuerat autem antea nomen ejus Jobab, pater autem ejus erat Zareth (Zare, i. e. Zerachus) *ab oriente Solis.*

Recens nimis historiae auctor, christianus quippe, et, ut videtur, gente Syrus, ex Syriaco enim libro, nescio quo, aut ex Syriaca Jobi totius interpretatione, sumta haec esse, ipse qui transtulit testatur: ac licet Syriaca versio edita in Polyglottis nihil tale habeat, pleraque tamen in Arabe, qui totum Jobum ex Syriaco interpretatus est, legun-

(*) בלע Genes. XXXVI, 33. Nempe hic LXX pro Ain K substituerunt, ut c. XIV, 2. XXIII, 2. forte ob caussam in nota 22 ad Abulfedae Aegyptum indicatam. Quod in codice Alexandrino υἱὸς Σεμφὼρ dicitur, correctionis est, ortumque ex confusione Belae, Balaci hic nominati, cum Balaco filio Sippor (בלק בן צפור) Num. XXII, 2.

(**) Nempe sic LXX Genes. XXXVI, 35. habent pro עוית, aut, ut in Syro legitur גוית.

leguntur, hac ſubſcriptione, وقد ذكر صاحب النسخة الذي نقلت منها هذه النسخة انه فسر من السريانية الي العربية memorat *ſcriptor ejus exempli, ex quo hoc exemplum deſcriptum eſt, ſe ex Syriaco Arabica vertiſſe.* Nec Jobus, qualis in libro deſcribitur, rex, ſed privatus dives: quin nullum omnino Jobum fuiſſe exiſtimo, ſed in ficta perſona praecepta philoſophiae et theologiae proponi, cujus ſententiae quas habeam rationes, in prolegomenis in librum Jobi dictum, diceturque copioſius in introductione ad Vetus Teſtamentum. Taceo alia, duplicem etiam narrationem ex Syriaco libro converſam, quarum haec Idumaeae, altera Euphrati vicinam facit Jobi Auſitidem.

Alio argumento uſus, non illam quidem terram Utz, in quam Moſes coloniam deducit Aramaeorum, ſed Jobi patriam, Idumaeae adſignavit doctiſſimus Londinenſium epiſcopus, Lowthus, in praelectione XXXII de ſacra poëſi Hebraeorum p. 310: *terra Utz*, inquit, *eſt Idumaea, ut plane conſtat ex Thren. IV*, 21. *Erat Utz Seiri Choraei nepos*, *Geneſ. XXXVI*, 20. 28. 1 *Paral. I*, 38. 42.

Mihi vero de loco Thren. IV, 21. ad quem ſic ſenſim delapſus ſum, aliter videtur. Verba ſunt: *laetare* (in luctu Judaeorum) *et exſulta, filia Idumaeorum*, יושבתי בארץ עוץ *habitans in terra Utz.* Primo hic non videtur antiqua aliqua Idumaeae pars, ab Utzo, ne Idumaeo quidem, ſed Seiri nepote habitata, intelligi poſſe: cur enim hanc ſolam alloqueretur Jeremias? quidni potius diceret, *habitans in terra Seir?* Deinde non video, quid obſtet, cur non et hunc locum de valle Damaſcena accipiamus. Vaſtata ab Aſſyriis Damaſco, incolisque in exſilium abductis, Idu-

 maei

maei fines ſupergreſſi fertiliſſimam vallem, ſua terra multo meliorem, vacuamque, pro more Arabum, occupaverint, ut poſtea exſilii Babylonici tempore partem magnam Judaeae. Sic propheta dicet: *laetamini de noſtris malis Idumaei, jam beati, jam alienis etiam terris et paradiſo Damaſcenes potiti.* Denique ſi vel haec, quae mihi vera, aliis ſecus viderentur, eſſetque עוץ Thren. IV, 21. pars Idumaeae a Seiri nepote nomen habens, ratio tamen nulla reddi poteſt, cur nomen terrae *Utz* Job. I, 1. de hac ignobili et minuta tribu, nec potius de antiquo et magno populo, Moſi jam memorato, accipiendum ſit. •

Supereſt adhuc quartus locus, Jerem. XXV, 20. ubi, ut aliis regibus multis, ita et regibus terrae Utz (מלכי ארץ העוץ) id eſt, Emiris Arabum, illo tempore vallem Damaſcenam pererrantibus, poculum propinatur, mala multa portendens. Atque hic quidem terra Utz, cum Arabia conjuncta, diſtinguitur ab Idumaea v. 21. commemorata. Eſt tamen, fateor, locus ob varietatem lectionis incertus: Hieronymus enim ad eum, *ſciendum*, inquit, *hunc verſiculum* (ſola verba ואת כל מלכי ארץ העוץ intelligit) *in LXX non haberi, Theodotionemque pro Us interpretatum eſſe, inſulam.* Hoc quomodo acciderit, ut νῆσον pro עוץ poneret, difficile conjectu. Vallemne cultam in medio deſerti inſulam dicebat, ut ſaepe Arabes et Graeci? Non puto, vallis enim Damaſcena deſertis ſabuloſis non ab omni parte cingitur inſulae in morem, ſed modo arenis terminatur. Librarius pro Αυσου ſcripſerit Νήσου? Id quodammodo veriſimilius.

Addere liceat de orthographiae minutiis. In Graecis bibliis multa nomen varietate lectionis, Ωζ, Ουζ, et Ωσ ſcribi ſolet, itemque a patribus Graecis. Ex his Ωσ ſine dubio

dubio verum, ע enim Hebraeorum per Σ Graeci exprimunt. Unde autem acciderit, ut frequentaretur in hoc nomine insolentior librariorum lapsus, ignoro.

Samaritanus textus in Polyglottis exemplisque manuscriptis non paucis, חוץ habet, manifesto librariorum errore, ע et ח confundentium, quod in adpellando Samaritani literas gutturales non distinguerent. Septem tamen codices, a Kennicotto indicati, versioque Samaritana, עוץ habent, congrue Masorethicis, ac reliquis locis, in quibus nomen recurrit, omnibus.

* * *

וחול et *Chul.*

De lectione dicendum, antequam interpretandi periculum faciamus. Ergo Samaritanus וחויל habet, ac si tertia esset Chavila, praeter versu 7 et 29 memoratas. Nec id protinus damnandum, est enim tertia omnino aliqua Chavila, in descriptione paradisi Genes. II, 11. ad Phasin, i. e. ad Araxem collocata, auri dives, cujus incolae in Russicis adeo chronicis *Chwalinzi* dicuntur, Caspiumque mare, *Chwalinskoye More.* Plura de illa, ubi ad situm paradisi definiendum perventum erit. Nec a verisimili abludit, aliquam Aramaeorum coloniam ibi sedes fixisse, cum ex terris mare inter Caspium et Pontum Euxinum interjectis Abrahamus egressus sit. Vide quae supra de Arphaxado scripsimus. Non displicet ergo lectio, Chavilaeos, Aramaeorum coloniam, ad mare Caspium et Araxem ostendens, qua sumta omni labore defuncti simus.

In Josepho olim Ὄτρος legebatur, manifesto, ut mihi videtur, vitio, quod tamen explicare, ejusque rationem redde-

reddere tentavit Bochartus l. II. c. 9. Vult, Josephum *Otus* (Ὄτος) scripsisse, cogitantem de Otenis, Cyrum fluvium adcolentibus. De his vero si cogitavit, legitne etiam in Hebraicis חוט per Tet? Nomina enim Hebraica Graecis literis exprimere, ac deinde interpretari solet. Minutius, sed tamen conjecturae Bochartianae contrarium, quod Ὄτος per Omicron scribit, Otenorum autem nomen per Omega, Ὠτηνοὶ, scribi solet. Erratum potius librariorum puto, recte in Havercampiana editione in Οὖλος correctum.

Armeniam interpretabatur Josephus, (Ἀρμενίαν δὲ Οὖλος) eumque sequutus Hieronymus, *Ul, a quo Armenii.* Id quidem egregie concineret Samaritanae lectioni, estque fortassis ex illa tralatitium: Aramaei enim ad mare Caspium inde ab Araxe habitantes Armeniae accenseri potuerint, cum et primae Armenorum sedes, teste Mose Chorenensi, valde fuerint boreales, et Ptolemaeus ad Cyrum usque fluvium Armeniae fines extendat. Supra (*) quoque vidimus, Aramaeos et Armenos veteribus communi nonnunquam nomine comprehendi. Nec obstat, quod diversa ab Aramaea Armenorum lingua: ut enim quae supra Nesibin est Aramaeae regio, Aramaea lingua utens, Armeniae accensebatur, quod ejus regibus subesset, ita et borealior Aramaeorum colonia eandem ob caussam ad Armeniam referri potuit.

Bochartus quidem, haec omnia non videns, capite tamen nono libri II. in partes Josephi iit, Armeniamque intellexit, nomina urbium et regionum cum חול quomodocunque concinentia conscribens, ut, *Cholobene*, *Chalva*, *Cholvata*,

(*) p. 121-123.

vata, *Cholimma*, *Colsa*, *Colana*. Nimiae divitiae! Idem ex Stephano sibi objiciens, *Armenos in multis Phrygum linguam imitari*, Stephano opponit Strabonem, qui perhibeat, Aramaea eos lingua uti, atque hunc vera retulisse satis pro lubitu decernit. Equidem a neutro veritatem abjudicaverim: distinguendae gentes, ortu diversae, quae in Armenorum regnum indeque dictam regionem coaluerunt. Est universim illa, Pontum inter Euxinum et mare Caspium, vagina gentium, multilinguis.

Arabs Polyglottorum حولا habet, quod ob terminationem femininam videri potest non ex Hebraico transscriptum, sed nomen proprium fuisse, cujus regionis? id ignoro, necdum enim memini apud Arabum geographos illud me legere.

Jam ad lectionem Masorethicam חול interpretandam deveni: de qua tamen praeter conjecturas nihil me habere fateor. *Cavitatem* quidem et *vallem* cum nomen Aramaeis sonet (*), sive per Jod sive per Vau scriptum, de Coelesyria cogitare incipio. חיל consvetum Josephi tempore Coelesyriae nomen fuisse, videri potest 1 Macc. III, 13. legenti, ac recogitanti, librum Hebraice scriptum, et ex Hebraico in Graecam linguam versum esse: quod enim interpres Graecus habet, ἄρχων τῆς δυνάμεως Συρίας, *dux exercituum Syriae*, pro eo Josephus, per errorem, ut puto Ant. XIII, 7, 1. habet, ὁ τῆς κοιλῆς Συρίας στρατηγός, quibus ambobus in Hebraico textu חיל סוריה convenire videtur. Vide nostras ad hunc locum notas.

Coelesyriam autem dico propriam, quam a Damascene, ut hic Moses, ita et Plinius distinguit libr. V. c. 12. §. 13.

(*) Vide Buxtorfii lex. Chald. p. 747.

§. 13. compleclique ait, *Apamiam, Bambycen alio nomine Hierapolim vocatam, Syris vero Mabog, et Chalcidenen:* libr. V. c. 23. Audacior suspicio, sed nemini qui Graecos noverit, inverecunda habenda, ipsum nomen Graecum Κοιλησυρία, pro more Graecorum, barbara vocabula ad suae linguae etymon transformantium, ex חול ortum esse, Cheth fortius adpellato. Ita jam eam partem teneremus regionum ab Aramaeis habitatarum, quae sola in Mose desiderari poterat: quod facit, ut praeferre Hebraici textus lectionem incipiam, meamque interpretationem amare.

* * *

וגתר *et Gether.*

Bactrianos intelligit Josephus, cujus ipsa verba adscribo: καὶ Γάθερος Βακτριανοὺς sc. κτίζει. Suspicabatur Bochartus l. II. c. 10. *Syrum aliquem scripsisse, Getherum habitasse* בגתרא, in *Gethera, idque Josephum male legisse, Bagtra vel Bactra.* Quid si potius is Judaeorum, qui primus ita interpretatus est, quemque sequitur Josephus, Vau praefixum pro parte nominis habuerit, adpellaveritque, וְגֶתֶר *Vagther?* Mihi quidem veri dissimillimum, gentem ab Aramaeis tam remotam, aliaque omnino, ut ex nominibus propriis adparet, lingua utentem, Aramaeam ortu fuisse.

Veri adhuc dissimilius Hieronymus *Cares*, Asiae minoris, et *Acarnanes*, Graeciae adeo occidentalis populum, posteros dat Gethero. Hinc, lingua tam diversi, Aramaei videbuntur?

Bochartus, nihil definiens, eosque refellens, qui *Getaram* Albaniae urbem ad mare Caspium conferunt, cujus

jus nomen potius ſit, *Gagara*, quaerit, poſſitne *Centrites* fluvius, Carduchos ab Armeniis dividens, a Gethero nomen habere? Addit, Arabem interpretari الجرامقة (*) *Garmacidas*. Quod quidem ex reliquis et nobis videtur veriſimilius. Garamaeorum regio, Syris ܒܝܬ ܓܪܡܝ, quae fuerit, in parte prima ſpicilegii p. 14. 15. expoſitum. Convenit ſane nomini fluvii Garmacidarum ſitus, nec a vero abludit, ibi locorum coloniam Aramaeam fuiſſe. Nec tamen certi quid definio.

Pocokius in ſpecimine hiſtoriae Arabum p. 37. (**) veri diſſimillime populum Arabiae *Gadis* (جديس) dictum audaci conjectura ad Getherum refert. Nempe Abulfeda ſcripſerat, Gadiſaeos filios eſſe Eberi (بنو عابر), id vero nulla alia omnino cauſſa, nullo ſuſpicionis indicio, corrigit in بنو غاثر *filios Getheri.* Praeter conjecturae audaciam duplex admiſſum vitium,

1) minutius, quod pro ת Hebraeorum ponitur ث, ſed hoc facile emendes, غاتر reſcribens

2) quod غ pro ג ponit: nunquam enim Arabes in domeſticis vocabulis غ et ج permutant. Faciunt id Judaei et chriſtiani, literis Hebraicis Syriacisque Arabica ſcribentes, ſed hic mos recentior; faciunt Arabes in exoticis nominibus, G purum habentibus. At Moſes nomen intimae Arabiae ſcripturus, pro غ non ג ſed ע repoſiturus erat.

De

(*) In chronicis per Gain ſcribitur, غرامقة, nempe quod exterum eſſet vocabulum, et G purum, non ſibilans.

(**) Sic ille, غاثر *ſc. non* غابر, *ut in meo Abulfedae exemplari, legendum* CONST. AT *Vide Geneſ. X, 23. vel potius* جاثر, *ut Hebr.* ג *efferre ſolent Arabes.*

De Gedrosiis neminem cogitasse miror, cum omnia conquirerentur. Sunt autem nimis remoti, quam ut ipse de iis cogitandi periculum facere velim.

Ergo verisimiliora reliquis Bochartus habet: verum, adhuc quaero, nec dum inveni. חול si Coelesyria est, in vicinia jam Ciliciae sumus, Syriae accensae, in qua si quis Getherum ostenderet, lubens amplecterer: sed vix quidquam spero, his enim in oris antiqua nomina Graecis obliterata sunt et deleta.

* * *

ומש et Masii montis incolae.

Triplex est lectio nominis, sensu et interpretatione diversa,

1) מש, quod et verum arbitror, habent in Pentateucho textus Hebraicus, exigua, quam infra notabo, lectionis varietate, Onkelos, Vulgata (*Mes*) Syrus (ܡܫ) et Arabs uterque, ماش: in libris praeterea chronicorum Syrus et Arabs.

2) משא habent, in Pentateucho textus Samaritanus cum versione, atque, ut deinceps videbimus, Josephus. Eodem redit, quod ex uno codice Hebraeo, quem numero 388 significavit, habet Kennicottus, משה.

3) משך exhibent, in libris chronicorum (ut jam hinc incipiam) textus masorethicus, eique aut obsequiosus, aut obsequiosos masorethas nactus, Chaldaeus, Vulgata, et ex quibusdam codicibus (alii enim hic hiant) LXX, μοσοχ, quod in Hexaplis alii ignoto interpreti graeco tribuitur. In Pentateucho hanc lectio-

ctionem exprimunt LXX (μοσοχ) unusque codex Kennicotti משר habens, quod ex משך ortum videtur. Tertiam lectionem ex errore librariorum, geographiae imperitorum, ortam puto, qui cum ignorarent, quid מש aut משא esset, iterum de populo nobiliore, Moschis, versu secundo jam commemoratis, cogitarunt, eorumque nomen pro ignoto reposuerunt. Ergo de reliquis duabus lectionibus, masorethica Pentateuchi et Samaritana, agendum.

Lectionis מש verissimam interpretationem vidit, sed et breviter nimis, et alia confundens, protulit, Bochartus, l. II. c. 11. *montem esse Masium, qui Nesibi urbi* a septemtrione imminet.

Recte vero ille. Pars est mons Masius Gordyaeorum montium, Hirmasum fluvium fundens, quo Nesibis rigatur. Arabibus Gudi, vel pro Arabica nominis adpellatione Dschudi, (جودي) vocatur, superest tamen antiqui et Mosaici nominis memoria atque adeo orthographia in fluvio, quem Syri ܢܗܪܐ ܡܫܐ aut ܢܗܪܐ ܡܫܟ, *fluvium Masche* vel *Maschi* vocant (*). In Masio ergo monte cum colonia Aramaeorum consederit, jam liquet, quae sit ארם, *Aramaea Nesibena*, cujus cum rege Hadadezere Davides bellum gessit, nostra nempe in montibus Masiis Aramaea,

(*) Assemani bibl. Or. T. II. in indice geographico sub *Nisibi*, inque eodem tomo p. 110. textus, denique T. III. P. I. p. 498. Ipsum quoque Arabicum fluvii nomen, *Hirmas*, هرماس, ex Syriaco *Neharmasch* variatum et detruncatum est, nomen Masii montis his adhuc literis, ماس, servans. Graeci Mygdonium vocare solent.

maea, metropolim habens Nesibin, *ita* tamen, ut facile intellectu sit, multo latius Hadadezerem, ex hostibus Davidis potentissimum, regnasse, et Armeniam quoque, si placet, in ditione habuisse. Vide pag. 124. 125. et commentationem de צובה Nesibi.

Est et in Armenorum historia frequens Masii montis mentio, sed quem sibi quodammodo abjudicant, licet deinde regno junctum. Tradunt enim, primo ultra Araxen (*Aras* nunc dicitur) versus boream Armenos habitasse, deinde *Amasiae* regis ductu Araxen superasse, montiumque jugum, quod ei meridionale est, occupasse, et ab Amasio *Masium* dixisse. Ergo certe antiquissimis temporibus Masii Montes, ipsis Armenis fatentibus, non fuerunt Armenorum. Vide Mosis Chorenensis historiam p. 32. 33. et, si plura de situ montis Armeniae adjuncti cupias, paginas in indice notatas.

Samaritana lectio, משׁא, eodem modo explicari et potest, et, nisi fallor, debet: Masii enim montis nomen, ut vixdum vidimus, a Syris etiam cum Aleph ܡܫܐ scribitur. Sed et aliam fert interpretationem, eamque Josephus arripuit, Mesenen, quae est circa Bassoram ad Tigridis Euphratisque exitum in sinum Persicum, Syris ܡܝܫܢ dictam, intelligens, Μησᾶς κτίζει Μησηναίους. Nempe משׁא eodem sensu accepit, quo mihi quidem versu 30 occurrere videtur, ubi plura de nomine dabo. Alia, quae Bochartus de Mesene scripsit, Josephum illustraturus, non repeto: nec quae contra errorem Hieronymi αὐτοκατακρίτου promit, משׁ *Maeones* interpretantis.

V. 24.

V. 24.

וארפכשד ילד את שלח ושלח ילד את עבר

Et Arphachasd genuit Schelach, et Schelach genuit Eber.

Copiosius de hoc versu Bochartus l. II. c. 13. 14. egit, in quibus licet multa non probem, de plerisque tamen dicere non attinet, quod nihil ad geographiam: illo forte unico excepto, quod in fine capitis 13 habet, Schelachum, seu, ut ipse ad Graecorum Latinorumque morem vocat, Selam, veterum nonnullis visum fuisse Susianorum conditorem, eique sententiae non parum accedere roboris, quod teste Ammiano Marcellino (*) inter paucas tractus Susiani urbes *emineant, Susa, saepe domicilium regum, et Tariana, et* SELA, (seu, ut alii legunt, Sele). Mihi vero hic nominum, ut Graecis Latinisque scribuntur literis, concentus, vix quidquam momenti facere videtur, donec constet, nomen urbis iisdem ab Arabibus indigenis literis scribi, quibus viri Hebraicum. Graeci enim et Hebraei cum literas nonnullas Orientalium, in quibus prima est et tertia nominis Schelach, distincte exprimere nequeant, male ex illis de nominibus propriis orientalium judicamus: fiuntque saepe ex Graecorum et Latinorum scriptione eadem, que recte, suisque literis genuinis scripta, dissimillima. In Selae ipso exemplo ut maneam, faciamus, nomen urbis fuisse Hebraicum, (quamquam id in Susianorum tractu veri parum simile), forte סלע scribebatur, id est, *Petra*, nec habebit cum Schelachi nomine quidquam praeter unicum elementum L commune. Hoc autem lusu nominum demto tota concidit veterum non traditio, sed opinio,

(*) l. XXIII. c. 6. p. 293. editionis Lipsiensis anno 1773 factae.

opinio, ex hoc ipſo luſu hauſta, cum Schelachi nomen Graece ΣΑΛΑ ſcriptum legerent: ac ne video quidem, cur Schelacho quaerendi ſint populi ab eo orti, nomenque ejus ſervantes, praeter illos, qui a nepotibus ejus Ebero et Joctane orti usque ad finem capitis memorantur, et vel cupidiſſimo copioſae ſobolis ſuffecerint.

In Corano Selachus memoratur, propheta Themudenorum, quem interpretum nonnulli pro noſtro Schelacho habuerunt, plerisque aliam ejus genealogiam et aetatem prodentibus, eumque poſt Hudum, id eſt, Eberum vixiſſe tradentibus. Vide Marraccium ad Suram VII, 74. et Herbelotum ſub Salah p. 740. Me quidem judice hi rectius ſentiunt, diverſique ſunt Schelachus Moſis, Arabumque Selachus. Ne nomen quidem Arabicis literis ſcriptum commune: noſter enim שׁלח eſt, Arabicoque interpreti شالح, ſeu, ut in Erpenii editione legitur, شلخ per Schin, Themudenorum propheta صالح per Tſade.

De Cainane, quem LXX Arphachasdi filium, Schelachi patrem, faciunt, et de quo nonnihil ad hunc verſum habet Bochartus, quid ſentiam, copioſius expoſui in commentatione *de chronologia Moſis a diluvio ad Abrahamum* (*) §. 2-9.

Eberum Arabibus Hudum eſſe, Aditarum prophetam, nec a parentibus coaevisque, ſed a poſteris et hiſtoricis utroque nomine vocitatum, quod Hebraeorum eſſet Judaeorumque progenitor, jam pagina 66 monui. Verum

(*) decima quinta *commentationum noſtrarum Societati Scientiarum Goettingenſi per annos* 1763. 1764. 1765 *et* 1768. *oblatarum.*

rum ergo viri nomen ignoramus, ſolis cognominibus poſt mortem inditis, tantarum gentium patrem noſcit hiſtoria.

V. 25.

ולעבר ילד (*) שני בנים שם האחד פלג כי בימיו נפלגה הארץ ושם אחיו יקטן

Ebero nati ſunt duo filii: nomen unius, Phaleg, quod tempore ejus diviſa eſt terra, et nomen fratris ejus Joctan.

De diviſione orbis terrarum tempore Phalegi facta, non, ut puto, ſorte, pacto, teſtamento, ſed ſeceſſione et migratione eorum, qui hucusque junctim habitaverant, in alias regiones, incolis vacuas, ut cuique luberet, non hic eſt agendi locus: de fabula enim quam Moſi obtruſit traditio, quid ſentiam, et cur eam repudiem, ſi quis ſcire cupit, inveniet in jure Moſaico T. I. §. 29.

Eſt

(*) Nihil in lectione mutandum cenſeo, nec praeferendum Samaritanorum ילדו, quod correctorem ſapit, licet unice illud probet, maſorethicamque lectionem foedam pronuntiet, Houbigantius. Nempe grammaticae orientalium linguarum parum peritus, ad latinam omnia referebat, cujus praeceptis ſi quid vitioſum eſſet, eodem jure ſoloecismis adnumerabat et corrigebat, quo aeque indoctus graecarum literarum criticus πάντα συνεργεῖ Rom. VIII, 28. ut vitioſum in πάντα συνεργοῦσι correxiſſet, ſi quis ejus ſimilis ad criticam Novi Teſtamenti acceſſiſſet. Quis vero Arabicarum literarum vel mediocriter peritus hanc legem ignorat, cujus exempla in grammatica noſtra Arabica §. LV. n. 2. invenies: *nomina pluralia humana cum verbo ſingularis numeri conſtrui poſſunt, ſi verbum praecedat*? Kennicotti biblia conſulens, ne unicum quidem codicem Hebraicum ילדו habere video: verſiones pro Samaritana lectione citari nequeunt, quae ſi verbo plurali utuntur, faciunt id, non quod aliter legerent, ſed ſuarum linguarum ſequutae ſyntaxin.

T

Eſt autem in nomine Phalegi, cujus etymon ipſe exponit Moſes, ingens argumentum ſententiae p. 65. 66. 76. 77. dictae, multa ex his nominibus non prima eſſe, a parentibus indita, ſed cognomina, quibus poſteri quemque adpellarunt, obliterato proprio nomine hiſtoriae ſcriptoribus uſurpata. Certe ob inſtantem Phalegi tempore diviſionem terrarum nomen ei a patre indi non potuit, niſi propheta eſſet, ut conjicere hic auſus eſt Raſchi. *Hinc*, inquit, *intelligimus, Eberum prophetam fuiſſe, qui nomen filio indidit ex eventu.* (למדנו שהיה עבר נביא שקרא שם בנו על שם העתיד).

Cognomen ergo potius quam nomen cum ſit, ipſo Moſe indicante, plane non aegre tulerim, quod interpres chronicorum c. I, 19. Arabice قاسم (Kaſim) vertit: idque enoto, ut ad ſequentia proficuum, ubi de Joctane, Arabum Cachtane agam, ſuſpicaborque, alia quoque gentium Arabicarum nomina non iisdem literis et ſyllabis, ſed ſynonymis idem ſignificantibus in Arabia vocari. Caeterum non ita Pentateuchi interpretes, ſed Maurus ab Erpenio editus, فالج, easdem literas ſervans quibus nomen Hebraicum ſcribitur, et Arabs Polyglottus فالغ, per Gain. Nempe eſt ea verſio, quam in Polyglottis legimus, atque a Saadia cognominare ſolemus, aut tota ex Graeco facta, aut mixta, multa habens ex graeco verſa (*); ſolent autem Arabes pro Graeco G ſuum غ reponere, ubi graeca nomina ſuis literis ſcribunt, neutiquam pro Gimel Hebraico, quo de more plura in grammatica Arabica.

Sed ſupereſt, ut de loco Epiphanii dicam, maxime ad geographiam faciente, ſed male a Bocharto (**) intellecto, ſeu

(*) Vide bibliothecam noſtram Orientalem T. IX. num. 152.

(**) p. 95.

ſeu potius prave lecto, qui eum ſic vertit: *Phaleg et Regau, qui, cum ad Europae clima divertiſſent Scythiam verſus, cum ipſarum gentibus coaluerunt inde ab aevo Thiras et deinceps, ex quo Thraces orti ſunt:* indeque efficit, Epiphanium putaſſe, *Phaleg et Regau, illum atavum, hunc abavum Abrahae in Europam deveniſſe, et cum Scythis et Thracibus in unum corpus coaluiſſe.* Non oppoſuerim equidem huic commento, quod opponit Bochartus, (commentum non minus turpe Judaicum) *Phalegum et Regau Hebraeae linguae puritatem ad poſteros transmiſiſſe*, quam enim dicere ſolemus Hebraicam linguam, ea ſine dubio non patria fuit Abrahami ejusque majorum, ſed Chananaea, a Chananaeis accepta, ut alibi ad Geneſ. XXXI, 47. Jeſ. XIX, 18. diſputare copioſius ſoleo: nec tamen nego manifeſti erroris teneri, ac Moſi contradicere, ſi quis Phalegum in Europam conceſſiſſe, et Thracum fuiſſe progenitorem putaret. At nihil hujus monſtri habet Epiphanius, imbecillior quidem et nonnunquam ſubridiculus, ubi fontes errorum haereticorum inveſtigat, ſed tamen hic micam forte aliquam verae hiſtoriae ſervans, geographo non ingratam. Sic ille in reſponſione ad Acacii et Pauli epiſtolam, quam haereſium hiſtoriae praefixit, *Scythiſmi*, fictitiae haereſis, ortum proditurus: Δευτέρα Σκυθισμὸς, ἀπὸ τῶν ἡμερῶν τοῦ Νῶε καὶ μετέπειτα, ἄχρι τῆς τοῦ πύργου οἰκοδομῆς, καὶ μετὰ τὸν τοῦ πύργου χρονον, ἐπὶ ὀλίγοις ἔτεσι, τουτέστι Φαλὲκ καὶ Ῥαγαῦ, ὅιτινες ἐπὶ τὸ τῆς Εὐρώπης κλῖμα νενευκότες τῷ τῆς Σκυθίας μέρει, καὶ τοῖς αὐτῶν ἔτεσι προσεκρίθησαν ἀπὸ τῆς τοῦ Θηρᾶς ἡλικίας, ἐξ οὗπερ οἱ Θρᾶκες γεγόνασι: i. e. *ſecunda ſectarum eſt Scythismus, a diebus Noachi, et deinceps usque ad turris aedificationem, paucosque poſt annos, i. e. Phalegi et Ragaui tempore, qui in viciniam Europae a Scythiae parte progreſſi moribus Thracum, inde a tempore Thiraſi Thracum progenitoris, adſueverant.*

rant. Eorum memor, quae ſupra de Chaldaeis, Arphachasdo, et patria Abrahami diſputavi, vel me tacente recte conjiciet, quam mihi hic inveniſſe veri micam videar: Phalegi, aliorumque Abrahami majorum verſus boream, Pontum inter Euxinum et mare Caspium, haud procul a Scythia, vel potius in Scythia Aſiatica, Europaeque vicinia, vagas Nomadum more ſedes.

יקטן *Joctan.*

De Joctane, ſeu, ut Arabes illum vocant, Cachtane (قحطان) recte et vere diſputavit Bochartus l. II. c. 15. ut parum ei addi opus ſit. Plura ſi quis de Cachtane ſcire cupit, non hic deſcribenda, petet ex Pocokii ſpecimine hiſtoriae Arabum p. 38. 39 et Aſſemani bibliotheca Orientali T. III. P. II. pag. DLIII. ſequ.

Arabiam, quam Graeci Latinique Felicem, indigenae Jemen, i. e. Auſtrum dicunt, a duobus populis ortu diverſis, Cuſchaeis Indisque habitatam fuiſſe, in prima ſpicilegii parte p. 144. 145. dictum: ex his ergo quos Indos Graeci, Latini, Syri, vocare ſolent, Joctanitae ſunt, ſeu, ut Arabico nomine utar, Cachtanitae.

De Indiae nomine, Arabiae Felici indito, ſi quis plura cupiat, eum ad Joſephi Simonii Aſſemani bibliothecam Orientalem, T. III. P. II. p. 568-570 ablego: a quo tamen una in re me diſſentire intelliget. *Homeritae*, inquit, *dicti etiam ſunt*, *Aethiopes et Indi*, Aethiopas et Indos eosdem faciens: nec negaverim, latius ſumtum Indorum nomen Aethiopas quoque complexum eſſe, exteris ſcriptoribus vicinas gentes, eandem habitantes regionem, eademque aut ſimillima lingua utentes, confundentibus. In ea tamen ſum

ſum ſententia, proprie et ſtrictiore vocabuli ſenſu, Indos Joctanitas fuiſſe, oppoſitos Cuſchaeis ſeu Aethiopibus, quae duae gentes per maculas Arabiam Felicem habitabant. Haec ex ipſa magni viri bibliotheca Orientali hauſta ſententia, maxime ex verbis Simeonis, quae pag. 145 tomi ſuperioris, jam excerpſi, nec repetere opus duco. Manifeſte Simeon Indos et Cuſchaeos diſtinguit, ſeptemque regna commemorat, tria Indorum, quatuor Cuſchaeorum.

Haec nominis Indiae ambiguitas fraudi fuit Joſepho, qui, Joctani filiis ſolo tenus nomine proditis, haec ſubjungit: οὗτοι ἀπὸ Κωφῆνος ποταμοῦ τῆς Ἰνδικῆς καὶ τῆς πρὸς αὐτοῦ Ἀρίας τινὰ κατοικοῦσι: *hi a Cophene inde fluvio, ſitaque ad illum Aria, loca quaedam incolunt* (*). Audierat ſine dubio a magiſtris, Joctanitas Indos eſſe, nec id male: at Indos Felicis Arabiae ignorans, de Indis ad Cophenem, Indum et ultra cogitabat. Mirum quod ita errare in vicina gente, ſacrorum quoque communione cum Judaeis conjuncta errare potuerit, atque, ut uno illum manifeſto peccato teneam, Hadramautam Arabiae Felicis, cujus totidem literis a Moſe nomen ſcribitur, ignorare. Verum ignariſſimus rerum Felicis Arabiae fuiſſe videtur: cum enim ex domeſticis Arabum ſcriptoribus nobis certo conſtet, eo ipſo tempore, quo Joſephus vixit, floruiſſe per Arabiam Felicem Judaicam religionem, regno adeo haud raro potitam, nullam omnino hujus rei notatu digniſſimae in ſua hiſtoria fecit mentionem. Meminerimus autem, ſtante Hieroſolyma nunquam eum de ſcribenda hiſtoria cogitaſſe, nec illi paraſſe ſubſidia, quod ſi feciſſet, vel ex illis, qui communium ſacrorum cauſſa Hieroſolymam adibant, certiora

(*) Ant. I, 6, 4.

tiora reſcire de rebus Arabiae Felicis, Joctanitisque potuiſſet; ſed extorrem, procul a patria, deleta urbe, templo, ac re publica, illum antiquitatum librum ſcripſiſſe, in quo grate laudanda, quae praeſtitit, condonanda, quae non ſua culpa peccavit.

Sed ſupereſt, ut de Joctanis nomine dicamus, primo minute et grammatica, deinde, paulo graviora: יָקְטָן (*Joctan*) efferri voluit, qui puncta adſcripſit, eique proximus, ſed in Graecorum gratiam, ultima litera N in caſum verſa, Joſephus, Ἰούκταν (*): at LXX, quos Vulgata ſequitur, Ἰέκταν, *Jectan*, id eſt, יִקְטָן, Chirek, Syrorum more, ut ſolent ſeptuaginta, per ε expreſſo. Utrumque, tertia perſona futuri a verbo קטן *parvus fuit*, illud maſorethicum in Hophal, hoc ſeptuagintavirale in Kal. Utrum rectius, Moſes dixerit: mea non refert.

Jam cum tempore Joctanis mire decreverit humanae vitae longaevitas, pene ad dimidium (**), non defuerunt, qui hanc diminutionem nomine Joctanis ſignificari putarent. Sic Chaldaeus chronicorum interpres, c. I, 20. *nomen ejus fuit Joctan, quod in diebus ejus coeperunt homines dimidiari* i. e. citius mori quam antea, vix dimidium attin-

(*) Ἕβερος δὲ Ἰούκταν (ſic in caſu quarto ſcribit) καὶ Φάλεκον ἐγέννησε: et paulo poſt, Ἰούκτᾳ δὲ ἦσαν ὑιοὶ &c.

(**) Decreverat hucusque longaevitas, ſed ſenſim: at ab Ebero ad Phalegum, Joctanis fratrem, una in generatione a 464 annis ad 239, id eſt ultra duo ſecula, ſubſedit, nec id in Phalego ſolum, ſed et in poſteris, ſenſim iterum decreſcente longaevitate, obtinet. Eſt hic aliquis, ut alibi dixi, ſaltus naturae in decreſcendo. A 930 annis Adami, et pluribus Methuſalae, ad 80, 70, 60, defluximus, ſed ſenſim, modicis intervallis: hic unum intervallum 225 annorum in una generatione magno hiatu patet.

attingere aetatis patrum, *ob peccata ipſorum.* Eadem fuiſſe videtur ſententia Raſchii (*), huic verſui adſcripta, ſed praemiſſis verbis de Phalego agentibus, כי בימיו נפלגה הארץ. *diviſi et dimidiati fuerunt dies hominum. Nam primum homines nongentos annos vivebant: poſtea tempore Arphaxadi et ulterius quadringentos. Phalegi denique tempore et poſtea quadringenti anni in ducentos diſſecti ſunt.* Luſus dicerem etymologicos in alio nomine, nec forte dignos haberem, quos niſi jocans referrem, hoſtis etymologiarum in geographia, niſi ſuccurreret, quod fratrem Joctanis, Phalegum, a diviſione gentium ac terrarum nomen accepiſſe, ipſe Moſes paulo ante auctor fuerat. In fratris nomine Moſe etymon prodente, non a vero abludere videtur, idem in Joctane tentari poſſe, id vero eſt, ut aliis verbis, et planius dicam, Joctanem hoc nomen non a parentibus inditum habuiſſe, ſed cognomen eſſe, quo a poſteris, ab hiſtoriae ſcriptoribus, a poëtis, quorum voce antiqua hiſtoria ſervata videtur, vocitatus fuit. Quae ſi me conjectura non fallit, forte et audacior factus conjicere auſim, quomodo acciderit, ut qui Moſi Joctan, ipſis ab eo progenitis Arabibus Cachtan (قحطان) dicatur. Quid? ſi ſynonymum ſit, idem ſignificans, ſed ab Arabico verbo قحط ductum, quod Arabum lexicographi (ipſe enim non jam memini me legere) vertunt, *inhibita fuit, defecit pluvia, ſiccitate anni laboravit, penuria laboravit, ſemen in concubitu non ejecit*, &c. Prima vis forte in diminutione, ſicque Cachtan idem ſignificabit, quod Joctan. Nempe uſitatiſſimum Orientalibus, nomina propria vertere, (ut noſtri

(*) Citaverat locum ante Beckius in notis ad chronica Chaldaica, ſed alio fine, et forte aliquid erroris admittens, quod Wilkinſius in praefatione ſuae editioni paraphraſis Chaldaicae chronicorum, indicavit.

noſtri ante aliquot ſecula) et ſynonyma pro illis ſubſtituere (e.g. אשבשת pro אשבעל) qua de re in grammatica Hebraica majore agam copioſius: maxime autem ſolent iidem viri, Arabum Hebraeorumque hiſtoria nobilitati, alio ab Arabibus nomine vocari, alio ab Hebraeis.

Monendum hoc duxi ob ea, quae ſequuntur, nomina filiorum Joctanis: patris enim ſi Arabes ipſi Cachtan vertunt, non inopinabile videbitur filiorum nominibus ſimile quid accidiſſe (*), nec refugiendum, quod de *Jeracho* habet Bochartus, nomen Arabice *Halal*, vertens (utrumque enim ירח et هلال *lunam* ſignificat) et ad Alalaeos referens. Forte idem in pluribus tentandum; illarumque ingentium tenebrarum, quae ab hoc inde verſu offundi interpretibus incipiunt, unica cauſſa, quod Joctaniticae tribus, quarum nomina Hebraica Moſes prodit, aliis apud Arabes nominibus, idem ſignificantibus, noſcuntur.

Caeterum ſi quis quaerat, unde tanta repente Phalegi et Joctanis tempore diminutio vitae humanae? quid nos ſentiamus inveniet in *ſententia de chronologia Moſis a diluvio ad Abrahamum* §. 17. pag. 196. *commentationum per annos* 1763-1768 *praelectarum.*

V. 26.

(*) Aliter hic ſenſit, quem ſupra citaveram, Raſchius; *Eber fuit magnus propheta, ideo Joctani nomen ex re impoſuit: aſt caeterorum nomina non poſſunt exponi, quoniam non ex ore prophetae impoſita ſunt.* Forte hic ita, quod ſtomachum moverent ſtultae etymologiae, ab interprete Chronicorum Chaldaeo tentatae, quas, quod non probavit, laudo: nec tamen Phaleg et Joctan prophetica nomina puto eſſe, ſed cognomina hiſtorica.

V. 26.

ויקטן ילד את אלמודד *Et Joctan genuit Almodadem.*

Magnopere hic diſplicet non audacior modo, ſed et temeraria conjectura Bocharti (*), ex, Almodad, *Allumaeos*, Arabiae felicis populum, a Ptolemaeo memoratum (**) exſculpens. Vera aut veriſimilior ſi eſſet parum tamen profeciſſemus, ſitum Allumaeorum ignorantes: nihil certe in geographia profecimus, ſola veterum nomina habentes, ſed id modo ſcimus, quod recentiores viderunt, deſcripſeruntque adcuratius, quam veteres aut ſolebant aut poterunt in illa mathematum infantia. Sed ne mediocriter quidem conveniunt *Almodadi* et *Allumaeorum* nomina, maxime ſi, *Al*, articulus ſit Arabicus, non pars nominis: in *Modad* enim, quis *Allumaeos* inveniat, niſi cui hariolari, inque literis ludere fas ſit?

Haec non ita diſputo, ac ſi mihi melior, veriſimiliorque nominis explicatio ſuppeteret. *Modad* quidem in memoriam revocabat conſonans urbis *Modiad* (مديار) (***) nomen, ſitae cis Tigrim in Turabdinenſi regione, provinciae Diarbekir: ſed illa longe ab Arabia, ut per verſum triceſimum, fines Joctanitarum deſcribentem, hujus loci eſſe nequeat.

Arabem conferenti, qui cum in Pentateucho tum in chronicis nomen per Dſal ſcripſit, الموذاذ *Elmuzaz*, Muzae,

(*) l. II. c. 16.

(**) p. 154. ὑπὸ τοὺς βλιουλαί-ους Ἀλλουμαιῶται.

(***) Quaere in Aſſemani bibliotheca Or. T. II. in indice, quem diſſertationi de monophyſitis inſeruit, geographico: in quo et Turabdin invenies: qui liber quibus non ad manus eſt, adeant Büſchingii deſcriptionem Aſiae.

zae, emporii quondam celeberrimi Arabum, in mentem veniebat: ſed et haec abdicanda conjectura, ſi Muzae nomen ſupereſt in vico caſtelloque, quinto circiter milliari germanico a Moccha (*), hujus enim nomen موزع ſcribunt Arabes, i. e. מוזע, quod cum מורד conferre non auſim.

ואת שלף *et Schalef* i. e. *Salapenos.*

Nihil habeo, quod Bocharto adjiciam, *Salapenos* Ptolemaei (**) intelligenti, niſi quod cuperem, de ſitu regionis certius quid ac verius habere, quam ex tabula Ptolemaei ſtatui poteſt: ſed id deſpero, donec in intima Arabiae penetrare Europaeis contigerit. Tabulam Ptolemaei ſi cum noſtris melioribus conferas, ut cum d'Anvillianis, videbis, *Alapenos*, (ſic in tabula per errorem pro Salapenis dicuntur,) in provincia *Neged el Ared*, vel *Jemama*, vel proxime ab alterutra quaerendos eſſe: ſed quis noſtrorum illuc ſe penetraturum ſperet? Nec vero Ptolemaeo, non parum hic erranti, fidere licebit. Ipſe ad quem Salapenos collocat, major fluvius, Betius, ex media Arabia ortus, inque mare effluens, ſuſpectus, recentiores enim geogra-

(*) Vide Niebuhrii deſcriptionem Arabiae p. 223. Eſt quidem ea urbs mediterranea, ſed Mocchae portu uti olim potuerit, ut multa habemus emporia, non ad ipſum mare ſita; ipſa enim urbs Mocha multo recentior; docente Niebuhrio, p. 222. Aliter dubium ſolvit Büſchingius, Muzam prope Moccham ipſe quoque Muzam antiquorum habens. Mare ait receſſiſſe, olimque ad Muzam pertinuiſſe. Eſt ſane receſſus longior, quem portuum perito vix adprobaverit: nec eo opus, ſed ſufficit, emporia non ſemper ad ipſum mare ſita fuiſſe, portu propinquo utentia.

(**) L. VI. p. 154. τούτων ἀπὸ δύσεως Μανῖται, ὑπὲρ οὓς Σαλαπηνοί.

geographi eum non habent, docentque, plerosque Arabiae, non tam fluvios, quam torrentes, arenis abſorberi, antequam ad mare exitus detur: urbes proximae ſunt, *Carna*, ac *Lathrippa*, ſeu, ut in libro ſexto p. 155. vitioſe ſcribitur, *Laorippa*, Θ expalleſcente ductu medio in O mutato. (ΛΑΟΡΙΠΠΑ, pro ΛΑΘΡΙΠΠΑ). Haec nomina inveniens, vix poſſum non de Carna, Minaeorum metropoli (*), ſeu, ut pleniore eam nomine ſcribam, *Carn el manazil* (قرن المنازل) cogitare, urbe Meccae ab Auſtro vicina, quam in d'Anvillii Aſia facile invenies: idque eo magis, quod populum Salapenis vicinum *Manitas* vocat Ptolemaeus. Lathrippam autem legenti ſtatim ultro ſe offert celeberrima Arabiae urbs, Medina, alio nomine *Jathrippa* يثرب dicta, teſte Abulfeda p. 31. Arabiae: ſuſpicorque non unum modo, quem ſupra arguebam, errorem, in nomine urbis deſcribendo commiſſum eſſe, ſed et alterum accedere, ΛΑΘΡΙΠΠΑ pro ΙΑΘΡΙΠΠΑ. Jam noſtros geographos ſi conſulas, multo certe in Arabia Ptolomaeo meliores, unamque adeo d'Anvillianam Aſiae tabulam, ſtatim videbis, multum in ſitu Jathrippae et Carnae erraſſe Ptolemaeum.

Muhammedani ſi operam darent geographiae, Meccam ſacrorum cauſa adeuntes, explorare nosque docere poſſent, ad quae noſtris eruditis aditus non datur. Sed eos quis hoc eruditionis bonarumque literarum guſtu imbuere poſſit? Bellum ſi quanda Turcicum, aut alius fortunae luſus, det Orientis peritis Muhammedanum, Arabicae linguae peritum, erectioris ingenii offerat erudiant eum noſtris literis, doceant etiam noſtro more, id eſt, gram-

(*) Vide, donec alia occaſione de hac urbe agam, *Aſſemani* bibliothecam Or. T. III. P. II. p. 555.

grammatice, Arabica, (aliud enim eſt, linguam vernaculam loqui et intelligere, aliud grammatice cognitam habere) monſtrent hanc ad immortalitatem nominis viam, ut Meccam profectus, et inde ad intima, ſi fieri poteſt, Arabiae, ignota nobis, et certa, non de his ſolis Salapenis, quos parum curo, ſed de intima Arabia, geographia, moribus gentis, lingua, herbis, animalibus, referat. Id qui fecerit, immortalis erit.

ואת חצרמות *et Hadramaut.*

Chatſarmavet, ſic enim Hebraicum nomen adpellare ſolemus, eam eſſe Arabiae regionem, cujus in hunc usque diem nomen iisdem literis ſcribitur, حَضْرَمَوْت, atque, T'ſade puncto notato, adpellatur Hadramaut, ita plene diſputavit Bochartus l. II. c. 17. ut hac mihi parte otium fecerit, exiguum relinquens ſpicilegium.

In tabulis Aſiae d'Anvillianis, quas omnibus ad manus eſſe cupio, Hadramautam invenient lectores ad mare Indicum poſt gradum longitudinis 65, latitudinis 15. Niebuhrii delineationem terrae Jemen conferentes, poſt gradum jam 13 initia finium Hadramautae notata videbunt: nec Niebuhrius D'Anvilliusque ideo ſibi contradicere putandi, nomen enim latiore et anguſtiore ſignificatu ponitur, aliquando ipſam adeo Sabaeorum metropolim, Maribam complexum. Deſcriptionem regionis geographicam qui cupiunt, adeant Niebuhrium, (hic tamen non, ut alias, αὐτόπτην,) in deſcriptione Arabiae p. 283-294. et Büſchingii geographiam Aſiae. Non αὐτόπτην dixi Niebuhrium, quam ob cauſſam delineationem Hadramautae non dedit; hauſit tamen ſua ex Arabibus qui eam regionem adierant,

et

et quorum unus plerasque Haudramautae urbes ipſe viderat. Ex hujus appellatione urbium nomina ſcripſit. (p. 288)

Graecos Latinosque ſcriptores cum hic citarit excerpſeritque Bochartus, non ingratum me facturum lectoribus puto, ſi Arabem, Idriſum, ſeu ut vocare illum a patria ſolent, Nubienſem, addidero. Utinam ipſa ejus verba Arabice deſcribere liceret, eſt enim Arabica editio in paucorum manibus, ut pene manuſcriptis codicibus aequiparari poſſit, ſed meus typographus cum commodatis ab alio utatur typis Arabicis, non ſuis, vereor, ut typi ſufficiant. Ergo quod poſſum facio: latine verſum locum Nubienſis exhibeo, ac nomina propria Arabicis literis ſcripta verſioni intexo. Sic ergo Nubienſis ſub finem partis ſextae climatis primi (*). *In ora maritima terrae Hadramaut urbes ſunt, Laſaa* (**) (لسعا) *et Schorma,* (***) (شرمه) *bidui a ſe invicem intervallo, ſi iter terra facias. In ipſa autem Hadramauta duae urbes ſunt, una, nomine Schibam* (****) (شبام) (*,*,*) *altera, Tarim* (******), (تريم) *unius ſtationis intervallo,*

(*) Verſionis Latinae a Gabriele Sionita factae pagina 26. Arabici libri, (ſed in illo non numeratae ſunt) ſi quis numerare inde ab initio velit, numerosque paginis inſcribere, pagina 31.

(**) Ad ſingula urbium regionumque nomina notabo, ubi in tabulis d'Anvillianis inveniri queant. Laſaam ergo quaeres ante gradum longitudinis 65, ad mare ipſum.

(***) Ad mare ſub gradu long. 66.

(****) Longit. circiter 67, latit. $15\frac{1}{2}$. Vide de ea Niebuhrium p. 286.

(*,*,*) Lapſus partim librarii, partim typographi, quod in Nubienſis textu Arabico سيام (Siam) legitur: Niebuhrius enim ab Arabe, qui ipſe Schibamae fuerat, *Schibam vocari audiit.* Je loco Be poſitum typographi lapſus eſt, Gabriel enim Sionita in verſione latina nomen per B ſcripſit; س pro ش forte error librarii aut editoris, Gabrielis Sionitae.

(******) Longit. 66. latit. $15\frac{1}{3}$. Vide et Niebuhrium p. 286.

tervallo. Ex urbibus Hadramautae eſt Mariba (1), *nunc vaſta. Haec fuit urbs Saba*, (2) *ex qua Belkis* (بلقيس) *oriunda, uxor Salomonis* (3) *filii Davidis. Ab Hadramaut ad Sada* (4) (صدا) *ſunt* 240 *milliaria* (5), *et a Sanaa ad Sada* 120 *milliaria*: (6) *ab Aden* (7) ad *Hadrammaut quinque dierum* (8) *iter: ita ut Hadramaut ſit ab oriente Aden. Sunt in illa arenae colles continui, Ahcaf* (9) (احقاف) *dicti, eaque pars regionis rarius habitata eſt, nec multum mercaturae exercet. Exportant ex Hadramauta aloen Hadramauticam, ſed Socotorinae* (10) *inferiorem.*

Abul-

(1) Long. 64-65. lat. 16. — — Hanc ergo urbem, Sabaeorum olim metropolim, Hadrammautae, latius ſumto nomine, accenſet Nubienſis. Vaſtam dicit, quod poſt rupturam catarrhactae Maribenſis, terraeque vicinae inundationem, de qua elegantiſſimum habemus Reiskii librum, *de Arabum epocha antiquiſſima Sail ol Arem, i. e. ruptura catarrhactae Marebenſis*, *Lipſiae* 1748. Sabaei alias ſedes quaerere coacti ſunt, jacetque inculta, quae olim tanta fertilitatis laude floruit, regio. Supereſt tamen in hunc diem Mariba, oppidum, ſed parvum, de quo vide Niebuhrii Arabiam p. 277.

(2) i. e. Sabaeorum metropolis, nomine quoque gentis, ut frequens eſt Orientalibus, Saba dicta.

(3) 1 Reg. X, 1-10.

(4) Eſtne eadem, quam Arabes صعدة vocant? Sic vitium typographicum admiſſum videbitur, reſcribendumque صعدا cum Ain. Gabriel certe Sionita in verſione latina Saada habet, ac ſi eſſet صعدا. De Saada vide Niebuhrium p. 271.

(5) i. e. 80 paraſangas Arabum, milliaria germanica circiter 54.

(6) milliaria germanica 27.

(7) long. 63. lat. 12-13. (Niebuhrio 12 gr. 40 min.)

(8) Milliaria circiter viginti germanica.

(9) long. 66. 67. lat. 15. Male Gabriel Sionita campos arenae latiſſimos vertit, cum utrumque nomen colles potius arenae ex aequore illo ſabuli exiſtentes ſignificet.

(10) Socotoram inſulam e regione Arabiae Felicis invenies ſub long. 70-71. latit. 12-13.

Abulfeda quae in deſcriptione Arabiae de Hadramauta habet (*), non deſcribo, quod ab omnibus, quorum intereſt, in geographiae veteris ſcriptoribus ab Hudſono editis Tomo III. legi poſſunt. Id unum moneo, Gagnierium paginae 14. ſuae editionis notam ſubjeciſſe, excerpta Arabica habentem de nominis adpellatione duplici, *Hadramaut* et *Hadrmut*. Ratio quidem poſterioris adpellationis, quae ibi redditur, diſplicet: adpellationem ipſam ſequuti Graecorum illi, qui nomen regionis ſcribunt, Ἀδράμυτα, et verſio Arabica in Polyglottis, حَضْرَمُوت, vel, ut ibi vitioſe evulgatum eſt, حَضَرمُوت habens.

Ex Kennikotti bibliis diſco, quatuor codices Samaritanos inſerto Jod חצרימות habere, quod cum ab Arabica abludat nominis ſcriptione, vitioſum exiſtimo. Habent quidem et Arabes cum Jod, diminutiva faciente, حضيرموت, (חצירמות) ſed Jod alio, quam a Samaritanis codicibus, loco poſitum.

ואת ירח *et Jerach*, i. e.
Gebel Kamar, *et*, *Gobb-el-Kamar.*

Nominis nuſpiam in geographia Arabiae, nec apud Graecos Latinosque, nec apud Arabes ipſos, occurrentis, explicationem daturus Bochartus, pro ירח, *lunam* ſignificante, Arabicum هلال (*Hilal*) *lunam* (ſeu potius, primas et poſtremas lunae phaſes) ſubſtituit, atque hoc indicio in Jeracho invenit Alilaeos, populum ad mare rubrum, ab Agatharchide, Strabone, et Diodoro Siculo, memoratum,

(*) p. 14 et 45 editionis Gagnierianae, p. 19. et 59. Hudſonianae.

tum, ſed de quo, ut ipſe ingenue fatetur, altum eſt apud reliquos geographos ſilentium. De his ergo Alilaeis copioſe agit, multa addens de Diis Arabum parerga, nec parum etymologiarum, in capite XIX libri ſecundi, ipſe evolvendus.

Quod nomen Hebraicum Arabice vertendum cenſuit, magnopere laudo, unamque ad verum inveniendum viam puto. Cum enim ירח (*Jerach*) notiſſimum Hebraeis lunae et menſis nomen, omnino adpellativo ſignificatu non habeat lingua Arabica, neque ut nomen, neque ut verbum, licet aliqua ejus derivata, ſed aliis literis ſcripta (ארח) in أرخ ſupereſſe videantur, atque ſupra jam aliquoties viderimus, Hebraeos et Arabes alia iisdem viris nomina indere, atque etiam vertere nomina propria: veri diſſimillimum eſt, tribus Arabicae conditorem Arabibus ipſum Jerachum dici, ac prope certum, pro hoc *lunae* nomine, aliud Arabibus notum atque frequens, ſubſtituendum eſſe. Nec certe, niſi melior ſe mihi conjectura non quaerenti obtuliſſet, repudiarem Alilaeos, maxime poſtquam Niebuhrius novas Bochartianae ſententiae tulit ſuppetias, inventa tribu aliqua Arabum *Halal*, (بني هلال, *Beni Halal*) (*). Addit, a Nubienſi eosdem memorari Clim. 2. p. 5. ſed in hoc oculorum eum aberratio, fefellit, *Alaleos* pro *Alàbeis* legentem. Locus, quem citat Nubienſis, ne pagina quidem libri quinta invenitur, ſed *Clim.* 2. *Sect.* 5. *pag.* 50, ut Niebuhrius ſcripſiſſe videtur, verbis mediis errore typographi omiſſis: ibi vero nulla *Alaleorum* mentio, ſed, *Alabaeorum*, quorum nomen, ſi Arabica inſpicias, ſed quae ob ſummam editionis Arabicae raritatem forte Niebuhrius conſulere non potuit, علابية ſcribitur. Huic nomini jam nihil

(*) In deſcriptione Arabiae p. 270.

nihil omnino ſive cum Alalaeis ſive cum هلال cognationis intercedit.

Sed utcunque hoc ſit, veriſimilem dico Bocharti conjecturam, meam facturus, niſi veriſimilior ultro ſe adblandiens obtuliſſet, minuta enim ſunt, quae Bochartianae opponi poſſunt, ut هلال non tam lunam, quam phaſes primas et ultimas ſignificare, non conſtare, quibus literis Arabicis Alalaeorum nomen ſcribendum ſit, ignotum eſſe reliquis geographis, atque hos qui habent, fabulis mendaciisque ſimillima de eo referre, tresque adeo teſtes ita, verbis quoque et fabulis, concinere, ut unus modo teſtis habendi ſint, Strabone et Diodoro ſua ex mendaci ſupra modum Agatharchide ſumentibus.

Verum haec me parum moverent, niſi geographia Arabum *tribum Lunae* quam quaerimus, in ipſa Hadramautae vicinia, poſt quam Jerachi nomen Moſes habet, obtuliſſet. قَمَر, *Kamar*, conſvetum eſt et quotidianum lunae nomen. Jam lege quae Nubienſis habet ſub finem ſextae partis climatis primi (*): ومن شرمه المتقدم ذكرها علي الساحل الي مدينه مرباط ستـه ايام في البحر وبينهما غب القمر ومعني الغب الجون وفي القعر هـذا الـجـون بلد يقال لها خلفات وعلي راس الجون المذكور جبل مستدير على هيه القمر ولذلك سمي بجبل القمر اعني لتقويسه وبياضه i. e. *a Schorma vixdum memorata ad urbem Merbat* (**), *mari ſex dierum iter eſt: inter utramque urbem interje-*

(*) p. 26. 27. verſionis latinae: inque Arabico textu, qui paginas numeris ſignatas non habet, in pagina penultima ejus quam dixi partis climatis primi.

(**) In tabula Arabiae d'Anvilliana invenies ad mare Indicum ſub gradu latitudinis 17-18. haud procul a Dafar.

terjecta Gobb-el-Kamar (ora maritima, litoralia, *Lunae*, clarius forte Gallice diceres, *la Côte de la Lune*) *Gobb autem oram maritimam significat. In hujus orae declivibus oppidum situm, Chalfat dictum, at ubi altius erigitur, monte in formam lunae cingitur, qui mons Lunae* (Gebel el Kamar) *cum ob formam arcuatam dicitur, tum ob albedinem.* Ergo proxime a Schorma, urbe Hadramauticae regionis, *montem et oram Lunae* habent Arabes, quam et nomine Arabico, *Chob ul Camar*, et, *Gebal Camar*, in tabulis d'Anvillianis sub gradu latitudinis 16 ad mare Indicum invenies.

V. 27.

ואת הדורם *et Hadoram.*

Obscurissimum nomen, in quo non satisfecit Bochartus, (l. II. c. 20.) atque ne lectio quidem certa. De hac ante omnia dicendum, quod varietas lectionis, Bocharto non observata, illis quae de promontorio Corodamo habet, suppetias ferre posse videatur.

Ergo primo in Genesi per Aleph habent exemplaria Samaritana ארורם, *Adoram*, sed id non magni momenti, seu potius manifestum sphalma, et consvetum librariis Samaritanis, literas א, ה, ח et ע, quas distincte efferre nequeunt, confundentibus. Non ad varietatem lectionis refero, sed ad morem Graecorum, M in fine nominum orientalium, barbarum ipsis et putidum sonans, omittentium, quod LXX in plerisque editionibus, (excipe enim Complutensem) Ὀδοῤῥὰ habent. Puncta nomini in bibliis masorethicis subjecta, הֲדוֹרָם, verane sint, an secus, non nostrum est judicare, tribu ipsa adhuc ignota: Joctanitas Indos vocari supra diximus, quod si nomen gentis antiquum

quum quis putet, poſſet tentare, הָדוֹרָם *Hodduram*, i. e. *India Rami*. Nos quidem nec contradicentes habebit, nec adſentientes.

At notatu dignius, quod LXX 1 Paral. I, 21. Κεδουραμ habent: qui, cum nunquam He Hebraeorum per K exprimant, ſitque ſonus utriusque literae diverſiſſimus, videri poſſunt per Chet חדורם legiſſe.

Jam ad Bochartum. Hadoram *Dirmatos* facit Plinii (*), populum Arabiae haud procul a freto ſinus Perſici. Non ſane diſplicet ſitus, ſed ab adſentiendo cupientem revocat nominum *Hadoram*, et *Drimuti*, diverſitas major, quam ut pro eodem haberi nomine poſſint. Quod deinde addit de *Corodamo*, promontorio Arabiae (**), a Ptolemaeo p. 153. memorato, inque tabula Arabiae ſub gradu latitudinis 20 expreſſo, veriſimilius videretur, ſi liceret, lectionem חדורם, vix dum ex LXX indicatam, in חרודם mutare, aut pro *Corodamo* in Ptolemaeo *Codoramum* legere. Sed haec donec lectio inventa ſit, malim nihil de Hadoramo ſcire, verumque, ignorantiam profeſſus, quaerere. Quod Bochartus addit de He Perſarum fortius, atque ut Ch vel K adpellato, ad nomen Hadoram, Hebraicum vel Arabicum, transferri nequit: alia enim ratio Alphabeti Perſarum, licet mutuum ab Arabibus ſumſerint, quam Arabici et Hebraici.

ואת

(*) l. VI. c. 28. ſeu ut paginam etiam indicem, quia caput longius, pag. 338. lin. 4. editionis Harduini.

(**) Eſtne promontorium nunc *Ras el chad* راس الحد (promontorium Chadd) dictum? de quo vide Niebuhrii Arabiam p. 295. adjectamque tabulam Omanae, ſub gradu 22.

ואת (*) אוזל et Uzal.

Quo obſcurius ac pene deſperandum erat praecedens nomen, eo certiora de Uzala habemus, de qua Bochartus, ab Abrahamo Zachuth (**) edoctus, veriſſimam dixit ſententiam, Sanaam eſſe, felicis Arabiae metropolim, de ſitu urbis, quantum potuit, ex Nubienſi attulit, denique et recte vidit, Ezech. XXVII, 19. מֵאוּזָּל punctandum; deque Uzala ibi ſermonem eſſe. Jam ea, quae felicitate temporum noſtrorum Bochartianis addere poſſum.

Ac primo quidem, ſententiae ab eo dictae novas confirmationes. Camuſus, Golio (***) teſte, qui eum auctorem adfert, أَزَالُ (Azal) *nomen Sanaae, quae metropolis Arabiae felicis*. Niebuhrius in ipſa Arabia, ab Indo quidem, ſed qui plures annos in Arabia Felice egerat, pro certo audivit, *Uſal* (ſic more Germanorum pro *Uzal* ſcribit) antiquum nomen Sanaae eſſe (****). Joannes Aſiae epiſco-

(*) Per Jod, איזל textus habet Samaritanus, ſicque jam Septuaginta et Joſephus legerunt, illi in codice Alexandrino Αἰζήλ habentes, hic Αἴζελος Mihi quidem Maſorethica ſcriptio per Vau ob ea, quae deinde de nomine excerpam verior videtur. Multa in nomine, librariis ignoto, varietas lectionis: ut in Geneſi Αἰβήλ, (ac ſi Hebraice ſcriptum reperiſſent, איבל) in chronicis Αἰζὴν, et Αἰξὴν, quatuor denique codicum Samaritanorum, עיזל, unius עזיל Ain pro Aleph poſito, Samaritanorum more. Sed haec ad manifeſta ſphalmata referenda, poſtquam de Uzalae nomine conſtat.

(**) Sententiae argumenta nulla quidem addidit *Abrahamus Zachuth*: ſed meminerimus, eum Immanuelis, Luſitaniae regis, aſtronomum et chronographum fuiſſe, ſub quo in Indiam Luſitani penetrarunt, eritque ipſe pro auctoritate Zachuthus, ea quae ex navigatoribus comperta habebat referens.

(***) p. 90.

(****) p. 291. deſcriptionis Arabiae: *Muhammedanus ex India, qui plures in Jemen annos egerat, pro certo*

episcopus, celebris Syrorum historicus, qui seculo sexto (*) vixit, nomen *Uzal* ut suo adhuc tempore notum et quotidianum usurpat, addita modo, pro Syrorum ejus tempore more, graeca terminatione. Locum integrum ex ejus historia excerpsit Assemanus, T. I. bibliothecae Orientalis, p. 360, qui liber si cui non ad manus est, evolvat nostram chrestomathiam Syriacam p. 17. Belli caussas in Arabia Felice orti referens Joannes, narrat, mercatores Romanos, i. e. qui ex ditione erant imperatorum Constantinopolitanorum, per Homeritas transire, inque intima penetrare Indorum et Cuschaeorum, *quae vocentur Uzalios* (**) *Indiae.* (ܕܡܬܩܪܝܢ ܐܘܙܠܝܣ ܕܗܢܕܘ). Jam ergo, quin Uzal

to adseverare posse sibi videbatur, Usal nomen Sanaae antiquum esse. Tuasae Judaeum, sed opificem, non Rabbinum, cum interrogarem ignorare se nomen Usal professus est. Sanaae cum essem, Judaeos non interrogavi. (Hos quidem nec cupiebam interrogari, cum quaestiones proponerem, nulla enim mihi illorum fides, sed Arabes, quorum plebem magistris Judaeorum, mentiendo aut conjiciendo de rebus ignotis adsvetis, praeferrem. Bene ergo et feliciter, Niebuhrius hanc Asiatici generis faecem non interrogavit, quae doctis Europae Rabbinis plus non scisset). Quod his praemisit: *Muhammedanus quem Lohejae de via, Sanaam ducente, interrogabam, vicum Judaeorum ante Sanaam, Oeser vocabat:* plane nihil ad rem de qua quaeritur, nomen enim p. 232. descriptionis Niebuhrianae Arabiae, his literis scribitur, عسر i. e. עשר, cumque אוזל ne una quidem litera convenit. In Arabicis nominibus decipit nos sonus, nostris Germanorum literis, expressis, maxime in א et ע, Z et S, earumque similibus.

(*) Vide Assemani bibliothecam Orientalem T. II. p. 83. seqq.

(**) Puncta quidem alia, ܐܘܙܠܝܣ, *Euzalis*, adjecit Assemanus, (nescio unde, ex lubitu? an ex codice manuscripto, quo utebatur?) latineque nomen *Euzeliae* scripsit. Sed haec sine dubio puncta erronea. 'Εὐ Graecorum quis in intimae Arabiae nomine invenire

Uzal ſit Sanaa vix amplius dubitatum iri, niſi a ſcepticis, confido, et ſi quis Sanaae in nomen antiquum urbis inquireret, plura illum daturum.

De ſitu urbis multo jam certiora et exploratiora illis habemus, quae ex Nubienſi Bochartus excerpſerat, poſtquam Niebuhrius eam adiit, ſub gradu latitudinis 15, 22′ invenit, inque tabula Jemenae locum ei ſuum et αὐτόπτης et mathematicus adſignavit. Errarunt ergo geographi Arabum ab Abulfeda excerpti, qui ei gradum latitudinis 14, 30′ magno conſenſu tribuunt.

Deſcriptionem urbis ex Nubienſi dedit Bochartus, addo aliam Abulfedae, ut cum Niebuhriana comparari exque hac corrigi poſſit. *Ex maximis*, inquit ſub numero XXV, *eſt Jemenae civitatibus, copia aquae et arborum Damaſco ſimilis. Sita Adanae ab Oriente verſus ſeptemtrionem in montano tractu: aëre utitur temperato, hiemisque horae non multum ab aeſtivis diverſae. Sedes olim regum Jemenae fuit, collemque habet magnum, Gomdan* (غمدان) *dictum, in quo fuit caſtellum regum Jemenae. Ibnſaid auctor eſt, inter eam Adanamque ſitam eſſe urbem Dſchobla* (*) (جبلة.) *In Azizi ſic legitur: civitas Sanaa eſt magna et illuſtris, Jemenae metropolis, plateas paucas habens, et oratoria multa.* Quod Adanae ab oriente eſſe tradit, tabulae Niebuhrianae, cui potior fides, contradicit: nec urbem aquae arborumque copia

invenire audeat. Librarius, credo, Syrus, Graecis adſvetus, ita vocem efferat. ܝܘܣ in inſcriptionibus Palmyrenis alibique pro Graeca terminatione ιος, quam Syri vocabulis etiam Aſiaticis ex imitatione ſexto ſeculo addere ſolebant, maxime monophyſitae: his ergo punctis inſtrui nomen debuiſſet ܐܘܙܠܝܘܣ.

(*) Eo loco invenies in tabula Jemenae Niebuhriana ſub long. $41\frac{1}{2}$ lat. 13, 55′ deſcriptionemque p. 238.

pia Damaſci ſimilem invenit Niebuhrius, ſed potius vicinum oppidum *Roedda* (روضة i. e. *hortus*) in quo horti magnatum et opulentiorum, a Niebuhrio p. 232 et T. I. itinerarii p. 422. deſcriptum. Nec noſtro tempore plane deſiit ſedes regis eſſe, ſed minoris, Imami, quem ipſe ſalutavit Niebuhrius, magna ab eo exceptus benevolentia (*). De hiſtoria regni, quantum potuit, dedit Niebuhrius inde a pagina 183 deſcriptionis Arabiae, ipſe adeundus: delineationemque urbis, ſed in qua ſat multas plateas agnoſcas, ſecus ac tradidit Abulfeda, in tabula LXX parti primae itinerarii adjecta. Urbem deſcripſit, primo in deſcriptione Arabiae p. 230 deinde copioſius in prima itinerarii parte p. 418-423. Sed haec gratius apud ipſum legentur, quam hic latine verſa.

Locum Ezechielis, c. XXVII, 19. mutatis punctis ſic lego ודן ויון מאוזל בעזבוניך כתני ברזל עשות קדה וקנה, quorum verborum ſententia: *Vadan et Javan*, Arabiae Felicis urbes aut populos, *ex Uzala ferrum in gladios fabrefactum*, easque quae ſequuntur merces, de quibus nondum ſatis conſtat, *Tyrum detuliſſe*. Sed ut haec, qua parte geographiam ſpectant, exponam, omiſſa, qua lector geographiae cupidus forte non invitus carebit, longa diſputatione de verbis difficilioribus, בעזבוניך נתנו, et במערבך היה,

1) primo plane non dubito, quin מאוזל *ex Uzala efferendum ſit*, quod et Bocharto placuit, veterum auctoritates adferenti. His addendus Syrus, qui ܡܢ ܐܘܙܠ *vertit*: atque etiam de LXX dicendum, de quibus parum

(*) P. I. itinerarii p. 412-417. et 426-430.

rum curate Bochartus retulit. Suae eos ſententiae ſuffraganeos citans, ἐξ Ἀσήλ habere ait: recte quidem, ex conſvetis editionibus, mirum tamen, contra omnem Graecorum morem pro Zain Hebraico Sigma ſubſtitui, Αζήλ enim ſcribendum fuiſſet. Hanc ſuſpectam merito literam Arabs, ex Graecis vertens, non legit, nec tamen eam legit, quam grammatica duce optabam, ſed habet مِن آابِل, *ex Ajal*, multo nos incertiores relinquens. Vitiumne in Arabem irrepſerit, ex more chriſtianorum Orientalium Syriacis literis ſcribentium, derivandum? Scripſeritne librarius chriſtianus, ܡܢ ܐܝܐܠ, pro ܡܢ ܐܙܝܠ *ex Uzail*, quod foret Uzalae diminutivum? Complutenſis editio, reliquis ſaepe omnibus praeferenda, καὶ Μοοζήλ, Mem pro parte nominis habita, eique convenit cum Hieronymo, *et Mozel*, cumque Theodoreto Μεωζέλ citantibus. De LXX ergo interpretibus vix certum ſtatui poterit, ac forte ipſi, ſi ab inferis exſiſterent, vix nos docere poſſent, quid de vocabulo ignoto ſenſerint, nihil ſentientes.

2) De יון omnino adſentior Bocharto, non Graeciam eſſe, ſed urbem aut regionem felicis Arabiae, cujus nomen iisdem literis ſcribitur, forte يُوَن oppidum Jemanenſe, quod ex Giggaei lexico adfert, eodem teſte Giggaeo etiam يُوَان ſcribi ſolitum. Haec ut veriſimillima habeo, doleo tamen, non plus me de ſitu urbis ex Arabum geographis dare poſſe.

3) וְדָן *Vadan* effero, non וּדָן, nec quidem eam ob cauſſam, quod nulla hucusque urbs aut regio Dan in geogra-

geographia Arabiae reperiri potuit, nam et Vadana repertu difficilis, sed quod in toto capite nuspiam Vau copulativum (*Et*) primo nomini proprio in initio aut versus aut sententiae praeponitur, sonatque hic aliquid auribus ita molestum, ut Theodotion atque Vulgatus interpres, quos credo non sine Vau legisse, tamen in vertendo omitterent, non, *Et Dan*, sed, *Dan*, vertentes. Contra, *Vadan*, nomen aut regionis aut urbis, Arabicum quid et genuinum sonat, contra morem Hebraeorum, et plane pro more Arabum, a Vau radicali incipiens, sive, namque de eo libera esto cuique sententia, ad radicem ودن, *madefecit*, referas, sive ad notissimum et maxime in nominibus propriis geographicis, ab Arabia (*) inde usque in Hispaniam (**), frequens, *Vad*, fluvius, cujus dualis, *duo fluvii, vel duo rivi*, foret *Vadan*, Arabice quidem ex grammaticorum praeceptis orthographicis cum duplici Eliph واذان scribendum, sed quae praecepta nec ad aetatem Mosaicam, ac vix dum ultra Muhammedis tempora valent (***), inque nomine proprio exotico, cujus solum exprimimus sonum,

(*) In tabulis Arabiae Niebuhrianis plurima fluminum rivorumque nomina a *Vad* incipiunt.

(**) *Vadalkibir*, *Vadiana*. Plura exempla qui cupit, indicem Büschingianum, geographiae Hispaniae additum, evolvat sub *Guad*, G enim nomini Arabico Vad praeponi ab Hispanis Lusitanisque solet.

(***) Alterum ex duobus Eliph, in واد, est Eliph participii, quod Hebraei non habent, participium Kal aut sine matre lectionis, aut cum Vau scribentes: posterius, dualis numeri واذان iterum soli Arabes scribunt, Aramaei, ubi dualem pro Ain in An terminant, sine matre lectionis scribunt, e. g. קַרְנָן. Ergo واذان ex Hebraeorum orthographia וְדָן scribendum.

num, negligi solent. Placeret sane, *Vadan*, *duo fluvii*, ut nomen proprium geographicum, maxime in Arabia, in qua duorum sive fluminum sive rivorum vicinitas rara, ut possit regio ab ea dici. Sed definire aliquid, in re tam obscura, non ausim. Nec ita sum timidus, quod nihil suppetat, nihil adblandiatur. Si quis est geographiae Arabiae paulo peritior, ultro se ei offeret *duorum fluminum civitas*, nec illa procul Sanaa, ea ipsa Gobla vel Dschobla, (جبلة) de qua pagina 166 obiter dixi, Niebuhriumque, eam describentem citavi. De hac ergo Abulfeda numero XVI, (pag. 48 editionis Hudsonianae, 38 Gagnierianae): *Gobla Adanam inter et Sanaam in montano tractu sita, ad duos fluvios, unde et vocatur, civitas duorum fluminum* (Medinat - el - Nahrain, مدينة النهرين). Ne quid malo dolo furari meae conjecturae stabiliendae videar, et haec addo, quae sequuntur, ex versione Gagnierii: *estque nuper exstructa* (وهي محدثة). *Eam exstruxerunt Al-Solahhiiun, postquam τῆς Al-Yaman Praefecturam adepti sunt.* Sed hoc dubium nullius momenti: ut enim taceam محدثة Arabum geographis non solum esse, *recentiorem urbem*, (nuper condita, plus dicit) quam, *instauratam*, et بنا, *aedificare*, frequenter de instauratione et numitione urbis poni, atque adeo, ut plane fatear atque dem, hanc urbem Ezechielis tempore nullam fuisse; non de urbe quaeritur, sed de regione, quae diu ante urbem a duobus fluviis, raro in Arabia bono, nomen habere potuit. Verum, *El-nahrain*, nomen est, non *El-Vadan!* Hic vero primo meminisse debebimus, Orientales nomina propria vertere, ac synonyma pro illis

lis substituere: deinde, cum نهر (*Nahr*) minus usitatum sit Arabibus fluminis nomen, واد (*Vad*) usitatissimum, quodque in nominibus propriis geographicis a mari inde Indico usque ad Atlanticum usurpare solent, pene certus sum, hoc, quod Abulfeda habet, *Medinat-el-Nahrain*, synonymum substitutum esse, nomen autem verum proprium, quo urbem in illo tractu reperire possim, urbis quidem, *Medinat-el-Vadain*, (civitas rivorum) regionis, *Vadan*, i. e. *duo rivi*.

4) Vadanitae ergo et Javanitae has, quae sequuntur, merces, ex Uzala, id vero est, non ex ipsa solum urbe regia, sed ex tota ditione cujus metropolis erat, per deserta Arabiae camelis Tyrum deportarunt.

5) Primum in mercibus exportatis locum obtinet, ברזל עשות, quod verto, *ferrum fabricatum*, nempe, in laminas gladiorum, referoque ad radicem עשת, de qua vide Buxtorfii lexicon p. 1683. Prima ejus significatio, nisi fallor, *fabricare*, ex qua altera, *cogitandi*, et *moliendi aliquid*, orta, nomenque Thalmudicum עֶשֶׁת, *laminas ferreas* significans. Sic ברזל עשות ad leges grammaticas, substantivum masculinum constructum cum adjectivo masculino, non, ut putabat Houbigantius, pejusque adeo corrigebat (*), vitium grammati-

(*) Incredibilis primorum elementorum ignorantia, si ea scripsit Houbigantius, quae typis expressa lego, *legendum* עשירך *servato genere masculino*, quasi vero עשירך masculinum esset. Vitium typographicum putarem, nisi ubivis similem grammaticae Hebraicae ignorantiam Houbigantius prodidisset: non tam sua culpa, quam educationis. Αὐτοδίδακτος fuisse videtur, quod genus eruditorum raro prima grammatices fundamenta probe habet

maticale: ת enim in עֲשׁוֹת non jam terminatio feminina, ſed radicale.

Plures ex veteribus Rabbinisque laudare poſſum, qui *laminas* mihi *ferri*, *gladiorumque acies*, praeiverunt, nec tamen omnes in etymo conſentientes: ſunt enim, qui ad radicem עשׂה *facere*, retulerunt, non contra puncta ſolum, de quibus non multum laboro, ſed et aegre rationem Thau adformativi, quod femininum ſonare videtur, ad leges grammaticas redderi. ערקין דברזל *laminas ferri*, vertit Chaldaeus, quo de nomine, ejusque ſignificatione, conſules Buxtorfium p. 1675. 1676. Adſtipulantur Judaei, licet de etymo non idem ſentientes: Raſchi, עשוי כעשישות משש בלעז והוא פרזלא הנרואה i. e. *factum ut laminae*, (nempe ab עשׂה derivat, עשׂות efferens) *Gallice*, *masſe*, *eſtque ferrum Indicum*. Kimchi זך מן עשת והוא הברזל שקוראין אלהינדי id eſt *nitens*, *a radice* עשת (quam *nitere* explicat) *eſtque ferrum*, quod *Indicum vocare ſolent*. Vide et de hoc Buxtorfium p. 1676. et adde, אלהינדי nomen eſſe Arabicum, الهِنْدِيّ, a Kimchio, Arabicae linguae ignaro, civitate Rabbinica donatum. LXX σίδηρος εἰργασμένος, *ferrum factum*, i. e. fabricatum, ad עשׂה referentes, exque illis Arabs, حديد معمول atque Vulgata, *ferrum fabrefactum*.

Graecos legenti, qui referunt, ferro eo usque aliquas Arabiae felicis regiones caruiſſe, ut aequo pondere

habet cognita: deinde, Maſclefianus: eſt autem Maſclefiana grammatica nihil ineptius, magisque erroribus ſcatens, quibus omnes, ea a teneris imbutos, ad ſenectam usque inficit.

dere atro emeretur, mirum videri possit, hac ex regione acinaces, aut gladios, Tyrum adferri: verum de his turpibus mendaciis, Graeco historico et itineratore, ac vix ullius praeter Graecos gentis, digno, infra sub *Ophir* dispiciemus. Fuerunt certe olim, atque ante Muhammedis aetatem, nobilissimi in Arabia gladii Jemenensis, ut vel nullo addito substantivo, يمنيّ *Jemenensis* pro gladio ponatur, e. g. pag. 74. chrestomathiae nostrae v. 2. لا يصحبه الا اليمني الافل *nemo comes est ei* (periculosae expeditionis) *praeter Jemenensem crenas habentem.* Nostro quidem tempore, ut sunt artes migratoriae, minus celebres gladii Jemenenses: sunt tamen in provincia Sahan ferri fodinae, licet ob penuriam ligni, inscitiamque Sahanensium, et carum nimis sit Sahanense ferrum, nec bonum (*). In ipsa Jemena acinaces majores non amplius cudi audiit Niebuhrius (**), sed cultros incurvos majores, lamina lata, acutos, quos *Jambea* vocant Arabes, quibusque accingi solent: major autem horum cultrorum vis ex Hadramaut in Jemenam importatur (***).

De Indico ferro, cujus mentionem ex Judaeis feci, a quo et nomen Arabicum ortum هندوانيّ (****) *ex Indico ferro confectus gladius, acie praestans*, haec addo Chardinii (*****): *les sabres des Perses sont d'un fort beau*

(*) Niebuhrii descriptio Arabiae p. 271.

(**) p. 217.

(***) Ibidem p. 283.

(****) Golius p. 2582.

(*****) T. IV. itinerarii, p. 249. (editionis in duodecimo).

beau Damasquin, inimitable en nos Pays, à cause, comme je crois, que nôtre acier n'est plain de veines, comme celui des Indes, dont ils se servent le plus communement. Ils ont chez eux de l'acier, mais ils l'estiment moins, que celui là, et le nôtre moins encore, que le leur. Idem de Damascenis (*): *on l'appelle Damasquin, parceque cette ville étoit l'endroit le plus celebre, pour la fabrique de ces belles lames de sabre, qu'on y faisoit de l'acier, qui s'y transportoit des Indes par la mer rouge dans les siécles passez.* Quae nisi essent, possemus Indicum ferrum et Jemanense pro synonymis habere.

6) קדה si hic cassia (**) est, ut Exod. XXX, 24. et קנה calamus aromaticus, omnino adstipulor Bocharto, in Uzalae mercibus poni, non quod ibi nascantur, sed quod ex India in Arabiam felicem mari, ex hac terra Tyrum deveherentur.

Velim tamen, antequam certi quid statuamus, adcuratius in dissensum LXX, eorumque sequacis Arabis inquiri. Illi quidem pro duobus vocabulis unum modo habent, idque perobscurum, τροχιὰς, *rotas*: Arabe, بكرة, quod Golio teste inter alia significat, *annulos ornamentis vaginae adfixos, ex quibus ensis suis loris de Zona suspenditur.* Nec haec ita scribo, ut illorum versionem ullo modo probem: sed tamen eos legenti, dubitatio subnata, sintne hic קדה et קנה aroma-

(*) p. 250.

(**) Forte et etymon addere possim, ab aliis omissum. Graecorum aliqui Cassiam dictam volebant a κάσσυμα, *corium*, quod tubuli cassiae corio non sint absimiles, (Celsius hierob. T. II. 360.): eodem modo קדה esse possit a قدّ *corium*.

aromata, an ad gladios, quorum mentio praecesserat referenda, קרה forte, aut *vagina*, aut *lora quibus gladius a Zona suspenditur*, a قدّ *corium* (*), *vel* قدّ *lorum desectum ex corio, et* קנה, *calamus*, i. e. *verutum gladii.* Neque haec ut verisimilia pono, verisimillima enim mihi consveta explicatio, sed ut non plane negligenda.

ואת דקלה (**) *et Dicla.*

Haec qua in Arabiae parte habitaverit tribus, ignorare me fateor: nec enim persvasit, ac ne verisimilem quidem mihi reddidit sententiam in capite 22 libri secundi copiose dictam Bochartus, qui infinitae vir doctrinae utinam aliquid aliquando ignorare potuisset! Ex etymo Syriaco ܕܩܠܐ *palma*, palmiferam Diclae adsignat Arabiam: nec vero illud palmetum, quod ex Artemidoro Diodorus descripserit, Saracenorum enim esse, seu, ut male addit, Cuschaeorum, neutiquam Joctanidarum, sed Minaeorum regionem,

(*) Ne quis mihi opponat, nihil de corio habere Golium, sed modo *pellem haedinam*, monere liceat, قدّ non pelles modo crudas, sed et corium adeoque thoraces ex corio significasse, e. g. in carmine Amrui, p. 92. chrestomathiae, *cum induerunt*, الحديد حلقا وقدّا, *ferrum, annulos loricae, et thoracem ex corio.*

(**) Neutiquam ad varietatem lectionis refero, quod LXX 1 Paral. I, 21. Δεκλαμ habent, sed ad morem Graecorum: cum enim Graeci M finale nominum orientalium, detruncare soleant, ut p. 162. monuimus, alii contra, librarii, atque adeo auctores, quod demtum putant addunt, etiam ibi, ubi nihil demtum est, M finale, Orientale quid ac barbarum, et genuinum in nominibus Orientalibus sonaturum.

gionem, ipſam quoque palmeta habentem. Jam multa de Minaeis, de quibus nobis quidem alius erit agendi locus.

Haec omnia, ut videtur, pro lubitu Bochartus: cum enim multae Arabiae regiones palmiferae ſint, ejus etiam, quae a Joctanis poſteris habitabatur, unde quaeſo conſtare Bocharto poterat, *Diclae* nomen a palmarum copia Minaeorum patriam accepiſſe, non aliam regionem? non, ut in exemplo rem ponam, palmiferos ad ſinum Perſicum tractus. Ergo ſi vel verum eſſet etymon, nihil tamen egiſſe, ſed aliquam ex palmiferis regionibus mera arripuiſſe nec verecunda conjectura cenſendus eſſet Bochartus.

At de etymi veritate dubito. Negari nequit, Arabice, Syriace, Chaldaice, دَقَلٌ, ܕܩܠܐ, דִּקְלָא *palmae* nomen eſſe, ſed ortum videtur ex Graeco *δάκτυλος*, ut Caſtellus monuit: quod ſi eſt, non potuit Moſis tempore populus intimae Arabiae a palmarum ubertate nomen Dicla accipere.

Conjecturis ſi res agenda, mallem *Declat* (ܕܩܠܬ) Syriacum Tigridis nomen conferre, tribumque ab oſtio inde Tigridis (eo usque enim et Joctanis poſteri habitarunt, et adhuc dum habitant Arabes) ad ſinum Perſicum degentem, intelligere: quamquam opponi poteſt, Moſen, de Accolis Tigridis loquentem, potius aut Hebraico fluvii nomine חדקל, aut Arabico G pro K ſubſtituente, דגלה, uſurum fuiſſe. Sed hoc dubium non magni momenti: *Chiddekel* (חדקל) Tigridis nomen, ut infra in geographia paradiſi videbimus, ex חד, *celer*, plurium in illis tractibus rapidiorum fluminum nominis, ſyllaba prima, alioque vocabulo, compoſitum: quid ſi ergo ſit ex חד et

דקל

רקל *Celer Dikla*, vel *Celer Diklae?* idque dubio ſane caret, Moſen Tigridis nomen non cum Arabibus per G, ſed cum Syris per K ſcripſiſſe. Verum haec non eſt niſi conjectura, malimque, faſſus ignorantiam, verum adhuc quaerere.

V. 28.

ואת עובל et *Obal*, vel, *Gobal.*

Ne de lectione quidem nominis conſtat, ne dum de ſitu regionis. Ab illa ut incipiam, de qua Bochartus, dubitando parum adſvetus, nihil dubitavit, ejusque loco praeter rem diſputavit, Obal Arabibus Aubal eſſe, quadruplex, aut, ſi manifeſta demas ſphalmata, duplex ſe nobis lectio offert:

1) conſveta עובל, incertum, utrum Obal an Gobal adpellanda, quam habent in Geneſi, textus maſorethicus, Chaldaei, Syrus, Maurus, inque chronicorum libro Syrus.

2) עיבל, *Ebal?* an *Gebal?* Sic in Geneſi textus Samaritanus, LXX (ex Romana editione Ἐυάλ, ex Complutenſi Γεβάλ) Vulgata, *Ebal*, itemque, qui cum Samaritano et LXX concinens non parum momenti hic facit, Joſephus, Αἴβαλος nomen ſcribens: in chronicis, textus ipſe maſorethicus, Chaldaeus ex Wilkinſiana editione, (Beckiana enim hiat) et niſi fallor LXX.

Hos inter teſtes, tam ſibi numero et auctoritate aequales, judicem ſedere, difficile: malimque, donec aliud quid novae lucis adfulſerit, manere dubius. Contra vix variae lectionis nomine dignum,

3) quod Arabs Polyglottorum, cum in Genesi tum in chronicis habet, اوبل vel اوبال, i. e. אובל. Manifestum aut librarii sphalma, ע et א in ignoto nomine permutantis, aut lapsus interpretis, nomen ex aliquo exemplo Graeco, οὐβαλ habente, aut ex solo auditu sumentis, nescientisque, quibus literis Hebraice scriberetur. Denique

4) quod in chronicorum libris codex Alexandrinus habet, καὶ τὸν Γεμιὰν, vitiosum esse videtur, pro Γεμλάν. Nempe lectio עיבל sic expressa, ut pro ע G poneretur; B, ut saepius facere Alexandrinus solet, e. g. 1 Maccab. II, 1. III, 16. in M mutatum, terminatio Graeca adcusativi casus nomini addita, Γεμλαν.

De situ regionis copiose iterum ac prolixe Bochartus disputavit (*), sed alia omnia (multis enim eruditissimis parergis tractationem ornat) felicius expediens, quam de quibus quaerebatur, Ebalenos vel Obalenos. Vult ille quidem, Avalitas esse Africae troglodyticae, ad sinum maris Indici extra fretum Babelmandeb, illo circiter in loco, in quo apud recentiores circa gradum latitudinis 10 haec nomina invenies, *Seila*, *Ousa*, *Berbera*, *Bar essommal*, *regnum Adel*. Solo concentu qualicunque nominis, ut Graecis literis scribitur, cum Hebraico עובל, conjectura, ea fiducia dicta, nititur: qui, donec et Orientalibus literis scriptum nomen habeamus, mihi non quidem nullum, sed tamen non grave argumentum est. Ex quatuor enim literis, quibus nomen Hebraicum constat, non nisi unam, L, in Graeco Avalitarum nomine certo tenemus: prima possit esse ע, ut est in Hebraico, sed et א, ה, vel ח;

(*) l. II, c. 23.

ח; ſecunda ſive Jod ſit, ſive Vau, plane in Avalitarum nomine deſideratur, quod enim in illo habetur Vau, Hebraico Beth reſpondere vult Bochartus: tertia ſive ב, ſive ו eſſe queat. Talis autem, tamque dubius concentus, ſufficiebat Bocharto, ad Avalitas Graecorum in Africa extra fretum Babelmandeb inventos, pro tribu עובל vel עיבל, in Arabia quaerenda, habendos. Et vero maxime conjecturae obſtat, quod de Joctanitarum, non Cuſchaeorum tribu quaeritur: horum enim, non illorum colonias, in Africam immigraſſe trajecto ſinu Arabico, novimus, verſumque noſtri capitis triceſimum legenti, veri videbitur perquam diſſimile, ullam Joctaniticarum tribuum extra Arabiam quaerendam eſſe.

* * *

ואת אבימאל *et Abimael.*

Nec hanc tribum ea, quae praeceſſit, melius aut novi, aut conjectura aſſequor: pene deſperans unquam me inventurum. Hebraicum enim quid nomen ſonare videtur, atque ex Arabico verſum ſed incertum, quo ex nomine Arabico. Tria quidem ſuccurrunt homini minime etymologiarum crepundiis delectato, ſed qui tamen hic geographica diſputatione ſine etymologiis defungi nequit.

1) Nullis ſi punctis ſubſtratis nomen proprium אבימאל in libro Hebraico legerem, nec unquam adpellari audiiſſem, ſuccurreret ſane, אֲבִימֵאֵל *Abimeel*, i. e. *pater meus a Deo*, efferre. Hoc nomen ſi Arabice verteres ابي من الله *Abiminallah*, tam illud polyſyllabum fiet, ut vix ſperes, integrum, nullaque detruncatione, poſt tot ſecula ſupereſſe. Sed et fatendum, neminem ex veteribus has ei vocales ſubjeciſſe.

2) Arabico in libro ſi eaſdem literas pro nomine proprio legerem, أَبِيمَال *Abimal* efferrem, i. e. *pater opum*, maxime, dives *pecoris*, a مَال *opes*. Sed et hic moleſtum, primo, quod Arabice potius أَبُومَال *Abumal*, dicendus fuiſſet pecorum dives: deinde, quod Aleph in مال (מאל) hodiernae quidem eſt inde a Muhammedis tempore et forte paulo ultra orthographiae Arabicae, ſed quae ea parte, qua ab Hebraica et Aramaea diſſidet, vix ejus antiquitatis eſt, ut Moſes ſequi in nomine Arabico ſcribendo potuerit.

Sed nec ita quidem quiſquam veterum extulit, niſi quod varia lectio codicis Kennicottiani decimi tertii אבימל, haec puncta requirit: verum unius codicis ſcriptionem, omnibus codicibus reliquis verſionibusque contradicentem, quis non potius pro errore librarii habuerit.

3) Cum punctis maſorethicis, אֲבִימָאֵל conſentiunt qui Graecis Latinisque literis nomen expreſſerunt, LXX Ἀβιμαήλ, Joſephus Ἀβιμάηλος, Vulgata *Abimael*. Sic Abimael foret, ut recte jam obſervavit Simonis p. 450. onomaſtici, *pater pinguis*, a مَأَلَ *pinguis et craſſus fuit*; مَآلٌ et مَيْلٌ *obeſus et craſſus*.

Vix ſperandum, integrum populi nomen adhuc ſupereſſe, ac forte אבימאל nomen progenitoris eſt, מאל, tribus. Ergo ſi ad radicem مَأَلَ retuleris, ſuffecerit, aliquam tribum, vel regionem, *Mäel*, *Ma'l*, atque adeo, *Mil*, (Eliph muta-

mutato in Je), id eſt, ut Arabicis quoque literis ſcribam, مايل, مآل, ميل invenire, nec repudiarem, ſi بايل *Bäel*, بآل *Ba'l*, بيل *Bil*, ſe offerrent, ſaepe enim M et B apud Arabes permutantur. Sed nihil ejusmodi me apud Arabum geographos reperire, memini.

Inveniſſe ſibi videbatur, me felicior, Bochartus l. II. c. 24. in Μαλι, quae Theophraſto eſt una ex quatuor Arabiae regionibus thuriferis. Veri ille ſimiliter, hic ſi ſubſtitiſſet, quamquam Μαλι et Μαηλ non idem videri nomen homini paulum incredulo poſſint: ſed dum ultra pergit, ſua ipſe vineta caedit. Nempe *Mali* in *Minaeos*, quos jam ſupra ſub דקלה angariaverat, convertit, hoc quidem uſus argumento. Quatuor regiones thuriferae commemorantur,

a Theophraſto	ab Eratoſthene
Σάβα	Σαβαῖοι
Ἀδράμυτα	Χατραμωτῖται
Κιτίβαινα	Καταβάνεις
Μάλι	Μειναῖοι.

Haec vero legens ac comparans, quis non potius ſuſpicari incipiat, ΜΑΛΙ in Theophraſto vitium ſcriptionis eſſe pro ΜΑΝΙ, extrema linea literae Ν expallida. Quod ſi eſt, ſi Theophraſtus ΜΑΝΙ ſcripſit, totus ille Maliorum populus, cum quo nomen Hebraicum confert Bochartus, ad nihilum redit. Mirum, hoc non vidiſſe virum eruditiſſimum, Graecisque ſcriptoribus, in quorum codicibus haec quotidiana ſunt, familiarem: ſed, ut jam ſupra dixi, aliquid ignorare, atque adeo vere et integre dubitare, non poterat.

* * *

ואת שבא *et Sabaeos.*

Celebres Sabaeos esse, felicis Arabiae populum, cujus olim metropolis Mariba, nullum est dubium, nec opus his, quae Bochartus l. II. c. 26. habet quidquam addere, licet felicitate temporum addi multa possint, sed jam diu evulgata, inque quotidianos libros Germaniae recepta, nec hic necessaria. De summa enim rei quaerimus, non de historia ac fatis notae regionis. Si quis autem illa, quae omitto, discere cupiat, Herbelotum adeat, Assemanum, Reiskium, Niebuhrium. Id unum, quia in geographia nihil scimus, nisi quod et in bonis tabulis recentiorum invenire queamus, estque omnis antiqua geographia non comparata recentiori, nebulae errantis instar, in tabulis d'Anvillianis Saba et Mariba quaerenda sub gradu longitudinis 65, latitudinis 16. Neque hunc situm, in quo minuta omnia neglexi, ut certum pono, nemo enim hucusque mathematicorum Maribam adiit, nemo elevationem poli, nedum, quod longe difficilius, longitudinem mensus est, sed d'Anvillius quam verisimillime poterat, conjecit, multo certe omnibus veteribus melius; sed eo modo fine, ut inveniri a quaerentibus in optima, quam habemus, tabula, possit, nec opus habeant, ut eruditi veterum assectae solent, nescio ubi, sed ubicunque in aliqua Arabiae parte Sabaeam fingere, sine et latitudine et longitudine mediocriter vera.

Alia hic forte dicenda repetes ex pagina 159. Tomi I, ubi et de nomine זמרגד (*Zamargad*) quod pro omni Sabaea substituere Judaei in Chaldaica paraphrasi solent, nonnihil dictum. Quo de nomine necdum certiorem me esse, quam ante hos decem annos, plane non dissimulo: ergo nec

nec pudori ſit, promere, quidquid interea, aut conjecturarum, aut ſomniorum ſubnatum eſt.

Jobi quidem interpres, quem Zamargad pro Saba Job. I, 15 (*). VI, 19. poſuiſſe dixi, ſine dubio de Saba et Zamargada cogitavit, non Africana, ſed Aſiatica: idemque et Samargadae ſuae reginam dedit, ut Sabaeorum gens Salomonis tempore reginae paruit. De regione ſmaragdorum divite cogitabam, nec obſtat, quod S Latinorum, Σ Graecorum, Arabice س eſt non ز, ſine dubio enim ſmaragdi nomen per ز ſcribitur زمرد. Vide Golium p. 1112. Latius tamen patuiſſe, atque topazium quoque complexum videtur: Arabs certe Ezech. XXVIII, 13. Graecum τοπάζιος زبرجد (*Zabargad*) reddidit, quod ipſiſſimum noſtrum nomen eſſe poſſit, B et M literis pro more Arabum permutatis. Cogitaruntne, qui regno alicui *Zamargad* nomen indiderunt, de topaziorum inſula (**) in mari rubro; eamque ad Arabiam retulerunt, non, ut Graeci, ad Africam? Alia, cujus mihi in mentem venit, conjectura: *Damarae* (ذمار), nomen urbis celebris Arabiae Felicis, ſedecim paraſan-

(*) De hoc quidem loco, cujus lectio ſuſpecta videri poſſit, vide diſputata in bibliothecae Orientalis T. VII. p. 217-220, quibus hoc unum addo. Sana ſi lectio ותפל שבא ותקחם, non de celebri Sabaeorum gente ſermo erit, ſed de minore aliqua tribu ejusdem nominis, de illa forte, quae Geneſ. X, 7. in poſteris Regmae numerabatur, aut de alia; nomina enim gentium ſunt maſculina, at tribuum minorum familiarumque haud raro Arabibus feminina eſſe obſervavi, exemplisque id in nova, brevi proditura grammatica Arabica confirmabo.

(**) Vide Plinium libr. VI. c. 29. p. 342. editionis Harduini, lin. 7. itemque libr. XXXVII. c. 8. p. 781. lin. 11-20: praetereaque Strabonem libr. XVI. p. 1115 (al. 770) et Diodorum Siculum l. III. c. 39.

rasangis Arabicis (*) a Sanaa, ex utriusque linguae analogia Hebraicis literis זמר scribendum: ex hocne urbis nomine Judaei nomen regni Zamargad composuerint?

Confer adhuc bibliothecam Orientalem T. IV. p. 154. ubi suspicatus sum, Samarcandam, in historia Arabum antiquissima nonnunquam cum Zamargada confundi.

Haec quidem effudisse liceat, ut alii deliberent, inque verum inquirant, quod hucusque latet.

V. 29.

ואת אופר *Et Ophir.*

De Ophir, regionis potius quam viri nomine, copiose Bochartus egit in capite XXVII libri secundi, duplicem adeo inveniens Ophiram, et utriusque situm indicans, cum mihi vel unam invenire, situmque ejus definire, difficile etiam post Bochartum videatur.

Ac de nomine quidem recte et vere disputat, ortum esse a وفر *abundavit*, *dives fuit*, divitemque ut ita dicam, maxime, auri divitem, regionem significare. Verbum quidem ipsum, ut et Bochartus docuit, cum derivatis, latius patet, possitque cum de terra fertili, proventuque agrorum, vinearum, hortorum, divite, tum de aurifera, poni: sed hic posterius sine dubio praeferendum, cum aurum Ophiriticum toties in sacris literis laudetur. Fuerunt, qui utrasque divitias conjungerent; veri haud similiter! raro

(*) Abulfeda, num. XVIII. Arabiae, p. 39. editionis Gagnierianae. Secundum Nubiensem, ut idem jam retulit Abulfeda, bidui iter Sanaa Damaram. Niebuhrius p. 235. descriptionis Arabiae retulit, $12\frac{1}{2}$ milliaribus germanicis Damaram Sanaa abesse. Haec omnia bene concinunt, suntque eadem distantia, diversis modo mensuris expressa.

raro enim auriferae regiones, fertiles agros habent. Montes ex quibus metalla eruuntur, plerumque ob altitudinem, indeque ortum frigus, nec vites alunt, nec aratro parent: granula auri in desertis fere arenosis (*) majore copia colliguntur.

Nomen Arabice *Auphara* efferendum esse, edixit potius, quam argumentis confirmavit, Bochartus: id forte spectens, primo, quod اوفر (*Aupharu*) Arabum lexicographis *plantis est abundans terra;* deinde quod in bibliis Polyglottis haec nomini puncta subjecta sunt, اوفير. Haec vero ab editoribus, aut librariis recentioribus, pro lubitu fere posita: Arabicosque interpretes, quorum plerique non Hebraica sed Graeca verterunt, si interrogare liceret, quomodo اوفير adpellandum? sine dubio responderent, *Uphir*, اوفير, in Graecis enim bibliis Οὐφεὶρ scribi solet.

Nec אופר forma grammatica cum Arabico اوفر idem, solet enim frequenter cum Jod post Fe scribi, אופיר, ut Job. XXII, 24. quam lectionem et hic non pauci habent codices a Kennicotto excerpti; Samaritanis contra codicibus, tribusque Hebraicis Kennicotti, Vau omittentibus, אפר.

Triplicem ergo nominis scriptionem אופיר, אופר, et אפר, admittere libertas orthographica linguae Hebraicae videtur, ex quibus אופיר plena, אופר et אפר defectivae, sed omnes, secundum puncta masorethica, quibus Graeca accedit et Latina versio, *Ophir*, vel *Uphir*, efferendae. Haec

(*) Vide quaestionem 39. 40 eruditis a rege Daniae Friderico in Arabiam missis propositam.

Haec quidem plenior forma, Arabicis literis ſcripta, اوفير, proxime accedit ad formam diminutivam, *Kutail* (قتيل), ut, ſi de adpellatione genuina et Arabica quaeratur, ſuſpicari poſſis, nomen regionis Arabicum fuiſſe اوفير (*Ufair*) quaſi diceres, *Ditula*. Solent quippe Arabes ſua denominativa in rebus locisque, quibus valde delectantur, uſurpare. Sed nihil decerno; conjecturam modo veriſimiliorem de appellatione nominis Arabica Bochartianae adjeci.

Auri ditiſſimam olim habitam fuiſſe, non Arabiam quidem univerſam, ſed aliquam Arabiae partem, (aut arenoſam, ut puto, in quam grana auri pura a torrentibus deferebantur, aut montanam) ex Graecis tam diſputavit copioſe Bochartus, ut nullo opus ſpicilegio videatur. Paulo tamen cum ſit ad veri etiam diſſimiliora veteribus credendum proclivior, aliis forte omnia ad fabulas et mendacia ablegaturis, quia nonnihil fabuloſi admixtum, quod Bochartus non ſecrevit: non ſupervacaneum erit, unum alterumque locum integrum deſcribere, inque exemplo ejus quid ſentiam, quid fabuloſum habeam, profiteri.

Diodorus Siculus l. II. c. 50 Μεταλλεύεται δὲ κατὰ τὴν Ἀραβίαν καὶ ὁ προσαγορευόμενος ἄπυρος χρυσὸς, οὐχ ὥσπερ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἐκ ψηγμάτων καθεψόμενος, ἀλλ' εὐθὺς ὀρυττόμενος εὑρίσκεται, τὸ μέγεθος καρύοις κασταναϊκοῖς παραπλήσιος, τὴν δὲ χρόαν οὕτως φλογώδης, ὥστε τοὺς ἐντιμοτάτους λίθους ὑπὸ τῶν τεχνιτῶν ἐνδεθέντας ποιεῖν τὰ κάλλιστα τῶν κοσμημάτων. i. e. *effoditur vero etiam in Arabia aurum ignis expers, non, ut apud reliquas gentes, ex ramentis* (*) *igne excoctum, ſed quod ſtatim a foſſoribus ſub auri forma invenitur, nucis fere caſtaneae magnitu-*

(*) Granula auri puri intelligo, in arenis rivisque inventa.

gnitudine. Colore autem eſt tam fulgido et igneo, ut pretioſiſſimos lapides, artificum opera incluſi, ornamentum pulcherrimum efficiant. Jam hic falſa veris mixta videntur. Aurum in Arabia purum repertum olim fuiſſe non negaverim; at aurum nullum eſt in omni rerum natura, auro igne depurato fulgentius, nec credo ullibi maſſas auri ignem non experti caſtaneae nucis magnitudine reperiri, licet ſimilia de Sumatra referat Cornelius le Brun, (*) Ophirae etiam, ſed alibi ſitae, mentione injecta. Nec hos, qui talia tradiderunt, mentitos puto, ſed deceptos, masſasque auri caſtaneae nucis magnitudine, aut majores, arte fuſas ab impoſtoribus, ut carius pro naturae dono venderentur. Magno enim in pretio aurum ἄπυρον, cui et ineſſe virtutes medicas, magicasque fingebant. Sic quotidie noſtris naturae ſtudioſis illudunt impoſtores, ſua artificia pro naturae artificiis caro vendentes, et antiquitatis ſtudioſis, feliciores etiam in decipiendo, et credulos nacti emtores, Itali.

Idem Diodorus, l. III. c. 45. de Arabibus, montanam regionem habitantibus, ac *Debis* dictis, (agnoſces Arabicum auri nomen ذهب): τὴν δὲ χέρσον τὴν ἐχομένην τῆς ὀρεινῆς νέμονται τῶν Ἀράβων οἱ κεκλημένοι Δέβαι — —. Κατὰ μέσην τὴν χώραν αὐτῶν φέρεται ποταμὸς, τοσοῦτον χρυσοῦ καταφέρων ψῆγμα φαινόμενον, ὥστε περὶ τὰς ἐκβολὰς τὴν ἰλὺν ἀποφέρεσθαι περιστίλβουσαν. Οἱ δὲ ἐγχώριοι τῆς μὲν ἐργασίας τῆς τοῦ χρυσοῦ παντελῶς

(*) Voyages par la Moſcovie en Perſe et aux Indes, T. II. p. 361. *On voit même encore devant Malacca une petite Ile, que les Habitans appellent Ophir, et les gens de mer, et les Geographes l'Ile rouge. On trouve auſſi à l'Oueſt de l'Ile de Sumatra beaucoup d'Or, dont j'ai vû de beaux morceaux, à peu près de la groſſeur d'un oeuf de pigeon, et d'autres plus larges, ſans aucune melange de pierre.*

λῶς εἰσὶν ἄπειροι. I. e. *proximam autem terrae continentis partem, montibus vicinam, Arabes habitant, Debae dicti.* — — *Per horum regionem mediam fluvius fertur, tantum granorum auri devehens, ut limus circa oſtia fluvii rutilet. Sed auri faciendi plane imperiti incolae.* Paulo poſt de vicinis Alilaeis et Gaſandis vel Caſſanitis, (cujus nominis etymologiam, a Bocharto pag. 138. proditam, ignorare malim, donec conſtet, quibus literis Arabicis ſcribendum ſit: populum ipſum in Ptolemaei tabula ſub gradu latitudinis 19 invenio, prope ſinum Arabicum) ἡ χώρα πάμφορός ἐστι, καὶ διάφορος κατὰ τὴν ἀρετὴν, οὐ μέντοι τυγχάνει τῆς ἐνδεχομένης ἐπιμελείας διὰ τὴν τῶν ἁλιέων ἀπειρίαν. Τὸν δὲ χρυσὸν, εὑρίσκοντες ἐν τοῖς φυσικοῖς ὑπονόμοις τῆς γῆς, οὐ τὸν ἐκ ψήγματος συντηκόμενον, ἀλλὰ τὸν αὐτοφυῆ, τὸν καλούμενον ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ΑΠΥΡΟΝ. Κατὰ δὲ τὸ μέγεθος ἐλάχιστος μὲν εὑρίσκεται παραπλήσιος πυρῆνι, μέγιστος δὲ οὐ πολὺ λειπόμενος βασιλικοῦ καρύου. Φοροῦσι δ' αὐτὸν περὶ τοὺς καρποὺς τῶν χειρῶν, καὶ περὶ τοὺς τραχήλους, τετρημμένον ἐναλλὰξ λίθοις διαφανέσι. Καὶ τούτου μὲν τοῦ γένους ἐπιπολάζοντος παρ' αὐτοῖς, χαλκοῦ δὲ καὶ σιδήρου σπανίζοντος, ἐπίσης ἀλλάττονται ταῦτα τὰ φορτία πρὸς τοὺς ἐμπόρους. I. e. *Regio omnium rerum ferax, et excellens, ſed quae ob piſcatorum* (*) (malim, *Alilaeorum*) *imperitiam, non ut fas erat, colitur. Aurum autem in cuniculis inveniunt a natura factis, non ex ramentis igne fuſum, ſed nativum, quod, quia ignem non expertum eſt apyrum dicunt. Magnitudine vel minimum fruſtum nucleo fere par, majora autem non multum cedunt nuci regiae.*

(*) Lectionem conſvetam ἁλιέων, interpretabatur Bochartus p. 140 *terram negligi, quia incolae piſcatores ſint, rerum omnium imperiti:* quod diſplicuit Weſſelingio, τῶν λαῶν (*per inſcitiam hominum*) corrigenti. Equidem puto, alia ratione explicari, ἁλιέων, poſſe, intelligique de *auri piſcatoribus*, (*Goldwäſcher*, germanice dicimus), qui ex rivulis aurum conquirunt. Locus autem ſi corrigendus, mallem Ἀλιλαίων legere.

giae. Gestant illud in carpo manus colloque, pellucidis lapillis distinctum. Hoc autem metalli genere abundantes, aeris et ferri laborant penuria, unde fit, ut haec metalla a mercatoribus ementes, aequo pondere auro permutent. Haec postrema, quaeque illis adhuc incrediliora ex Agatharchide et Strabone excerpsit Bochartus, supra verum aucta narrando, nec digna videntur, Bocharto, tanto viro! defensore. Ea si ullibi terrarum cognitarum abundantia et vilitas auri, omnes illuc comportaturi aes et ferrum erant, atque paucorum annorum decursu exhausturi nimias illas auri divitias. Frustra Americae exemplo utitur Bochartus, cum primum inventa ab Hispanis esset, pretiosa metalla crepundiis Europae permutantis. Americanis aurum et argentum nondum erant pro pecunia, ipsique sejuncti ab omnibus reliqui orbis populis degebant: ergo primis adnavigantibus nobile metallum, pretii ignari, pro vilibus rependebant, sed novis, et pulcris adspectu, atque inauditis crepundiis. At paucorum annorum lapsu constitit apud illos idem argento pretium, quod in Europa. Habuit praeterea ipsa felix Arabia non ferrum modo, sed et gladios praestantissimos, Tyrum devectos, ut pag. 171-174 vidimus: fac ergo, Alilaeorum et Gassandorum regioni ferrum a natura negatum, non tamen poterat in tanta vicinia ferri et fodinarum et officinarum tam esse carum, ut auro aequipararetur. Addit Diodorus l. III. c. 47 de Sabaeorum opulentia, omnia pene aurea habentium et argentea: sed haec non ad rem nostram, Sabaeis aurum forte non ex fodinis rivisque, sed ex mercatura et thure habentibus; quamquam, nec enim hoc subticendum, Plinius et auri fodinas illis tribuere videtur, l. VI. §. 32. pag. 340. lin. 15. 16. *Sabaeos ditissimos silvarum fertilitate odorifera, auri metallis.* Sed hoc utcunque sit, Saba et Ophir diversae sunt

 regio-

regiones, quas ipſe, quem explico, Moſes, diſtinguit. Mirum quoque et ſuſpectum, quod argenti copiam laudat Diodorus, peregrini Arabiae. Sed accidit antiquis, quod noſtris, ut utriusque metalli divitias confunderent.

Hic ergo multa fabuloſa inque majus aucta eſſe lubens concedens, non tamen a me impetro, ut omnia, quae de Arabia auri feraci non Diodorus ſolum, ſed et Agatharchides, Strabo, Plinius (*) tradiderunt, in mendaciis habeam. Ut enim taceam, nefas eſſe, tam conſtanti veterum traditioni ob aliqua veri diſſimilia illis admixta omnem abrogare fidem, primo ſacrae literae, domeſticae Orienti, inque vicinia Arabiae, partim in Arabia, proditae, auri divites faciunt Arabes, ipſasque adeo Nomadicas Arabiae gentes (**), idque antequam aurum pro pecunia eſſet. Ex quinque tribubus Midianiticis non magnis, (nec enim plures in illis quam 32000 feminae virum non expertae), nec auro pro pecunia ſed pro ornatu utentibus, plane ut ſupra de Alilaeis retulerat Diodorus, ſoli chiliadum et centuriarum praefecti, i. e. viri 132, praedam 16750 ſiclorum auri reportarunt, Deoque ſacrarunt; quibus ſi in praeda colligenda, detrahendisque hoſti ornamentis, non fuerunt ſegniores 12000 milites, quinque exiguarum tribuum ornamenta aurea circiter 1,650,000 ſiclorum praeda victores ditarunt. Magnae ſane divitiae; ex communi ſicli Moſaici computo, plus quam decem marcarum Colonienſium millia, i. e. 670,000 nummi ducati aurei (ducats d'Or): ex meo modeſtiore, quarta hujus ponderis aut certe quinta

(*) libr. VI. c. 28. p. 337. lin. 22. *littus Hammaeum, ubi auri metalla.*

(**) Conſilio omitto, quae jam Bochartus de auro Sabaeae excerpſit, apud ipſum p. 140 relegenda.

ta pars, aurum si purum fuisset, 134000 ducatis cudendis sufficiens. Adhuc ex hoc numero aliquid deme, quod forte aurum non omnino purum fuerit; magnae tamen auri divitiae et inexspectatae in gente Nomadica supererunt. Numer. XXXI, 35. 48-53. Alio in bello, quod Gideon cum Midianitis gessit, iterum populum vagum auri divitem reperit, ut vel camelorum ornamenta ex auro fierent. Jud. VIII, 24-26. Jobi librum qui scripsit, (Moses, ut opinor) ei et aurifodinas cum omni artificio perfecte cognitas, nec ignotos rivos, auri grana devehentes, cap. XXIV, 24. 25. et caput XXVIII. legenti certum videtur: sed hoc argumento non utor, potuit enim Moses et extra Arabiam, ex intima forte Africa, fodinarum auri et rivorum notitiam hausisse.

Deinde et indoles, situs, natura Arabiae talis, ut aurum in ea sperare fas sit; magni et ardui montes, venas metalli nobilis promittentes, circa eos deserta arenosa, in quibus auri grana, eluvione torrentium illuc delata, inveniri solent. Naturae ergo consentanea et verisimilia loquuntur, qui divitem suo auro Arabiam fuisse tradunt.

Nostro quidem tempore nihil in Arabia auri, teste Niebuhrio (*) eruitur, ferri, quo Alilaeos et Gassandos carere tradiderunt Graeci, in Jemena non parum. Aurum ex Habessinia accipit, aut ex Europa Venetianum, nummique aurei Venetiani tam in Arabia frequentes, ut interrogarent Niebuhrium Arabes, soline ex Europaeis Veneti auri metalla haberent? alii suspicarentur, lapide eos philosophorum ex aliis metallis aurum facere, denique Imamus Sanaae ex Venetorum aureis suam cudi faceret mone-

(*) In descriptione Arabiae p. 141.

monetam. Sed haec non eo pertinent, ut Arabia nunquam ſuis ex montibus, rivis, deſertis aurum habuerit. Ut enim taceam, aliquot annorum millibus exhauriri potuiſſe fodinas, exhauriri et illos montes, quorum torrentes auri grana devehunt, ut ſaepe vel noſtras metallorum fodinas exhauriri videmus, quarum exhauſtarum et nomen germanicum habemus, ut rebus notis et quotidianis accidit, *der alte Mann*, (*ſenex decrepitus*): aliae multae ſunt cauſſae, quibus fieri potuit, ut in divite olim auri Arabia nullum nunc granulum reperiatur. De ipſa noſtra Germania, metallorum nunc ditiſſima, Tacitus (*): *argentum et aurum propitii an irati Dii negaverint, dubito.* Sed prudenter addit, quod et nunc forte dici de Arabia poſſit: *nec tamen adfirmaverim, nullam Germaniae venam argentum aurumve gignere: quis enim ſcrutatus eſt?* Haecque ipſa Germania, ſi quando in eam incideret rerum omnium perturbationem, in qua inde a Muhammedis tempore fluctuavit Arabia, poſt paucas forte hominum aetates nullas habitura erat argenti fodinas. Hiſpania olim ad miraculum usque argenti ferax: ſed poſtquam illa fanatica ex Arabia ſe in eam effudit Saracenorum colluvies, fodinae omnes ita neglectae ac deſertae ſunt, ut ſuperiore adeo ſeculo, et noſtro ineunte, dubitatum ſit, mentitine, qui Hiſpaniam argenti olim divitem dixerunt Graeci et Romani, maxime Plinius? an metalla exhauſta? an reges occultas terrae divitias celarent, Americam ante exhauſturi, Hiſpaniaeque patrios theſauros ſervaturi? donec noſtro tempore vidimus, neglecta olim et emortua metalla vitam reſumere, Hiſpaniam, quod olim habuerat, adhuc habere, argentum diu latens, quod, ut iterum Taciti verbis utar, deeſſet qui ſcrutaretur. Sunt certe

(*) capite 5 Germaniae.

certe, ut hoc moneam, multae caussae, quae ditissimam olim et feracissimam nobilis metalli regionem inopem facere possunt: ligni primo penuria, silvis exhaustis, sine ingenti enim ligni copia, nec satis fulciri fodinarum cuniculi, nec ex minera metallum excoqui potest; ac certe, nisi silvam haberemus Hercyniam, argento quoque Hercyniae careremus: deinde, altius in ima montium descendentibus cuniculis, stillicidiorum aucta copia, omnia inundatura. Ipsi nostrae Hercyniae impendere jam fato videbatur, ut post aliquot hominum aetates fieret, quod Taciti tempore fuit, vasta et inops silva, stillicidiis fodinas submergentibus, nisi ante paucos annos succurrere provida regis mens coepisset, cuniculum subterraneum alte infra omnes fodinas depressum cavari jubentis, in quem illae paludes subterraneae omnes, ex stillicidiis ortae, derivari possent. Magnum sane opus, forte eorum omnium maximum quae in terris Hannoveranis, et ipse, et avus et proavus suscepit, quodque nomen ejus posteris nostris aeternum commendabit: et tamen si casu accidisset, ut nemini hujus cuniculi agendi in mentem veniret, aut si sumtus defuissent, aut nimia parsimonia erogati non essent, Hercynia, tam dives metalli, aliquando hydrope effoeta futura erat. Tandem fodinae exerceri nequeunt, nisi in magna securitate publica: inter bella enim barbararum gentium, inimicius quam apud nos, et saevius gesta, aut ubi praedonum potentiorum metus, aurum argentumque ex terra effossum diripiente hoste vel publico vel privato, atque adeo opera ipsa et machinas destruente, desinent fossores fodinarumque domini, magno metallum labore et sumtu ex terra eruere. In ea ergo rerum perturbatione, quae inde a Muhammedis tempore Arabiam saepe adflixit, bellis, fanaticorum etiam praedonum furoribus et po-

 tentia,

tentia, mirabimurne, idem Arabiae accidisse, quod Hispaniae inde a Saracenorum invasione et dominatione? metalla neglecta jacere, jamque ignorari, ubi locorum divites olim venae suo Arabiam auro ditarint? Accessit magna mathematum reique metallicae ignorantia, ut nisi alia gens fossores praebeat, ne instaurari quidem opera diu intermissa possint.

Ergo cum aliquem Arabiae tractum auri divitem fuisse existimem, hactenus non dubitans Bocharto adsentior, Ophiram a Joctanitis habitatam, de qua Moses loquitur, in Arabia sitam fuisse, extra illam enim quaeri vetat versus nostri capitis tricesimus: quo autem Arabiae in loco, aut adeo angulo, qui montes, qui rivi tam fuerint auro divites, non expedio. Fac, Bocharto demus, Gasandorum, seu, ut Ptolemaeus vocat, Cassanitorum terram Ophiram Mosis esse, haec ipsa tribus ubi habitaverit non constat. Ptolemaei tabulam Arabiae sub gradu latitudinis 19 haud procul a sinu Arabico ponere, supra diximus: verum huic quae fides, sine alio certe teste, toties erranti? Quod si fidere velis, tamen in gradu latitudinis aliquem mediocrem unius aut duorum graduum errorem suspicari debebis: cum enim fretum, Arabiam ab Africa dirimens, quod Niebuhrius sub gradu latit. 12, 38 invenit, tabula Ptolemaei sub gradu 11 habeat, sequitur, ut, si systematice erravit mathematicus, et sequentibus gradibus Ptolemaei $1\frac{1}{2}$ aut $1\frac{3}{4}$ gradus addendus sit, servando locorum justo intervallo. Ergo, si nihil etiam majoris a Ptolemaeo erroris admissum, Gassandos a gradu inde latitudinis 19, sub quo eos posuit, usque ad gradum 20, 40′ quaerere licebit, id est, in tabula Niebuhriana sinus Arabici Gunfadam inter et Giddam, inque adeo Meccae ipsius vicinia,

nia; in qua tota regione nec aurum, nec nomen Gasandis concinens, hucusque inventum. Desperemus de Ophira, deque ejus auro, donec feliciore statu Arabiae, reviviscentibus literis pacisque artibus, nobilis iterum metalli venae quaerantur, detegantur, et colantur.

Sed praeter hanc Mosaicam Ophiram a Joctanis posteris habitatam, aliam extra Arabiam quaerit, sibique invenisse videtur Bochartus, ex qua Salomonis navis aurum adportarit: hic quidem rationes adferens, sed quae mihi sententiam non persvadent, ob quas duplex statuenda Ophira sit, aliis paulo inverecundius nullo adlato argumento sumentibus, duplicem esse Ophiram, aut majore etiam peccato, contra versum 30, Mose invito Ophiram Joctaniticam extra Arabiam, ultra mare, ultraque Oceanum quaerentibus. Fateor, ut nobis duplex est India, plures etiam regiones auri divites ab Hebraeis Ophiras dici *potuisse*, *potuisse* et Salomonem ad aliam remotiorem Ophiram, Ceilanam, Sumatram, Malaccam, Sofalam, classes aurum reportaturas mittere: sed cur hoc *factum* existimandum sit, cur Ophira Salomonaea ab Ophira in Arabia, ipsa tamen auri divite, distinguenda sit, nullam omnino rationem video. En Bochartianas! Extra Arabiam quaerendam Salomonis Ophiram statuit,

1) *quod itineri triennium impendebatur.*

Non vero itineri Ophiritico, sed Hispanico, si *Tharschisch*, ut ipse nos docuit Bochartus, pluribusque confirmavimus, Tartessus est Hispaniae. En loca ipsa 1 Reg. X, 22. *semel per tres annos veniebat navis Tartessi.* 1 Par. IX, 22. *semel per tres annos veniebant naves Tartessi.* Nec nego, easdem naves et ad

 Ophi-

Ophiram adpulisse, sed ea relicta Africam circumnavigabant, Hispaniam adibant, perque fretum Gaditanum, variis multarum gentium divitiis onustae in Palaestinam redibant, qua de navigatione copiosius in Tomo I. p. 92-101. actum. Possem quidem et nova addere ibi dictis, sed ad finem festino, servans ea spicilegii mei adpendici.

2) *quod ebur non potuerit ex Arabia adferri, in qua elephanti nulli.*

At vero nec dicitur, ebur ex Ophira adlatum fuisse; sed navem *Tartessi* שנהבים, quod volunt esse ebur (*), retulisse. 1 Reg. X, 22. 2 Paral. IX, 21. Nec vero ex Hispania ebur allatum puto, non magis quam ex Ophira, sed ex circumnavigata, ut jam dixi, Africa.

Mirum argumenta, quae in Tharschisch aliquam veri speciem habere possent, ad Ophiram, cujus ne nomen quidem his omnibus locis legitur, tanta fiducia transferri. Multo etiam confidentior Relandus, in dissertatione de terra Ophir, statim ab initio: *terra Ophir debet esse talis regio, quae abundat copia auri, argenti, eboris, simiarum, et pavonum, vel psittacorum. Ita legimus 1 Chron. IX, 21. semel ternis annis veniebant*

(*) Dubitanter scripsi, nec enim ita mihi certum שנהבים ebur esse, ut Bocharto, eumque secutis. שן cum *ebur* sit, non intelligo quam ob caussam historicus uterque, si de ebore loqueretur, non hoc noto et quotidiano nomine, sed alio rariore שנהבים usus esset. Suspecta adeo fuit lectio, conjiciebamque ante editum Kennicottianum opus, שן והבנים legendum esse, ut Ezech. XXVII, 15. sed excerpta codicum Kennicottiana conjecturam meam destituunt.

bant naves Tarsis, afferentes aurum, argentum, ebur, simias, et pavones. Quod conferri debet cum 1 *Reg. IX,* 27. *ubi diserte eadem profectio classis, et quidem ad terram Ophir, narratur.* Hactenus ille: nempe 1 Reg. IX, 27. 28. dicitur, navem Salomonis et Hirami Ophiram adiisse, indeque aurum reportasse. Quis vero vel mediocriter ratiocinandi peritus inde effecerit, ex eadem Ophira etiam reliquas longinquae et triennis navigationis merces allatas, ebur, si ita volunt, argentum, simias, psittacos? Ac ne quidem obstrepo, quod opponere paulo disputacior posset, non liquere, 1 Reg. IX, 27. 28. de eadem classe sermonem esse, quae 1 Paral. IX, 21. ebur, psittacos, simias, et quidquid velis, retulerit: do eandem esse, sed non omnes ex una Ophira merces habuit.

3) *quia veteres consentiant Ophiram in India quaerendam esse.*

Hic, ut taceam Arabiam quoque Felicem Indiam veteribus dici, dubitarique posse, qua de India loquantur, potestne quidquam hic valere veterum auctoritas, tantam Arabiae felicis inscitiam ubique prodentium? Sic et de ipso Josepho sentio, Ophiram, seu, ut ille nomen scripsit LXX sequutus Σωφίραν, Indiae partem dicente, quae nunc *terra aurea vocetur:* (εἰς τὴν πάλαι μεν Σωφίραν, νῦν δὲ χρυσῆν γῆν καλουμένην, τῆς Ἰνδικῆς ἐστὶν αὐτη. Ant. VIII, 6, 4.) In quarta enim geographiae Arabiae Felicis, tribuum Joctane ortarum, et Indiae versatus sit ignorantia, pagina 149. 150. vidimus.

Ergo, donec certiora adferantur argumenta, illis non accedo, qui extra Arabiam Ophiram quaerunt. Placuit,

 ut

ut jam dixi Bocharto, Ceylana insula, non quod vestigium nominis Ophir vel tenuissimum ibi inveniret, sed quia aurum mercesque habeat 1 Reg. X, 22. 2 Paral. IX, 10. 11. memoratas: aliis Sumatra, eique vicina Malacca, verisimiliora adferentibus, si certum esset et indubium, quod supra (*) ex Cornelio le Brun excerpsi, in Malaccae vicinia insulam esse, navigantibus *auream* vel *rubram*, incolis *Ophir* dictam; sed vereor, ne nomen insulae sit ab exteris, christianis, Muhammedanis, aut Judaeis ex historia Salomonis datum, nihil enim Indici sonat, sed est manifeste Arabicum. Suparam (**), urbem Chersonesi Indiae citerioris, Ophir Salomonis esse contendit Relandus, in dissertatione de Ophir, miscellanearum quarta: nec nego, LXX qui אופיר *Sofiram* vocant, de ea cogitasse videri. Fuerunt denique, quibus Sofala Africae, ad mare Indicum, sub gradu 20 latitudinis Australis, nominis forte concentu cum Σωφειρα LXX interpretum commendata, adblandiretur (***): quam quidem ad Sofalam Salomonis

(*) pag. 187.

(**) Vide Ptolemaeum l. VII. c. I. pag. 168. Ponit eam sub latit. 15, 30′. eo circiter loco, ubi nunc Goa. Eandem esse putat Relandus, quae ab Arriano in periplo maris Erythraei (p. 30. editionis Hudsonianae, in T. I. geographiae scriptorum veterum) Uppara dicatur, hic sibi et Ophirae nomen reperisse visus. Non obnitor, quin Arriani Uppara, sit Ptolemaei Suppara; nec tamen duplex urbis nomen fuisse puto, sed peccato librariorum S ante *Uppara* omissum, quod nomen praecedens *Acaboros* in S desinebat. Quotidianum hoc librariorum peccatum: scripserit Arrianus, ΑΚΑΒΟΡΟCCΟΥΠΠΟΡΑ ('Ακαβορος Σουππορα) nil proclivius librario, nominum ignaro, quam ΑΚΑΒΟΡΟCΟΥΠΠΟΡΑ cum uno modo Σ describere.

(***) Vide *le Grand, dissertation de la Mer rouge, et de la navigation de Solomon*, sextam eorum, quam versioni suae itineris Lupi in Abessiniam subje-

nis classem penetrasse inficiari nullo modo possum, qui Africam ab illa circumnavigatam credo, nec negare audeo, auro etiam mercibusque Sofalae ditatam rediisse; sed concentui nominis nihil tribuendum, qui totus perit, Sofala Arabicis literis scripta. Nomen plenius est, *Sofalath al-Dheheb* (*), i. e. سفالة الذهب, *litus auri*, non ab incolis inditum, nec ab Hebraeis, sed ab Arabum nautis et geographis, nec ullo modo cum אופיר aut Σωφειρ cognatum. Hebraice scriberes, שפלה, *planities*, *litoralia*, quo nomine et litoralia tribus Judae in geographia Palaestinae vocantur. Hujus vero nominis potissimam partem detruncavit usus recentior, et *Sofala* i. e. *littus*, pro littore auri posuit.

Plura non colligo, placet enim dictum Cellarii (**): *merae divinationis sunt, quae de Ophir disputantur, nec posteriores opiniones habent, quod primae justis de caussis praeferatur.*

Sed antequam Ophiram missam faciam, de nomine, Σωφειρα, Σωφαρα, Σωφιρα, Σουφειρ (diversimode enim scribi solet) dicendum, quod ejus loco LXX aliquoties ponunt, Josephus ex illis mutuum habet, exque lingua Coptica sumtum a LXX interpretibus videtur (***), Coptice enim, docen-

subjecit, (*Voyage historique d'Abessinie, du R. P. Jerome Lobo, traduit du Portugais par Mr. le Grand*), T. I. p. 330. sequ.

(*) *Herbelot* p. 815. Nubiensis Clim. I. Pars VI. p. 28.

(**) p. 874. T. II. geogr. ant.

(***) Aliter sentit Relandus p. 171. dissertationis de Ophira, Coptos nomen ex versione Graeca suum fecisse ratus. Verum unde illud Graeci habebant interpretes, si non antea in Aegypto notum erat? Certe non ex Hebraico, Ophir, non Sophir scribente! Cogitemus, primo LXX vocabula etiam adpellativa, ut Ἄχι, aliaque, ex Aegy-

docente Kirchero p. 211. ϹΟΦΙΡ *India* dicitur. Occurrit autem in Graecis bibliis, quantum memini, Job. XXII, 24. XXVIII, 16. 3 Reg. IX, 28. X, 11. 1 Paral. XXIX, 4. 2 Paral. VIII, 18. IX, 10. et, quem locum paulo difficiliorem, a Trommio omitti et Relando (*) video, Jeſ. XIII, 12. ὁ λίθος ὁ ἐν Σουφεὶρ, *lapis in Soufir*, pro, *aurum Ophir*; Hebr. כתם אופיר. Ab Arabe الهند redditur 3 Reg. IX, 28. X, 11. Jeſ. XIII, 12.

Haec vero Alexandrinorum *Sofira*, quin India ſit, ab emporio primario *Supara* dicta, Aegyptiis commercia per mare rubrum exercentibus, vix dubito, cum et Arabicum celebris emporii Indici nomen, ab Abulfeda memoratum, *Sofara* (سوفارة) propius quam Ptolemaei Supara, ad ſonum Graeci Σωφαρα vel Σωφειρα, accedat. Integrum adſcribam Abulfedae locum, primum ex codice Pariſienſi, meaque verſione, deinde ex Doctiſſimi Reiskii, qui codicem Lugdunenſem, paulo aliter hic habentem, ſententiae tamen ſumma concinentem, latine interpretatus eſt. Sed antea monendum, litoralia utriusque Cherſoneſi Indicae Arabum geographis tanquam proprio nomine *Sofala* (سفالة) *Littoralia* dici, quae, ſi quod haberent emporium primarium, *Sofara*, accidere facile potuit, ut ejus quo-

Aegyptia lingua in Graecam translata uſurpaſſe, deinde, Alexandriae, quae tum merces Indiae, per ſinum Arabicum adlatas toti vendebat Europae, nomina celebriorum Indiae emporiorum non potuiſſe non eſſe notiora, denique Ptolemaeum, geographum Aegyptium, primum eſſe, cui Suparae notitiam debeamus: nec dubitabimus, quin Sophiram non Coptica lingua ex LXX, ſed LXX ex uſu et geographia mercatoria Aegyptiorum, ſuaeque urbis, Alexandriae ſumſerint.

(*) Diſſ. de Ophir §. VI.

quoque nomen per errorem *Sofala* efferrent, quaſi a metropoli nomen habente regione, aut vice verſa. Sic ergo in codice Pariſienſi ſub numero 359 Indiae Orientalis lego: ولهند سفالة كما للزنج قال الادريسي سوفارة مدينة عميرة كثيرة المساكن ولها تجارات ومراقو وهي فرضة من فرض البحر الهندي وبها مصايد ومغاص وبينها وبين مدينة سند خمس مراحل *India habet Sofalam aeque ut Zeng* (Zang, Zeng, Zengebar Africae, cui Sofalam auream accenſet). *Dicit Nubienſis, Sofara eſt urbs valde habitata, inque ea ſcalae*, (portus nempe, ad quas adpellunt naves, *Echelles* Gallice). *Emporium eſt ex emporiis maris Indici, habetque piſcaturam margaritarum, et abeſt ab urbe Sind quinque dierum itinere.* His omiſſis, quae forte ſerius adjecit Abulfeda, ex codice Lugdunenſi reddidit Reiskius (*): *Sofalah Indica, cujus proprium nomen ait ol Bironenſis eſſe* SUFARAH. *Indica cognominatur propterea, quod etiam Zengi, (ſeu Nigritae) habent ſuam Sofalam. Alia praeter hanc ejus commemorationem nulla de hac comperta habet.* Caeterum poenitet, ac prope pudet, quod de geographiae Indiae parum ſolicitus, cum Abulfedam beneficio regis Galliae domi meae haberem, oblitus ſum, Sofarae longitudinem et latitudinem enotare, quod ſi feciſſem, certius comparare cum Supara Ptolemaei poſſem.

Lapis Sofirae, quem pro auro habent LXX, quis ſit? vix pro certo dixerim: forte auri nativi majores nuclei, quas gemmis aequaparabat, fulgentioresque omni alio auro exiſtimabat fabula, ut ſupra p. 186. 187. ex Diodoro didicimus, *lapidem* etiam aurum apyrum vocante.

De nomine אופז, non niſi in ſcriptoribus, tempore exſilii Babylonici viventibus, lecto (**), nondum mihi con-

(*) *Büſchings Magazin T. IV.* p. 272. (**) Jerem. X, 9. Dan X, 5.

conſtat, ſitne ſynonynum Ophirae, a. פז (*aurum*) ductum, ut vertere nomina etiam propria, ac ſynonyma pro ſynonymis ſubſtituere Orientales ſolent: an nomen alius regionis auriferae, illo demum tempore Judaeis innoteſcentis, famamque Ophirae obſcurantis. Nec de פרוים 2 Paral. III, 6. in quo aliqui tam luſerunt indocte et inepte, ut Peru Americae regionem invenirent, certus ſum, ſitne nomen proprium an adpellativum. De utroque ergo non hic agam, ſed, ſi quid novae lucis adfulſerit, ultimo Tomo ſervabo, ſparſa per totum codicem ſacrum geographica extera tractaturo.

* * *

ואת חוילה *et Chavilam i. e. Chaulan.*

De utraque Chavila, et hac Joctanitica, et Cuſchaea v. 7. de qua in tomo priore eam ipſam ob cauſſam, quod duplex eſſet, nihil certi habebam dicere, nunc poſt Niebuhrium omnia niſi fallor, expedita. Ac primum Bochartus laudandus, qui ad verſum 7 rem male gerens, nec quae probare poſſis adferens, hic vidit, *Chavilam* noſtram regionem eſſe Arabiae felicis *Chaulan*, cujus ſitum, quantum potuit, ex Nubienſi deſcripſit, reliquorum enim, quae ex Graecis addit, non ſine alliterationibus et conjecturis, gratiam ei forte feceris. Verum duplex in Arabia Felice Chavila, cui duplex et Chaulana quaerenda! hanc invenire labor erat.

Viam jam monſtraverat d'Anvillius in tabula Aſiae, ſub gradu longitudinis 60, latitudinis 19, *Chaulan* (خولان) quae eſt Chaulana a Nubienſi deſcripta, habens, aliamque *Haulan* (حولان) non procul a Sanaa, ſub gradu longitudi-

tudinis 64, latitudinis 16½. Hanc quidem posteriorem in Niebuhrii tabula Jemenae, *Chaulân* (خولان) scriptam, sub gradu latitudinis 15 invenies. De utraque Chaulana retulit Niebuhrius in ipsa Arabia audita: de illa borealiore, et ex Nubiensi notiore, p. 270. descriptionis Arabiae, *sitam esse ad occidentem Saadae, nomen Chaulan in hunc usque diem retinere, oppida habere, Akabat-el muslim, Heidan,* (حيدان) *Eddahr, et Suk od Sjuma:* de altera, sub gradu latitudinis decimo quinto, p. 280. *paucis milliaribus Sanaa abesse, Imamo Sanaae non subesse, sed suum habere principem aut regulum, oppidaque aut vicos, Beit Rödsje, Tanaeim* (تنعيم) *sedem olim Judaeorum, Bait-el Kibsi, Beit-el-Naum, Seijan, Suradsje, Berres.* Haec sufficiant: utra autem harum regionum cognominum Joctanitarum fuerit, utra Cuschaeorum, non meum est dicere.

Huic quoque Chavilae accidit, quod Cuschaeae (*), ut Arabicus Paralipomenorum interpres pro ea Zavilam (زويلة) poneret. Manifestus hic quidem error, sed necdum scio unde ortus, et quid ita vertens Arabs spectarit.

* * *

ואת יובב *et Jobab.*

Nil melius habeo, eximia Bocharti et verisimillima conjectura, *Jobabitas* Ptolemaei esse, seu, ut errore librariorum Graecorum scriptum sit, *Jobaritas.* Β et Ρ ita similes, ut inferiore circulo expallido pro Β facile Ρ scribere librarius possit: idque, quod addendum puto Bochartiana confirmaturus, huic ipsi nomini in versione Graeca, ut

(*) Tom. I. p. 190. 191.

ut in codice Alexandrino (*) legitur, 1 Paral. I, 23. accidit, uno adhuc aut duplici peccato librarii accedente. Cum enim *Jobab*, Graecis literis scribendum fuisset, Ἰωβαβ, ejus loco reperimus Ωραμ, 1) Jota omisso 2) B primo in P mutato, et 3) B secundo in M, pro more, sive Arabum B saepe ut M appellantium, sive codicis (**) Alexandrini. Literis majusculis exprimo, ut oculis judicare lector possit, ΩPAM pro IΩBAM.

Jam et distinctius et ad intelligendum facilius, de situ. Jobaritas, seu, ut corrigendum reor, Jababitas, in Ptolemaei tabula sexta Asiae invenies sub gradu longitudinis 84 et 85, latitudinis 18, illisque dari *Nagaram* videbis *metropolin*. Ergo Nagran, urbs celeberrima, regni Homeritarum saepe sedes, nunc provinciae Hamdan primaria, quam in d'Anvillianis tabulis sub longitudine 62 graduum, latitudine 19 reperies, metropolis olim Jobabitarum fuit, hique in regione nunc Hamdan dicta, habitarunt. Abulfeda num. 23 Arabiae: (***) *Nagran est regionis Hamdan* (همدان). Forte si illuc penetrare possent Europaei, plura et altius pressa nominis antiqui vestigia invenirent, nunc sufficit, antiquam, magnam et celebrem Jobabitis adsignare urbem.

* * *

V. 30.

ויהי מושבם ממשא באכה ספרה הר הקדם

Et fuit habitatio eorum a Mesene ad Thehamam (littoralia Arabiae ad sinum Arabicum), *montana Orientalia*.

Manifestum videtur, duplicem indicari limitem, intra quem Joctane ortae tribus habitarint. Nec vero omnes

(*) Hic solus pericopam habet, reliqui hiant. (**) Vide pag. 178.
(***) In Gagnieriana editione p. 41. Hudsoniana p. 52.

nes illorum, ad quatuor plagas coeli, limites commemorantur, ſunt enim aliqui ex his naturales, ſinus Arabicus, mare Indicum, ſinusque Perſicus, qui ſua ſponte, tacente etiam ſcriptore, intelliguntur: ſed termini in ipſa peninſula, qui Joctanitas ab aliis Arabibus, (praeter Cuſchaeos, felicem cum illis Arabiam incolentes) et Aramaeis diſcriminabant. Verba Moſis, de quibus multum diſputatum, ſic intelligo: *a Meſene, ad Tigridis oſtia ſita, ubi nunc Baſſora, ducenda linea ad littoralia Arabiae juxta ſinum Arabicum, Thehama Arabibus dicta, in tabula d'Anvilliana ſub hoc nomina quaerenda: quae extra hanc lineam ſunt verſus Orientem, maxime montana illa Jemenae felicia, Joctanitae habitarunt.* Explicationem plane novam eſſe fateor, in quam ne audaci et temeraria conjectura videar incidiſſe, primo de adpellatione nominis *Meſcha* dicendum, deinde indicandum, quid in aliis diſpliceat explicationibus, denique et meae ſententiae reddendae rationes.

משא ſatis unanimiter codices habent, unde non variae eſſe lectionis puto, ſed libertatis orthographicae orientalium in matribus lectionis ponendis omittendisque, quod cum Jod poſt Mem מישא Jonathan ſcripſit, Arabsque Erpenii ميشا. Facit tamen haec ſcriptio, primo, ad confirmanda puncta maſorethica, ei enim concors punctator E ſub Mem poſuit, מֵשָׁא (*Meſcha*); deinde ad interpretationem nominis, quam, recentioribus ignotam, hi mihi et Syrus praeiverunt. Certe hi omnes, E et Jod poſt Mem habentes, non de Muza cogitarunt, quae recentioribus tantopere placuit, ſed de Meſene, מישן Orientalibus dicta: verum hoc deinceps.

Aliter nomen adpellabant, מַשָּׂא (*onus*) LXX. ἀπὸ Μασσηὲ vel Μασσῆ ſcribentes, cumque his et Samaritanum

interpretem facere reor: reposuit enim מסבל, quae est nominis מַשָּׂא etymologica versio, ut Orientales nomina etiam propria vertere multis supra exemplis didicimus. Solitum Samaritano, נשא Hebraicum סבל (*bajulavit, tulit*) reddere, idemque et משאת *ferculum*, Genes. XLIII, 34. מסבלה vertit. Concinunt quodammodo, Vulgata, *Messam* S duplicato, et codex Regiomontanus primus, teste Lilienthalio, משא per Sin scribentes.

Jam ad Bochartum, qui hunc versum capite tricesimo libri secundi interpretatus, prope omnium suffragia tulit. *Mescha* vel, ut Latinis Graecisque literis ob defectum alphabeti scribendum est, *Mesa* (משא) celeberrimum esse vult Arabiae Felicis ad sinum Arabicum emporium, *Muzam*, quibus literis Arabicis nomen scriptum fuerit, aut scribatur, plane non quaerens, sed solo qualicunque concentu nominum *Muza* et *Mesa* contentus. *Sefar* (סְפָר), oppositum Joctaniticae regionis terminum, *Sapharam* esse vult Graecorum et Latinorum, urbem mediterraneam, quam, cum plures se offerrent in Arabia Sapharae, (*) satis tamen verisimiliter descriptionique Plinii et Arriani consentanee, pro *Dafara* vel *Tafara* (ظفار) habet, metropoli terrae Jachseb, vultque olim nomen per Tsade صفار (צפאר) scriptum fuisse, unde permutatione literarum צ et ס, Mosaicum ספר exstiterit.

Haec cum se mire adprobarint, non Harduino quidem, sed tamen plerisque recentiorum, rationes indicandae,

(*) Vide Niebuhrii Arabiam pag. 290. Possem et alias addere, sed quae nihil ad Graecorum Latinorumque Safaram, situ diversam, ut, سفر, *Sophar*, statio Meccam inter et Sanaam, proxima post Karn el Manazil; (Assemani Bibl. Or. T. III. P. II. p. 563. Nubiensis p. 48. latinae versionis, 55 textus Arabici) etc. etc.

dae, quae, non ſvadent, ſed cogunt, a Bochartiana ſententia ſeceſſionem facere.

1) Muzae nomen, utut M et ſibilantem literam habens, ita tamen a Meſcha diſſonare videtur, ut ſine alio argumento, ſine teſte aliquo antiquo et fide digno, pro uno eodemque nomine vix haberi poſſit. Monuit jam Harduinus ad Plinium l. VI. §. 26. in nota 24 paginae 327 ſubjecta: *in hunc locum error Bocharti tergeminus eſt; primum, quod ex משא facit Muza, perinde quaſi שׁ mutari poſſit in Z latinum.* Recte ille quidem, Latino enim et Graeco Z, Zain (ז) Hebraicum reſpondet, ſuntque in ſibilantium ſcriptione, quae a nobis negligi ſolet, perquam adcurati ac religioſi Orientales. Exire tamen hoc telum, praeviſum forte, ſtuduerat Bochartus, monens a Ptolemaeo nomen per Σ ſcribi, Μοῦσα, quamquam haec ſcriptio cur conſvetae praeferenda ſit, non video. Ne vocales quidem concinunt, *Muzae* enim nomen conſtanter U in prima ſyllaba habet: maſorethica biblia, quae hic recte videri puncta poſuiſſe ſupra monui, E. Mirum certe, ſi de Muza, vel, ut et hoc Bocharto dem, Muſa loqueretur ſcriptor ſacer, nomen ſine ulla lectionis varietate defective ſcriptum eſſe, nullibi nec in Judaicis nec in Samaritanis codicibus, cum matre lectionis מושא, qua tamen opus eſſe videbatur, cum, ad ſonum peregrini nominis agnoſcendum, tum ad diſtinguendum ab aliis nominibus per משא ſcriptis, ipſaque adeo Meſene.

2) Hoc vero dubium, quod jam olim me a Bocharti ſententia revocabat, per ſe non leve, multo nunc factum eſt gravius, postquam Niebuhrius, ipſe quidem Muzae et Bochartianae explicationi favens, nos edocuit, quibus

quibus literis nomen Arabice ſcribatur. Nempe paulo ſupra celebrem portum Moccha, (*) (مخا), vicum nunc et arcem مُوزَع reperit, (**) qui per ſitum nominisque concentum, موزع enim vix aliter Graecis literis exprimere datur, quam Μουζα, celebre illud emporium eſſe videtur, a mari quidem aliquot milliaribus remotum, ſed Mocchano portu, cui et nomen dabat, [ipſa enim urbs Moccha recentior (***)] uſum. Haec ſi vera ſcriptio nominis Arabici, Meſcha Moſis eſſe omnino nequit: משא enim et מוזע praeter unicam literam M nihil commune habent.

3) Haec orthographica dubia concoqueret forte, ſi quis Hebraicae linguae ſtudium, et vero ſolers ac grammaticum, non cum Arabicarum literarum ſtudio grammatico conjunxit, hujus linguae ad illam relationem ignorans, modo tolerabilis ex his alliterationibus conjecturisque exſiſteret ſententia, geographiae et ſitui loci mediocriter apta. Sed inſpice bonam aliquam Arabiae tabulam, d'Anvillianam, aut Jemenae Niebuhrianam, inque ea pro Muza, in plerisque non invenienda, vicinam quaere Moccham, olim Muzae portum: ab eane Moſen terminos Joctanitarum incipere eſt veriſimile, et vero duos modo extremos oppoſitosque limites deſcribentem, cum portus ſit, non ad confinia alius regionis, nec ad angulum extremum peninſulae, Babelmandeb, ſed in medio Jemenae litore, ab utraque parte Jemenam habens?

4) Quod

(*) latitud. 13, 19' ad ſinum Arabicum.

(**) p. 223. deſcriptionis Arabiae.

(***) Ante 400 demum annos conditam tradit Niebuhr, p. 223 Arabiae.

4) Quod Sopharam inventurus, ظفار (טפאר) in صفار (צפאר), atque hoc in ספר mutat, quamvis alliterationum minime amans, ferrem, quia primo ض et ظ, deinde ص et س, ſaepe permutantur, Graecique et Latini nomen per S ſcribunt, modo ſententia his artibus eliceretur, quae tabulas geographicas inſpicienti probari poſſet. Sed has inſpice, d'Anvillianam aut Niebuhrianam, in quarum illa Dafaram, ſeu Dafarae potius ruinas, ſub gradu longitudinis 64, latit. 14¼, in hac ſub long. 41, 45′ latit. 14, 10′ invenies: haec urbs in media ſita Felice Arabia, poteſtne Joctanitarum Moſi eſſe limitanea? Meditullium quodammodo eſt ejus, de qua quaerimus, terrae, ipſaque Sanaa longe ultra illam.

Sed quam ſit inconcinna, Moſique contradicens Bocharti ſententia, magis etiam ipſis oculis judicabitur, ſi utramque, Mocham et Dafaram, uno intuitu complectaris. Hinc poſſunt fines eſſe, intra quos ſupra dictae tribus habitarunt? Quid quaeſo ipſe hic apud animum ſuum cogitabat, tam ſibi manifeſte contradicens Bochartus? immemorne erat, ſe longe ultra hos limites multis tribubus ſedes adſignaſſe? Atque ut de his taceam, de quarum ſitu dubitari poteſt, ut de Jobabitis, Sanaa certe, Hadramaut, Chaulan, Mons et litus Lunae, poſſuntne homini, cui ſani ſunt oculi, Moccham inter et Jachſebae Dafaram ſita videri? Caeterum antequam hanc Dafaram miſſam faciam, lubet, Nubienſis locum de ea agentem, quem multi fruſtra quaeſierint, diſtinctius citare, quam factum eſt a Bocharto. Exſtat in Climate II. Sect. VI. p. 50. et 51. verſionis latinae, 58 et 59. textus Arabici: *regiones et urbes celebriores ſextae partis hujus climatis*

ſunt - - - - وعلو يحصب وظفار ومارب والسحر وسفل يحصب *et ſuperior pars Jachſibae, et Dafar, et Mariba, et Seger, et declivia* (litoralia) *Jachſibae:* pauloque poſt, وظفار هي قصبة يحصب وكانت ظفار فيما سلف من البلاد الاكبار المشهورة *Dafara eſt metropolis Jachſibae, fuitque olim ex urbibus magnis et celebribus.* Adde Niebuhrii deſcriptionem Arabiae, p. 236, audiesque, vix ruinas ſupereſſe.

5) Hoc, quod diximus, ingens vitium in Daphara, meditullio Joctanitidis, pro termino habita, commiſſum, fugere Niebuhrium non potuit: Muzae ergo cum faveret, ac miraretur, cur illam refugerem, (quod me facere ex verſione Germanica bibliorum, notisque noverat) opem Bocharto laturus, (*) pro Dafara mediterranea multo nobiliorem ſubſtituit Dafaram ad mare Indicum, ipſam quoque his ipſis literis ظفار ſcriptam, portum et emporium regionis Seger, quam in d'Anvillianis tabulis ſub 17mo fere gradu latitudinis invenies. Haec quidem Bochartianis multo meliora ac probabiliora, nec tamen vera exiſtimo. Ut enim illa taceam, quae num. 1. 2. et 3. Muzae oppoſui, vix puto, Moſen ſolos Joctanitidis verſus mare terminos definire voluiſſe, neglectis illis, quos unice ſcire ſuis lectoribus opus erat, verſus reliquam Arabiam. Periplum Joctanitidis ſi quis homo nauticus, mari adſvetus, notare voluiſſet, aut in India degens ſuos docere ultramarinorum Joctanitarum ſedes, ita forte ſcripſiſſet: at Moſes, populo maris ignaro, in Arabiae deſertis, hiſtoriam ſcribens, ſi ita limites Joctanitidis definiret, idem aut pejus faceret, ac ſi quis in Germania geographus Hiſpaniae fines a duobus por-

(*) Deſcriptio Arabiae p. 290.

portibus describens, *Gadibus Tarraconem usque extendi* diceret *Hispaniam*, reliquos terminos, ipsosque montes Pyrenaeos omittens.

Ac ne periplo quidem Joctanitidis, finibusque ad mare describendis, duo portus, Muza et Dafara sufficere videntur. Primo enim nullam caussam video, cur Joctanitis non ultra Muzam versus septentrionem juxta sinum Arabicum exporrecta fuisse censenda sit. Sanaa sine dubio Joctanitica, quidni ergo et subjecta montibus ora maritima? Bochartus, quem nec probo nec refello, si recte Ophiram in Gasandis vel Cassanitis invenit, magis etiam versus septentrionem exporrigetur Joctanitis. Deinde nec Dafara ultimus ad mare Indicum Joctanitarum portus, si recte de Hadoram disseruit Bochartus, cujus sententiam p. 163. retuli: de Dicla autem si verum conjeci, (p. 176) totus sinus Persicus ad periplum Joctanitidis referendus. Habitabant certe ad eum, habitantque Arabes, nec Midianitae, Ismaelitae, aut alii factitii, ut omnino Joctanitae esse videantur. Sed haec dubitantius scribo.

Ad pudendum errorem venio, ab interprete Arabe Polyglottorum, et Abrahamo Zachut admissum, jamque a Bocharto p. 146. et 318. castigatum. Mescham volunt Meccam esse, Sefaramque Medinam. Jam opposuit Bochartus, loca circa Meccam et Medinam non Joctanitas tenuisse, sed Cuschaeos, seu, quod equidem verius existimo, Saracenos Ismaele ortos. Quis quaeso Sanaae, Chaulanae, Hadramautae, Montis Litorisque Lunae incolis, sedes Meccam inter et Medinam adsignet? Nec unquam Mecca ac Medina his nominibus vocatae sunt, sed Medinae, ut monuit Bochartus, Jathrippae olim nomen

 fuit,

fuit, Meccae aut Beccae, (utroque enim modo Arabibus adpellabatur, ipsis teſtibus Arabibus) nullum aliud, quantum ex geographia novimus, nomen fuit. Jam in Ptolemaei tabulis occurrit (*) eodem fere quo Mecca ſitu, Lathrippae, i. e., ut ſupra monuimus, Jathrippae ab Auſtro, *Macoraba*, quod nomen quid aliud eſt quam, מַכָּה רַבָּה *Mecca metropolis* (**). Error inde ortus, quod urbes ſuo tempore Arabiae nobiliſſimas in antiquiſſimo ſcriptore, Moſe, legi vellent; non cogitantes rerum mortalium viciſſitudines, multasque celeberrimas noſtra aetate urbes recentes eſſe, aut certe ſerius emerſiſſe, nobiliſſimas autem antiqui temporis aut deletas, aut ad mediocritatem redactas.

Succedat Syri elegantior verſio, partem veri habere viſa, errore admixto, ſed qui ipſe geographiae antiquae, commerciorumque hiſtoriae ſtudioſis non injucundus erit. Sic ille, ܘܗܘܐ ܡܘܬܒܗܘܢ ܡܢ ܡܢܫܐ ܠܡܥܠܢܐ ܕܣܦܪܘܢ ܛܘܪܐ ܡܕܢܚܐ i. e. *et fuit habitatio eorum inde a Manſche, quae eſt ad ingreſſum Sippharenorum, mons Orientis.* Vix dubito, quin *Manſche* hic ſit Meſene, et Jod pro Nun reſcribendum, ܡܝܫܐ: innumeris enim locis Jod et Nun, literas ſimillimas, Syrorum permutant librarii. Sic Syrus, ut ſupra Jonathanem et Maurum facere vidimus, nomen מישא plene ſcripſerit. Nec ſententiae ſtudio ita emendare videri velim, poſſet enim et ܡܝܫܢܐ Meſenae, ſeu potius partis Meſenae nomen eſſe. Haud procul Baſſora, teſte Abulfeda, fluvius *Vadineſa*, (وادي النسا) i. e. *fluvius mulierum* Arabibus dictus, quod mulieres illuc ventitare ſoleant ad colligenda tubera. Verba Abulfedae non deſcribo, dedit

(*) latit. 23.

(**) Vide pag. 6. 7.

dedit enim et illustravit, plura de fluvio Vadinesa addens, Assemanus in Bibliotheca Orient. T. III. P. II. p. 728. 729. Hoc quidem nomen Syriace, ܡܝܐ ܕܢܫܐ (*aqua mulierum*) scribi potuerit, perque compendium, in propriis maxime solitum, ܡܝܢܫܐ. Sed hoc utcunque sit, a Mesa, i. e. Mesene, ubi ostia Tigridis sunt, habitationes Joctanitarum incipere volebat Syrus: ipsamque Mesenen introitum dici urbis Sippharae, alibi quoque in sacris literis memoratae (*), his ipsis literis, quas Syrus habet, ספרוים, scripto nomine. Nempe Sipphara ad Euphratem sita, ubi in duos scinditur alveos, quorum alter per Euphratem Babylonium, alter per Tigrim, cui juxta Seleuciam miscetur, sinum Persicum adit. Ingressus ergo Sippharae ostia erunt Euphratis Tigridisque, videturque Syrus ut notum sumere, Sippharam emporium fuisse nobile, Indicas merces per sinum Persicum accipiens, cujus portus ac tanquam porta, Mesene. Nec veri dissimile per locorum situm, Sippharenos olim commercia Indica exercuisse, unde forte factum, ut cognominem urbem India *Sipparam* (**) in sinu Gangitico haberet, solent enim mercatores emporiis quae ultra mare condunt nomina patria indere, habetque adeo Ptolemaeus (***) in India, *Chaberi fluminis ostia*, nomen Chaborae, fluvii Mesopotamiae referre visa. Sed haec dubitanter scribo, unde necdum audeo, loco difficili 2 Paral. III, 6. quem me servare Tomo ultimo supra professus sum, conjectura critica consulere, והזהב זהב ספרוים, *aurum autem erat aurum Sippharenum*, i. e. *ex India a Sippharenis allatum.*

Caete-

(*) 2 Reg. XVII, 24. 31. XVIII, 34. XIX, 13. Jes. XXXVI, 19.

(**) Vide Ptolemaeum p. 169.

(***) ibidem.

Caeterum video et alios de ספר *Sipphara* cum Syro conſentire, ut Jonathanem, et Hieroſolymitanum, ספרואי habentes, ac forte in ſententiae ſumma interpretem Samaritanum, ממסבל במעול ספרה *ab Onere* (ſic, ut dixi, משא vertit) *in ingreſſu Sippharae*.

Elegantem dixi, ac forte aliquid luminis hiſtorici ſervantem, Syri verſionem, vera tamen eſſe per grammaticam vix poteſt. בואכה ex uſu Hebraeorum non oſtia fluminis ſignificat per quae emporium aditur, ſed adverſum limitem: Meſenen autem inter et Sippharam Joctaniticas tribus ſupra memoratas non habitaſſe, certum.

Jam tandem meae explicationis ratio reddenda. Ergo *Meſcha* (משא) vel, ut Graecis latinisque literis ſcribendum, *Meſa*, Meſene mihi eſt antiquorum, ad oſtia Tigridis et Euphratis, nec Graeco ita, ſed antiquo et Orientali nomine dicta: Syris tota ad Euphratem Tigrimque regio infra Seleuciam usque ad ſinum Perſicum, ܡܝܫܢ *Maiſchon*, aut nomine pleniore, ܦܪܬ ܡܝܫܢ *Euphrates Maiſchonae* (*), quin et Baſſoram, urbem multo recentiorem, ſed illo in tractu ſitam, eodem nomine vocant. Idem nomen, פרת דמישון ſcriptum, Thalmudicos quoque habere, atque pro רחבות ponere, pagina 242. tomi primi dictum. Arabes مَيسَان (*Maiſan*) et مُشَان (*Muſchan*) habent, teſte Abulfeda in Iracae deſcripttione: ومن بلاد البصره ميسان قال في اللباب بفتح الميم وسكون المثناة من تحت وفتح السين المهمله والف ونون قال وهي بليدة في اسفل ارض البصرة قال في الكتاب الاطوال ان موضوعها حيث الطول عج والعرض لب *ex oppidis circa Baſſoram eſt*,

(*) Aſſemani biblioth. Orient. T. III. P. II. p. 429. 430.

eſt, *Maiſan*. *In Lobabo orthographia ſic definitur: M habet Fata, Jod vocalem nullam, Sin purum habet Fata, ſequitur Eliph et Nun. In Longitudinum libro dicitur, eſſe oppidulum in infimo tractu regionis Baſſorae. In Longitudinum libro gradus ei longitudinis 73, latitudinis 32 adſignatur.* Pergit:

فمنها المُشان قال في اللباب بضم الميم والشين المعجمة والف ونون قال
وهي قرية كبيرة شبيهة البلد فوق البصرة كثيرة النخل موصوفة بكثرة الوخم

Hujus etiam regionis eſt Muſchan, cujus orthographia ſic in Lobab habetur: Mim per Damma, poſteaque Schin, Eliph et Nun. Addit, eſſe vicum majorem, oppidi ſimilem ſupra Baſſoram, palmis divitem; ſed qui ut inſalubris deſcribatur. Sumſi verba ex codice Pariſienſi, necdum enim edita Iraca Abulfedae, ergo pagina tenus citare nequeo.

Nomen Graecum eſſe negavi, idque ad rei ſummam pertinet, Graeca enim quis in Moſis Pentateucho nomina tulerit? Fateor, Graecos Μεσήνην derivare a μέσῳ ποταμοῦ, *medio fluminis:* ſed id faciunt pro morbo gentis, omnia barbara ad Graecam etymologiam revocantis, ipſam Israelitarum metropolim ירושלים ad Ἱεροσόλυμα. Certe Orientales ſuo more, ut ſuum, nomen ſcribunt, ipſeque adeo Joſephus, non hic quidem, ſed alio loco ad verſum 23 Meſenes mentionem faciens, per H ſcripſit, qua una litera Graecula etymologia perit: Μησᾶς κτίζει Μησηναίους. Antiqu. I, 6, 4.

Meſenes ſitus explicationem commendat, in ipſo angulo extremo Arabiae poſitae, cui contraria aliqua ab Auſtro Sephara quaerenda, qua inventa nihil amplius deſideraveris. Si quid obverti meae explicationi poteſt, hoc fere erit: Arabiam Felicem non ad Tigrim usque pertinere, ſed in litore ſinus Perſici, aut ante, deſinere. Ve-

 rum

rum alii fines sunt Joctanitarum, qui sine dubio Bassoram usque habitarunt, alii Arabiae Felicis, quae desinit, ubi deserta incipiunt, alii denique, multoque arctiores Jemenae. De illis, non de his jam quaerimus. Certe nec Ismaelitae, nec Midianitae, nec Moabitae &c. illis in desertis vagantur, aut pauca culta ad sinum Persicum habitant, quae a Bassora incipiunt, sed Joctanitae, et quidem recentiore tempore, post diluvium Maribae, Sabaeorum colonia, quorum metropolis Hirta fuit. Ante illos, qui ibi habitarint, Diclenses forte, non habeo dicere.

Jam a Mesene linea ducenda ספרה, ad *Sefaram*. Hanc *Thehamam* esse censeo, i. e. litoralia et declivia Arabiae ad mare Erythraeum, quae hoc Thehamae notata nomine in tabula d'Anvilliana inde a gradu latitudinis 15 usque ad 20 invenies, nec opus habeo, ex Arabum geographis describere, ex quibus d'Anvillius sua plerumque sumsit, et majore, quam illis inerat, mathematum et geographiae ex recentiorum itinerariis haustae peritia digessit. Nempe iterum puto, nomen proprium verti, aliaque lingua alio synonymo exprimi. *Thehama*, Arabicis literis, تهامة, *litoralia*, sonat, a تهم *regio propinqua mari*, idque ab Hebraico תהום, *mare*, Hebraicumque nomen ab هوم *nutare*, *undare*, *fluctuare*. Id ita verum, ut vel Jemenae ipsi Thehamam aliquam, id est, litoralia montibus subjecta, adsignari, ex Niebuhrio discas. Jam Aramaeis litus, Chaldaeis quidem ספר, quo de nomine vide Buxtorfii Lexicon p. 1537. Syris ܣܦܪ, idque ut in exemplo ponam, has ipsas Joctanitarum (Indorum, ut eos vocat), et Cuschaeorum regiones describens Joannes Asiae episcopus, aliquam earum partem sitam esse ait ܒܣܦܪܐ ܢܦܩܐ ܕܝܡܐ, *in Sefore*

fore (litoribus) *maris magni* (*). Haec Thehama ita sita e regione Mesenes vel Bassorae, ut hinc illuc optime linea duci possit, totam Arabiam in duas partes dividens, ad cujus Orientem consederunt Joctanitae. Nec mirum ejusmodi nomina verti, aliterque aliis lingui reddi: ut ea taceam, quae aliquoties de hoc Orientalium more dixi, in mentem veniat lecturis, nostri. Eandem terram litoralem dicimus, Germani, *die Niederlande*, Galli, *le Païs bas*, Angli, *the Low Countries.*

Ad quam autem partem Thehamae linea ducenda fuerit, ad extremam versus *Hegaz*, an ad intimam *Jemenae* contiguam, Thehamamne complectatur Moses, an excludat, non dictu facile, antequam aliquot Joctanitarum tribus, adhuc ignotas, aliquis me felicior expedierit.

Ultima verba הר הקדם, (*mons Orientis*) non ad *Sefaram* refero, ut multi fecerunt, (is etiam, qui accentus adjecit textui Hebraico) sed ad, *fuit habitatio eorum*. Nempe praecipua pars Arabiae, in qua Joctanitae habitarunt, asperi illi sunt, sed fertiles Arabiae felicis montes, quos Niebuhrius descripsit, angustis subjectis litoralibus, et vastis desertis, quae partim plane non coluntur, partim non tam coluntur, quam a Nomadibus pererrantur. Vide Niebuhrii tabulam Jemenae, montanamque regionem agnosces, proprio quoque nomine الجبال *montem*, dictam. Nec obstat, quod valles, litoralia, montibusque subjecta deserta habet: Palaestina, his non carens, tamen eidem, quem jam explicamus, Mosi, MONS, dicitur, Deuteron. III, 25. ההר הטוב הזה. Huic Monti occidentali, seu, ut Moses eum

(*) Chrestomathia Syr. p. 17.

rum alii fines ſunt Joctanitarum, qui ſine dubio Baſſoram usque habitarunt, alii Arabiae Felicis, quae deſinit, ubi deſerta incipiunt, alii denique, multoque arctiores Jemenae. De illis, non de his jam quaerimus. Certe nec Iſmaelitae, nec Midianitae, nec Moabitae &c. illis in deſertis vagantur, aut pauca culta ad ſinum Perſicum habitant, quae a Baſſora incipiunt, ſed Joctanitae, et quidem recentiore tempore, poſt diluvium Maribae, Sabaeorum colonia, quorum metropolis Hirta fuit. Ante illos, qui ibi habitarint, Diclenſes forte, non habeo dicere.

Jam a Meſene linea ducenda, ספרה, ad *Sefaram*. Hanc *Thehamam* eſſe cenſeo, i. e. litoralia et declivia Arabiae ad mare Erythraeum, quae hoc Thehamae notata nomine in tabula d'Anvilliana inde a gradu latitudinis 15 usque ad 20 invenies, nec opus habeo, ex Arabum geographis deſcribere, ex quibus d'Anvillius ſua plerumque ſumſit, et majore, quam illis inerat, mathematum et geographiae ex recentiorum itinerariis hauſtae peritia digeſſit. Nempe iterum puto, nomen proprium verti, aliaque lingua alio ſynonymo exprimi. *Thehama*, Arabicis literis, تهامة, *litoralia*, ſonat, a تهم *regio propinqua mari*, idque ab Hebraico תהום, *mare*, Hebraicumque nomen ab هوم *nutare*, *undare*, *fluctuare*. Id ita verum, ut vel Jemenae ipſi Thehamam aliquam, id eſt, litoralia montibus ſubjecta, adſignari, ex Niebuhrio diſcas. Jam Aramaeis litus, Chaldaeis quidem ספר, quo de nomine vide Buxtorfii Lexicon p. 1537. Syris ܣܦܪ, idque ut in exemplo ponam, has ipſas Joctanitarum (Indorum, ut eos vocat), et Cuſchaeorum regiones deſcribens Joannes Aſiae epiſcopus, aliquam earum partem ſitam eſſe ait ܒܣܦܪ ܝܡܐ ܪܒܐ, *in Sefore*

fore (litoribus) *maris magni* (*). Haec Thehama ita ſita e regione Meſenes vel Baſſorae, ut hinc illuc optime linea duci poſſit, totam Arabiam in duas partes dividens, ad cujus Orientem conſederunt Joctanitae. Nec mirum ejusmodi nomina verti, aliterque aliis lingui reddi: ut ea taceam, quae aliquoties de hoc Orientalium more dixi, in mentem veniat lecturis, noſtri. Eandem terram litoralem dicimus, Germani, *die Niederlande*, Galli, *le Païs bas*, Angli, *the Low Countries.*

Ad quam autem partem Thehamae linea ducenda fuerit, ad extremam verſus *Hegaz*, an ad intimam *Jemenae* contiguam, Thehamamne complectatur Moſes, an excludat, non dictu facile, antequam aliquot Joctanitarum tribus, adhuc ignotas, aliquis me felicior expedierit.

Ultima verba הר הקדם, (*mons Orientis*) non ad *Sefaram* refero, ut multi fecerunt, (is etiam, qui accentus adjecit textui Hebraico) ſed ad, *fuit habitatio eorum*. Nempe praecipua pars Arabiae, in qua Joctanitae habitarunt, aſperi illi ſunt, ſed fertiles Arabiae felicis montes, quos Niebuhrius deſcripſit, anguſtis ſubjectis litoralibus, et vaſtis deſertis, quae partim plane non coluntur, partim non tam coluntur, quam a Nomadibus pererrantur. Vide Niebuhrii tabulam Jemenae, montanamque regionem agnoſces, proprio quoque nomine الجبل *montem*, dictam. Nec obſtat, quod valles, litoralia, montibusque ſubjecta deſerta habet: Palaeſtina, his non carens, tamen eidem, quem jam explicamus, Moſi, Mons, dicitur, Deuteron. III, 25. ההר הטוב הזה. Huic Monti occidentali, ſeu, ut Moſes eum

(*) Chreſtomathia Syr. p. 17.

etiam Deut. I, 7. 19. 20. vocat, Monti Amoraeorum, Israelitis promisso, Mons Orientis opponitur: nec est, quod interpretum aliqui calumnientur, australem esse, non orientalem. Oculos si habent, utrumque verum esse videbunt. Palaestina (mons occidentalis) in d'Anvillii tabulis sub gradu longitudinis 53 et 54, Jemenae montana ad montem usque Lunae sub 60-70.



Forster, Johann Reinhold

IOANNIS REINOLDI FORSTERI

EPISTOLÆ

AD

IOANNEM DAVIDEM MICHAELIS

HVIVS SPICILEGIVM GEOGRAPHIÆ HEBRÆORVM EXTERÆ

IAM

CONFIRMANTES IAM CASTIGANTES

GOETTINGÆ

SVMPTIBVS VIDVÆ ABR. VANDENHOECK

MDCCLXXII.



LECTORIBVS
S. D.
I. D. MICHAELIS

Literas Forſteri, viri doctiſſimi, cum acciperem, ſtatim intellexi, non mihi ſoli ſcriptas eſſe: nec enim, ut inter nos conſueverat, germanica lingua utebatur Forſterus, ſed latina, addideratque aliam epiſtolam germanice ſcriptam, in qua mihi benevole permitti arbitrium de latina videbatur. Ergo cum eam gratam futuram eruditis cenſerem, honeſtique et candidi animi

 eſſet

esset, ea non apud me premere, quae & contra meum dicta essent Spicilegium, interrogavi auctorem, permitteretne ac vellet eam evulgari? Annuit, epistolas quoque continuans: ejusque nomine cum bibliopola, cujus sumtibus Spicilegium meum geographiæ Hebræorum exteræ prodierat, egi, cumque inter Forsterum et bibliopolam convenisset, epistolas Forsterianas bibliopolæ tradidi, Lipsiæ (hic enim Copticis destituimur) typis describendas, unde nec errores typographicos, quorum non paucos irrepsisse video, præstare possum. Prodeunt nunc, jam alium in orbem, alio sub sole jacentem, majoribusque nostris incognitum, profecto Forstero. Legistis sine dubio in diariis hebdomadalibus, quintam orbis terrarum partem, Europa nostra non minorem, a Banksio ejusque comite detectam esse, illuc ante duo admodum menses jussu

Regis


Regis M. Britanniæ profectum eſſe Forſterum, quem Anglum dicebant eſſe. Hunc vero eum ipſum eſſe ſcitote Forſterum, ſeu, ut in patria vocari ſolebat, Fœrſterum, cujus literas jam in manu habetis: nec Anglum quidem, ſed Germanum, multiplici eruditionis genere, maxime autem hiſtoriæ naturalis cognitione ita apud Anglos clarum, ut hunc unum communibus pene votis deligerent, novique orbis auſtralis exploratorem deſignarent, Bankſio alterum iter deprecante.

Licebat mihi per auctorem, notas adſpergere atque etiam, ubi alia ſentiebam, contradicere: ſed credidi, modeſtius, atque eruditis gratius munus futurum, ſi nihil meorum adderem, ne ibi quoque, ubi aliquid mihi dubii ſupereſt. In etymologia ad illuſtrationem Geographiæ antiquæ transferenda, ſum paulo timidior, quod jam in ſpicilegio profeſſus

ſum: linguam autem Copticam, cujus ſum expers, maluiſſem a Forſtero diſcere, quam ei de Copticis originibus diſputanti obloqui.

Habeo alias quoque Forſteri epiſtolas, in quibus mihi ex ore Bankſii, familiaris ſui & amici, multa ſcitu digniſſima de novo orbe auſtrali retulit, antequam vel animo conſilium, illuc proficiſcendi concepiſſet, aut Bankſius deprecatus iter eſſet: has quoque, niſi interea prodeant pleniores Bankſiani itineris commentarii, publici juris faciam, modo gratum id fore lectoribus ſciam: his autem addere latinis nolui, quia ſunt lingua germanica ſcriptæ. Gœttingæ die 27. Sept. 1772.





VIRO DOCTISSIMO
IOANNI DAVIDI MICHAELIS
S. P. D.
IOANNES REINOLDVS FORSTER.


Nescio an memineris me litteras ad te olim dedisse ex Porussia, quum prope Gedanum morarer, circa voces quasdam textus Ebræi, quas ex Aegyptiorum antiqua lingua explicare annisus sum.

Nunc postquam Russiam integram intra Europæ limites contentam peragravi, & partem deserti trans Volgam, inter nomades Chalmyecos perlustravi, ex longinquo itinere redux, in Anglia vivo; & quum possum, optimos libros ex Germania nostra allatos, evolvo. Verum id molestum, nos sero nimis accipere libros e Germania. Id mihi sæpe & iterato contigit, sero enim & non ante hosce duos menses, Tuum doctissimum *Spicile-*

ſum: linguam autem Copticam, cujus ſum expers, maluiſſem a Forſtero diſcere, quam ei de Copticis originibus diſputanti obloqui.

Habeo alias quoque Forſteri epiſtolas, in quibus mihi ex ore Bankſii, familiaris ſui & amici, multa ſcitu digniſſima de novo orbe auſtrali retulit, antequam vel animo conſilium, illuc proficiſcendi concepiſſet, aut Bankſius deprecatus iter eſſet: has quoque, niſi interea prodeant pleniores Bankſiani itineris commentarii, publici juris faciam, modo gratum id fore lectoribus ſciam: his autem addere latinis nolui, quia ſunt lingua germanica ſcriptæ. Gœttingæ die 27. Sept. 1772.





VIRO DOCTISSIMO
IOANNI DAVIDI MICHAELIS
S. P. D.
IOANNES REINOLDVS FORSTER.

Nescio an memineris me litteras ad te olim dedisse ex Porussia, quum prope Gedanum morarer, circa voces quasdam textus Ebræi, quas ex Aegyptiorum antiqua lingua explicare annisus sum.

Nunc postquam Russiam integram intra Europæ limites contentam peragravi, & partem deserti trans Volgam, inter nomades Chalmyecos perlustravi, ex longinquo itinere redux, in Anglia vivo; & quum possum, optimos libros ex Germania nostra allatos, evolvo. Verum id molestum, nos sero nimis accipere libros e Germania. Id mihi sæpe & iterato contigit, sero enim & non ante hosce duos menses, Tuum doctissimum *Spicile-*

gium Geographiæ Hebræorum exteræ post Bochartum nactus sum. In evolvendo eo, quantum gaudium perceperim, vix verbis tibi exponere queo, hæc enim desultoria peregrinatio, nimium placuit mihi.

Inter legendum pauca, ex more meo adnotavi, non quod crederem ea Tibi usui esse posse, verum nonnulla credebam adhuc in maiori forte luce versari posse, quæ Tu pro more Tuo satis lucide explicuisti; aliis, maxime Aegyptiis vocabulis, ipse ex Aegyptia lingua lucem affundere posse, mihi visus sum: aliis denique novis argumentis robur me addere posse confidebam: quædam a Te adhuc dum intacta occupavi; & si hæc æquo animo accipere volueris, cuncta in sinum effundam Tuum, ut ea in Tuos sicut lubuerit convertas usus. Id vero unum iterum iterumque a Te efflagito, ut me hæc scripsisse credas, non uti castigationes in opus Tuum, multa variaque doctrina plenum, eo enim negotio me prorsus imparem scio: verum ut testimonium potius grati animi, quo me Tibi devinctum publice profiteor, quod tantum mihi & universo orbi erudito lumen circa rem Geographicam Veterum Ebræorum accendere volueris & ut simul experirer, an ea, in quibus de Te dissentio, Tibi placeant vel displiceant: id certe de humanitate Tua expecto, Te ab omni offensione alienum habiturum animum; quum non offendere, sed officiis Te prosequi pro tenui modulo meo studeam. —

1. Video

I. Video ex præfatione pag. XIII. *amicos Tibi ſuaſiſſe ut exponeres, unde terrarum tam diſſitarum notitiam habere Moſes potuerit: doctiorem enim quam pro temporis ratione ſperari poſſit, hoc eum in capite eſſe.* Video quoque Te multa hanc ad rem admodum pertinentia expoſuiſſe. Verum liceat mihi quædam addere. Id credo me aliquando, ſi otium Deus fecerit, luce meridiana clarius conficere poſſe;

Regna Deorum et Semideorum Chronologiæ Aegyptiæ eſſe proleptica. Sequuntur in Manethone & Chronico Vetere apud Syncellum Regna Νεκυων, Aſtrorum, Μεσρααιων vel uti forte rectius legendum ⲙⲉⲍ - ⲥⲓⲟⲩ - ⲣⲏ (*Regnum circuli ſtellarum*) i. e. Zodiaci, qui exinde quoque notus erat nomine ⲙⲁⲍ - ⲥⲓⲟⲩ - ⲡⲱⲣϯ (*Syſtema ſtellarum ortivarum*). מזרות Iob. 38, 32. unde recte Svidas: *Μαζȣρωθ, τα συςηματα των αςηρων α εν συνηθεια ζωδια καλȣνται.* Id eſt hoc tempore Aegyptus erat quidem creata, at nondum habitata, nil enim niſi ſtellæ & lumina mundi eam fulgore ſuo replebant, & hæc ipſa tempora erant comprehenſa XV. Generationibus ex Cyclo cynico & quidem ſpatio annorum 443. Annus quilibet ex Cyclo cynico, eſt quatuor annorum ſolarium unde ſi 4 duxeris in 443 habebis annos 1772 ſolares, a creatione primi hominis ad id tempus, quo primum Menes in Aegyptum cum familia ſua commigravit: Annis 116 poſt diluvium: & ſi recte tempora cum hiſtoria

 ſacra



ſacra comparaveris utique videntur XV fuiſſe generationes ab Adamo ad Pelegum qui videtur vixiſſe circa 1772 a mundo condito, quo ſcilicet tempore & Menes in Aegyptum primam coloniam deduxit. A Mene ad Apappi mortem, in laterculo Eratoſthenis, ſunt anni 674; hi additi ad 1772 faciunt annos 2446; ſi addideris unum annum Achetchi ſucceſſoris Apappi habebis annos 2447 completos & initium anni 2448 a mundo condito; quo ipſo anno ex Chronologia Hebræorum Moſes Populum ſuum eduxit ex Aegypto. Iam obſerves velim; Moſen a filia regis ſuſceptum & pro ſuo educatum & in aula verſatum fuiſſe, usque ad annum ætatis ſuæ 40; regnante tum rege, qui Iſraëlitas opprimebat. Occiſo Aegyptio Moſes ſibi timens, a rege profugus factus eſt: & 40 annis in deſerto moratus eſt. Eis elapſis, Sacer codex nos docet, Deum Moſen edocuiſſe, eos jam obiiſſe qui mortem ipſius expetebant: id vero planiſſime docet hunc regem ultra 80 annos regnaſſe. Ubinam vero, quæſo in hiſtoria Aegypti reperire poteris regem adeo longævum, niſi in hoc uno Apapo Eratoſthenis ſubſtiteris, qui centum regnavit annis. Moſes ad munus ſuum a Deo miſſus, miracula coram ſucceſſore regis longævi, multa patravit, & anno uno peracto, uti creditur, ex Aegypto eduxit populares ſuos. En habes regem, unico tantum anno regnantem, & dein mari merſum; & is quoque in eodem laterculo adeſt. *Achetchus* enim uno tantum anno regnum tenuit. Apappus vocatur μεγιςος, *Gigas* ab

Era-

Eratofthene, *) & *Sesostris* erat 5 cubitos 3 palmos & 2 digitos longus teste Diod. & Africano: vix igitur dubito huncce Sesostrin fuisse Apappum. Sunt & aliæ multæ rationes, quæ hæc suadent, verum nimis operosum foret eas heic loci exponere, ubi veluti in transcursu tantum monstrare sat habeo, Mosen sub Sesostre militasse & cum eo partem Africæ & Asiæ in exercitu Sesostris perlustrasse, ideoque ipsi facile fuisse, nobis eas gentium origines, tanta accuratione tradere, ut pote qui in has res summa cura inquisiverit. Quid nunc! Nonne hæc Tibi Tuisque amicis satisfacient? num *adhuc Moses doctior videbitur, quam pro temporis ratione sperari possit.* Ego potius miror, divinam providentiam, quæ ut incorruptas origines gentium servaret, easque nos curatius doceret, Mosen in ea tempora collocavit, in quibus optime origines easdem investigare potuit, nimirum paucis post dispersionem centuriis, quum sub Duce bellicoso, & in exercitu victrice, Asiæ & Africæ regiones perlustraret. Sed majus robur opinioni meæ addunt multa alia. Dic sodes! qui factum est, ut Moses non ante 40 ætatis annum prodierit inter populares, & cur non ante hanc ætatem, vindex factus oppressionis, vel quendam duriorem Aegyptium exactorem obtruncaverit? — Dein velim quendam satis doctum in Sacra Scriptura, mihi explicare Exodi 1. v. 10. rationes, cur non ante regem illum lon-

*) vid. Iablonski in Catal. Eratost. ap. Alph. des Vignoles. T. 2.



gævum Aegyptii timuerint, ne Iſraëlitæ ad inimicos eorum tranſirent. Scio multa in hanc rem diſputata eſſe. Verum credo pleroſque nil agere. At ſi dixeris, Moſen non potuiſſe populares inviſere ſuos, quum in exercitu verſaretur, in variis expeditionibus per Aethiopiam, quod Ioſephus vult & Aſiam cum Seſoſtre; rationes habebis prorſus validas, cur populares ſuos tam diu neglexerit: dein ſi id obſervaveris, Seſoſtrem cuncta ad expeditionem quam meditabatur longinquam domi præparaſſe, & ideo labores ingentes injunxiſſe Iſraelitis, eorumque pueros interfectos optaſſe, quo minus gens numeroſa, & a Sacris Aegyptiorum aliena, poſſit ad inimicos tranſire, vel res domi novare, dum ipſe cum exercitu abeſſet: illico occurret hanc, nec ullam aliam, eſſe veram rationem, explicandi hancce difficultatem. Adde his jam Diodorum p. 922. ex Hecatæo dixiſſe, Moſen vixiſſe eodem tempore cum Danao & Cadmo: Danaus autem ſemper creditus fuit frater Seſoſtris; ideoque recte Seſoſtris tempora cum Moſis temporibus conjungenda eſſe, maxime patebit. Herodotus *Seſoſtrin* medium facit inter *Moeridem* & *Proteum*, qui poſterior regnavit temporibus Iliacis. Iam vero *Moeris* eſt *Mares* Laterculi Eratoſthenei; nam Herodotus dicit ſe vidiſſe 330 ſtatuas regum ante *Moeridem;* eæ vero ſtatuæ erant ſymbola annorum, is enim Moeris exacte 331. anno poſt Menis initia regnare deſiit. *Ertoſichermes* apud Eratoſthenem eſt *Proteus*, nam nomen Ερτοσι eſt teſte Iablonskio Ⲉⲣⲧⲱⲗⲓ

cauſa

causa generationis, vel *virium plasticarum* & idem pene ⲡⲣⲟⲧⲏⲗ significat & hoc facile quisque nomen *Protei* esse videbit. *Apappus* itaque quem ego *Sesostrim* esse contendo, quoque est medius inter *Marem* & *Ertosi* reges. Sunt alia plurima quæ pro firmanda mea opinione adducere possem, sed ea non sunt hujus loci. Sufficit me rationes gravissimas adduxisse, quibus perspectis pateat, Mosen utique potuisse optime origines gentium tradere, quia plurimas gentes cum Sesostre perlustravit. —

II. De איים *regiones* p. 139.

Quæ illo loco de origine & significatione vocis איים disputantur, ea etiam ex lingua Coptica seu antiqua Aegyptia confirmari possunt. Illis ⲟⲩⲏϩ est *habitare* & *habitatio*, quod adeo cognatum voci אוה & أوي est, ut vix possim dubitare, primis temporibus non adeo discrepasse has linguas, quam postmodum. ⲧⲉⲟⲩⲏϩ *habitatio* est *Teveh*, vel *Tebeh*, vox unde explicare poteris Herodotum dicentem l. II. c. 15. edit. Galei. το δ' ων παλαι αι Θηβαι Αιγυπτος εκαλεετο· erat enim semper pars ejus *habitabilis*; inde etiam explicare licet locum Plinii l. 6. c. 29. ubi ait *Troglodytice quam prisci Michoën, alii Midoën dixere.* Est illa vox Aegyptia, nam Troglodytæ erant vicini ex parte Aegyptiis & partem versus arabicum sinum tenebant. ⲙϩⲁⲩ *Mehau* est σπηλαιον vel τρωγλη, ⲟⲩⲏϩ *habitatio*: *itaque Mehacueh* quod Latini & Græci



Græci vix aliter efferre potuerunt quam *Michoë*, erat *habitatio speluncæ* i. e. exacte *Troglodytice*.

III. מצרים *Aegyptus*. p. 157. —

Aegyptios credo nomina terræ suæ primum imposuisse, & inde quoque originem nominum, quibus appellata fuit ab aliis gentibus, esse repetendam. Aegyptii, ut Syncellus ex Antiquo Chronico habet, docebant *Vulcanum primum in Aegypto regnasse, dein vero Solem*. Hinc nomina Aegypti sunt orta: Stephanus & Eustathius nos docent *Hephaistiam* eam fuisse appellatam; inde ipsius nomen ΗΙΧΩΙ -- ϤϮⲀϢ *domus mundana Vulcani*, *Aegophthash:* deinde legimus eam appellatam fuisse *Aëriam*, sic enim *Appollodorus*, Schol. Apollonii Eustath: in Dionys. Perieg. Hesychius, Stephanus & Eusebius in Chronico uno ore profitentur: hæc vox est ΗΙ - ΡΗ *Aëre, domus solis:* inde etiam tota regia vocata *ager solis* ⲘⲈϢϢⲎ-ⲢⲎ, & hoc ipsum est Arabica vox مصر *Messr* & Hebræorum *Mizraim*, id enim formatum, ut exprimeret vocem ⲘⲈϢϢⲎ-ⲢⲎ in singulari מֶצְרָה, & cum pluralem inde formare placuerit, quia plures Aegypti *agri* erant *solares*, id factum puto more Chaldæorum, mutato *He* in *Iod* & retracto tono, unde planissime orta vox מִצְרַיִם, Sed & alio nomine, vocata Aegyptus, de quo nulla nisi in sacris exstant vestigia, & tamen ejusdem pene ac Mizraim & aeriæ significationis ΡΗ-ⲆⲞⲀⲂ est *soli sacra*, scilicet *terra;* & hoc expri-

exprimit vocem *Rahab* vel *Raab*, qua in Sacro Codice Aegyptus indigitatur.

4. עמלק *Amalek arabicæ originis.* p. 170, etc.

Amalecitæ incolebant uti ex S. S. apparet, meridionaliores regiones quam Iudæa & Ziklagum, & imprimis uti mihi videtur, patet, eas, quæ ſunt circa urbem *Lariſſam*, quam Arabum ſcriptores vocant *El — Ariſh* cujus caſtellum nunc ſuperſtes, vocatur *Kalah Riſſa;* hanc urbem eandem credo eſſe ac S. S. locum *Riſſah* Num. 33, 21. 22. Hæc eſt illa, in Aegyptiorum historia celebris urbs *Abaris*, in quam paſtores Arabes conceſſere, qui Aegyptum per tempus 250 annorum & 10 menſium, teſte apud Ioſephum Manethone, tenuere. Ideoque credo Amalecitas, quorum mentio facta Exod. 17, 8. &c. & Num. 14. v. 43 & 45. eſſe eos paſtores, quos Aegyptii, ſua lingua vocabant *paſtores cinctos*, i. e. *reges* ϧⲏⲕ-ϣⲱⲥ, Υκσος *, & quorum rex ſupremus, i. e. primarius inter principes tribuum, nomen gerebat *Agagi* i. e. ϧⲏⲕ-ϧⲏⲕ. *cinctus cinctorum* ſeu *princeps principum*. Amalecitæ hi erant gens nomadica, Arabes origine, paſtores genere vitæ; quum audiſſent Iſraëlitas ex Aegypto diſceſſiſſe, in eos irruerunt, ut in paratam prædam; at repulſi tum temporis fuere; dein ex nimia alacritate injuſſuque Dei, eos

*) vide Iablonſkii Prolegomena ad Pantheon Aegyptiorum §. LVII. p. CXXX — CXXXIII.

eos invadentibus Iſraëlitis; conjuncti Cananæis ſociis, Iſraëlitas profligarunt; qui exinde magnum deſertum ad orientem petiere, ibique 40 fere annos, vitam egere. Amalecitæ hoc ſucceſſu elati & videntes, Aegyptum non tantum miſere afflictam manu Dei, verum & omne quod in exercitu erat virium, cum rege in mari rubro interiiſſe, ſemper intenti rei gerendæ, inhiantesque prædæ, vacuam viris Aegyptum adoriuntur regnante rege ⲁⲙⲟⲩⲛ-ⲧⲁⲓⲟ *Amuntæo* i. e. *Ammanodoto* (ap. Eratoſth:) qui a Manethone (ap. Ioſeph.) appellatur *Tiamus* vel *Ti-amun* ϯ-ⲁⲙⲟⲩⲛ. *ab Ammone datus*, quod revera idem nomen eſt; ac primum inferiorem Aegyptum tenuere, 25 Annis poſt Exodum; tum vero ſolis parebant principibus tribuum; verum mox unum eorum, cæteris præeſſe voluerunt regis titulo ϫⲏⲕ-ϫⲏⲕ. *Agag*, ab Aegyptiis mutuato vocabulo, quem titulum, reliqui eorum reges ſemper ſervarunt, at ab Aegyptiis vocatus fuit is princeps *Salatis*, *genere peregrinus*, ϫⲟⲓⲗⲓ-ⲧⲏϫ. Dein plures reges eis præfuere in Aegypto, & bis in ipſam usque penetrarunt Thebaidem, nempe ſub *Choſtertoro* apud Eratoſthenem & *Akouneioſocho*. Verum Aegyptii pauliſper vires recipiebant, et paſtores primum duce *Pentheathyri*, *Summo ſacerdote* της Αϑωρ, ⲡⲍⲟⲉⲟⲩⲧ-ⲁⲑⲱⲣ, Thebaide ejecerunt & mox tota Aegypto expulerunt, ſub rege cui nomen, *Mariſes* vel *Ramiſes*, cujus obeliſcum Hermapion apud *Ammianum Marcellinum* explicuit. Omni hoc tempore altum de

Ama-

Amalecitis silentium in S. S. Verum circa Gideonis tempora Iudic. VI. 3. denuo in societate Madianitarum apparent, non enim erant amplius adeo validi, fractis eorum in Aegypto viribus, ideo forte in clientelam Madianitarum sese dederant, iisque juncti Israëlitiden invaserant. Videbis facile mirum consensum. Quamvis enim fractæ eorum vires erant in Aegypto, tamen satis adhuc validi erant & circa *Rissam* s. *Rhinocoluram* diu sunt morati, nam & tempore Davidis, in iisdem regionibus hærebant. *Abaris* vel *Avaris* est Aegyptiorum Ⲃⲁⲕⲓ ⲁⲩⲣⲏϫ *urbs termini:* vel sic dicta fuit dialecto Thebaidis ⲉⲡⲁⲁⲣⲏϫ *versus fines*, *finalis*, *terminalis*, unde ortæ voces Ἀβαρις, *El-Arish*, *Rissah*, *Kalah Rissah*, & *Larissa*.

En habes, Vir Doctissime, quas nunc Tecum communicare potui Observationes. Si hæ, Tibi arriserint, dignæque videbuntur, ut possint publicari: non recusabo plures, occasione data, addere; Quum enim, per plures annos, Geographiam & Historiam antiquam Aegypti, ex lingua Aegyptia illustrare studuerim, id forte aliquando, si otium fuerit, spero me ostensurum historiam Aegyptiorum, non esse prorsus adeo confusam, vel difficilem, quam vulgo creditum est; & geographiæ antiquæ Aegypti sæpius lumen accendi posse a linguæ Aegyptiæ peritia.

Sin trita pleraque in hisce Observationibus censeri, & talia quæ vix lucem publicam ferre possint; id Tuo in hisce rebus consumatissimo judicio, me tribuere scito;

 ut



ut ea omnia supprimas: id mihi sufficit, me in hisce quædam voluisse, ac conatum fuisse lucem accendere majorem, quibusdam vocibus & phrasibus S. S. Plures forte & magis elaboratas addidissem Observationes, nisi temporis penuria laborarem, aliis quamplurimis laboribus districtus. Vale igitur Vir Doctissime, idque credas velim, me imprimis id studere, ut Tibi placeam; *principibus enim placuisse Viris non ultima laus est*, iterum Vale. Dabam Londini die V[ta] Septembris CIↃIↃCCLXXI.

V. ופוט *Et Phut.* p. 160. seqq.

Etsi dubius sim an revera, hoc nomen Phuti ex lingua Aegyptiorum antiqua sit derivandum; quia adeo remotas ab Aegypto sedes habebant *Phutæi* ad flumen Φουϑ: id tamen in mentem mihi venit, eas gentes quas Moses capite X Geneseos enumerat, primis temporibus, Aegypto vicinas vixisse, & paullatim ad ultimum usque Occidentis mare migrasse, & nomen *Phut* sic conservasse. Est enim ⲡϩⲱⲧⲡ *occidens* (*Photp.*) apud Aegyptios. Ultimum ⲡ suspicor non pronunciatum fuisse: quia idem in aliis vocibus ejusdem originis video neglectum. Sufficiat unum heic loci adduxisse exemplum: Herodotus lib. 2. c. 30. hæc habet *επι ψαμμητιχȣ βασιλεως φυλακαι κατεςασαν εν τε Ελεφαντινῃ πολει προς Αιϑιοπων, και εν Δαφνῃσι τῃσι Πηλȣσιῃσι αλλη δε προς Αραβιων τε και Ασσυριων, και εν Μαρεῃ*

προς

προς Λιβυης αλλη. Plinius lib. 5. c. 10. de Lacu Mareæ vel Mareotico, ſcribit, *qui lacus antea Arapotes nominabatur.* Jam vero utrumque nomen ex Aegyptia lingua hauſtum: *Marea* eſt ⲙⲁ-ⲁⲣⲉϩ *Maareh, locus cuſtodiæ:* & *Arapotes* mihi quidem videtur eſſe ⲁⲣⲉϩ-ⲡϩⲱⲧⲡ. *cuſtodia occidentis Areh-phot.* Unde mihi quidem ſuſpicio orta ⲡ in vocibus hujus generis neglectum a græcis imprimis & ab aliis quoque exteris gentibus; quia ſonum nimis barbarum exprimeret, legendo *Photp.* & ſic inde forte *Phot* vel *Phut* ortum.

VI. *Ludim* לודים p. 256 ſeqq.

Ludæos credo eſſe incolas regionum, quas Aegyptii olim appellabant *Auaſes* & quas Strab. lib. II. p. 89. edit. 1587. graphice deſcribit, loquens de *Africa* ſeu *Libya:* Εςι δ' ως περοιτε αλλοι δηλεσι και δη και Γναιος Πεισων ηγεμων γενομενος της χωρας, διηγειτο ημιν, εοικυια παρδαλει· καταςικτος γαρ εςι ταις οικησεσι περιεχομεναις ερημῳ και ανυδρῳ γῃ καλεσι δε τας τοιαυτας οικησεις Αυασεις (NB non Ανασεις) οι Αιγυπτιοι. Hic Strabonis locus, eadem fere refert, ac verba ejusdem ſcriptoris l. XVII. p. 544 & 559. ſunt enim hæc loca, veluti inſulæ maris, arenis & deſertis cinctæ. Romani eadem loca *Oaſes* appellabant. *Stephanus* ethnicographus habet Υασις πολις λιβυης, λεγεται και Οασις, & alio loco Υσαεις νησος μικρα και μεγαλη Αιθιοπων. Εκαταιος περιηγησει



Αἰγύπτȣ. Οἱ νησιωται Υσαιται, ως Οασιται. *Auasis*, *Oasis*, *Hyasis* & *Hysæis* mihi videntur nomina ejusdem loci vel potius regiuncularum plurium in mediis Africæ desertis cultarum & habitatarum, unde illis quoque nomen hæsit, nempe ⲟⲩⲏϩ-ϫⲁⲓⲉ *habitatio deserti*, *Oueh-dsaie*. Hæc loca erant sita, post montes arenosos, latus occidentale Aegypti cingentês. Herodotus hosce colles, montem *Psammium* vocat; Τινωδης mons Ptolemæi idem esse videtur, qui nostra quoque ætate vocatur *Ramlich* ab Arabibus, unde & ab Aegyptiis quoque idem nomen accepit ⲧⲱⲟⲩ ⲉⲩⲧⲉ ⲡϣⲱⲓⲙⲙⲉϩ *mons arenæ*. Hæc igitur *Oases* erant sitæ in locis admodum altis, respectu Aegypti, unde ⲉⲗⲟⲩⲏϩϫⲁⲓⲉ, *Elouehdsaie* nomen eisdem datum, *alta*, seu *elata habitatio deserti*, & idem quoque nomen apud Arabes gerunt, *Elouath* enim appellantur, & si consulere volueris Lexicographum, quem *Schultensius*, magnum arabicarum litterarum decus, in notis ad vitam Saladini exhibet, reperies tribum *Alberber* البربر & *Lawada* لواتة habitantes in الواح *Elwah*: Hanc tribum *Lawatæ*, ad *Ludæos* incolas *Oasidum* referre mallem, & eorum nomen a vocabulo Aegyptio supra explicato, ortum suspicor. Quum vero omnis Africa teste Strabone, interstincta sit pluribus *Auasibus*: nullum mihi dubium est, eosdem *Ludæos* a Marmolio relatos, Arabes quidem esse, sed incolas *Auasidum*, & ideo nomen eorum ab Aegyptio vocabulo derivatum.

VII. *Le-*

VII. *Lebabim.* להבים.

Lubenter hic Tibi Vir Doctiſſime, aſſentior, & nomum *Libyæ* agnoſco: nomen vero Aegyptiæ originis eſſe ſuſpicor. Libyæ nomus erat extra fines Aegypti, quæ Nili inundatione fertilitatem potiſſimum accipiebat, & hic nomus quoque Aegypto erat multo altior ideo ⲉⲗ-ⲟⲩⲏϩ *alta habitatio*, *Eloueh* vel *Elbeh* vocata forte fuit.

VIII. *Naphthuchæi* נפתחים.

Quæcunque magnus *Paul Ern. Iablonskius Panthei Aegypt.* Lib. V. c. III. p. 115 ſeqq. imprimis vero §. 4. p. 120. de nomine ⲛⲟⲩⲉϥⲑⲏⲟⲩ diſputat, ea ad noſtrorum Naphthuchæorum patriam referenda eſſe cenſeo: id tantum addens, vocem ϫⲁⲓ vel ϫⲁ in Aegyptiacis vocabulis non raro terram ſignificare; foret itaque ⲛⲟⲩⲉϥⲑⲏⲟⲩϫⲁ *terra ventoſa*, *Nephtheucha*. Quam bene hæc quadrent in Naphthuchæam, nolo pluribus oſtendere, quum jam omnia ab eruditiſſimo Jablonskio ſint occupata: ideoque ſuſpicor terram deſertam inter Aegyptum & Arabicum ſinum vel mare hic intelligendum eſſe.

IX. *Pathruſim.* פתרסים. p. 271. Gen. X. & Jerem. XLIV. 1. Ezech. XXIX. 14.

Neque in hujus gentis nomine quidquam monendum habeo poſtquam plurima a Jablonskio jam obſervata video. *Panth:* Aegypt. L. V. c. III. §. 5. p. 122. 123.

Eſt

Eſt enim utique intelligenda *Thebais*, quæ ſine dubio, prima pars Aegypti fuit colonis frequentata; quum inferior Aegyptus paluſtris nimium, nullos habere poſſet incolas: unde & a Prophetis patria Aegyptiorum appellabatur. *Terra auſtralis* eſt ⲡⲓ ⲕⲁϩⲓ ⲫⲁⲑⲟⲩⲣⲏⲥ vel ⲡⲁⲑⲟⲩⲣⲏⲥ *Phatoures* vel *Patoures*; & inde quoque nomus *Phanturites* explicandus inſerto ⲥⲟⲩ ⲫⲁⲥⲟⲩⲑⲟⲩⲣⲏⲥ.

X. *Casluchæi* כסלחים. XI. *Caphthoræi* כפתרים.

In tanto diſſidio interpretum, vix diſpiciendum, quam potiſſimum ſententiam arripias: itaque noſim Vir Doctiſſime Te credere me ſententiam multo probabiliorem propoſiturum, verum quæcunque de hac gente & de Caphthoræis diſputavero ea Tuo in his rebus acerrimo judicio ſubmitto lubens. Sed ut melius de utrisque diſſerere poſſim, junctim de iisdem obſervationes quasdam Tecum communicare animus eſt. Ex eis, quæ his præmiſi, jam forte cognoveris, gentes capite X. Geneſeos a Moſe memoratas, fere omnes habitaſſe in regionibus non ita multum ab Aegypto diſſitis, vel tamen Seſoſtris expeditione exploratis. Itaque quo viciniores ſunt gentes Aegypto, eo lubentius Moſi cognitas easdem fuiſſe, ſuſpicor. At ſi ex ipſo Moſis teſtimonio patet, haſce gentes primis a diluvio ſeculis ſedes mutaſſe, utique magis ad veritatem ea ſententia accedere videtur, non adeo remotas ab Aegypto & Palæſtina, easdem gentes ſedes occupaſſe.

His

His igitur præmiſſis ad Casluchæos & Caphthoræos redeo. Vix dubio mihi locus eſſe videtur voces ultimas verſus 14[ti] transpoſitas eſſe, quemadmodum id a Te Vir Doctiſſime p. 278. monitum video. Philiſtæi igitur a Caphthoræis, & forte quoque a Casluchæis orti fuere. Primis a diluvio ſeculis, & quidem Abrahami jam tempore, Abimelech Philiſtæus Gerarenſium erat rex; ideo hi Caphthoræi & Casluchæi in vicinia ſunt quærendi. Inter Gazam & Peluſium erat regio *Caſiotis*, a monte *Caſio* nomen gerens, qui deſerto undique erat cinctus, unde in hanc regionem utique nomen *terræ deſertæ* quadrabat; ϫⲁ-ϫⲁⲓⲉ, *Chadſaie* vel ⲕⲁϩⲓ-ϫⲁⲓⲉ & omiſſo ⲓ, ⲕⲁϩ-ϫⲁⲓⲉ. *Kahdſaie.* At hæc ipſa deſerta regio, quoque circa mare paludibus & barathris erat infeſta, quarum *Serbonis* palus, maxime celebris fuit; circa ipſum Peluſium erant aliæ paludes; unde hæc regio *terra deſerti paludoſa*, *lutoſa*, dici merebatur, quod Aegyptii dixiſſent ϫⲁ-ϫⲁⲓⲉ-ⲗⲱϩⲓ. Nam & ipſum *Peluſium*, *Sin* ſcriptorum ſacrorum, vocabatur *Lychnos* ab Aegyptiis ⲗⲱϩⲓ-ⲥⲟⲩⲱⲛϩ *habitatio luti*, *Lutetia.* Inde & arridet mihi Thargum Hieroſolymitanum hic *Pentaſchœnitas* intelligens.

Caphthoræi his videntur fuiſſe magis ad occidentem, circa Tamiathim vel Damiaten, id enim olim apud *Baraterium in Benjaminis Tudelenſis Itinerarium* me legiſſe memini, ſed cum nunc librum ejus non in promtu habeam, neſcio ex quo hanc opinionem hauſerit ſcriptore.



ⲕⲁⲍ-ⲡⲉⲧⲡⲟⲩⲏⲣ significat, *terram Hori*, vel *quæ ad Horum spectat, & quæ est Hore* i. e *soli sacrata.* Ex his Aegyptii gentibus, Casiotidis nempe incolis & Damiatensibus, Philistæi sunt orti antequam Abrahamo Isaacus filius nasceretur, jam Philistæus Gerarae erat rex. Quum Elamitarum rex, cum sociis Amalecitidem vicinam Casiotidi vastaret, nulli Philistæi in Palæstina erant, nam sine dubio vim quoque armorum Kedor Laomeri essent experti. Igitur medio intervallo huc commigrarunt. Et si dicere licet quod suspicor; Amalecitarum reliquiæ ab Elamitis pressi, videntur in Casluchæos & Caphthoræos impressionem fecisse; qui non solum Amalecitas submoverunt, verum & *Avvæos* circa Gazam deleverunt, & eorum sedes ad Ioppen usque occuparunt, prope mare, cui ut credo consveverant in priscis sedibus. Successu temporis quidam ex his Philistæis videntur *Lapetum Cypri* occupasse, & quidem intelligendi sunt ii *Aethiopes*, qui Herodoto l. 7. c. 88 teste Cyprum incolebant. Circa Ioppen vero olim Aethiopiam fuisse notissima res est, ideo Philistæos vel Caphthoræos Ioppæ vicinos in Cyprum trajecisse suspicor; & ab his Cyprus quoque nomen *Caphthor* accepit. Non mirum est Horo sacram fuisse hanc Aegypti partem: Aegyptii enim teste Luciano, nominibus Deorum multum utebantur.

Hæc Vir Doctissime sunt ea, quæ nunc in Tuum Spicilegium in Bochartum annotare, Tecumque communicare duxi: Tui facio judicii, quid cum illis observatiun-

culis

culis sit faciendum. Video quidem Te in litteris Tuis ad me datis, non solum benigne de eis sentire, verum & magnifice, & ideo optare ut publici fiant juris. Etsi id magno mihi honori ducam, hæc Tibi non prorsus displicere, id tamen quoque probe novi, quam parum etymologiis sit fidendum, & quam facile nosmet ipsi in hisce inventiunculis placeamus nobis ipsis; ideoque velim Te, Vir Doctissime, ita de his meis observatiunculis statuere, quemadmodum judicaveris re bene pensitata. Video quoque Te, quod Virum Tui, i. e. consumatissimi judicii, decet, dubitanter de meis in Spicilegium Tuum notulis pronunciare; immo & dubia quædam proferre. Liceat mihi, obsecro, eisdem quædam reponere; Tu pro veritatis insigni amore, disquiras num mea dicta Tibi satisfacient, vel minus.

Primo loco mones, Mosen, si Aegyptio exercitui præfuisset, vix sibi temperare potuisse, quin ea ipse retulisset: ideoque dubitas, num Iosepho sit fides habenda, dum refert Mosis expeditionem contra Aethiopes.

Si Moses adeo fuisset gloriæ cupidus, veluti plures nunc inter Viros eruditos reperiuntur; qui quicquid agant vel ipsi, vel per alios & discipulos imprimis suos, extollunt, magnificant, deprædicant, utique id expectandum foret: Verum Moses non tantum fuit Vir summæ modestiæ, sed et alienum id putavit esse a fine quem sibi præceperat in scribendis libris suis. Moses nil meminit de *sapientia qua eruditus fuerat;* neque id sibi gloriæ du-



cit, se fuisse *potentem dictis & factis*, neque id sciremus nisi Stephanus protomartyr hæc observasset. Moses non nisi matrem solam refert abscondidisse se ipsum infantulum: at Paulus in Epist. ad Hebræos refert, id factum a *parentibus*, vel uti suspicor patre, avo, & forte proavo: idem nos certiores facit, Mosen majores duxisse divitias probrum Christi, quam Aegyptiorum thesauros, de his ne verbulum apud Mosen; nec unquam Moses adeo gloriose de se loquitur ut Nehemias passim. Imo quotiescunque incaute seipsum egisse quædam credebat, id ingenue fatetur, majorem gloriam id ducens, quam artificiose celare, quæcunque incuria, aut animi perturbationibus abreptus peccavit. Ideo nollem hæc a Mose expectare, ut historiæ populi Israelitici insereret, quæcunque aliena esse a proposito suo putabat. Sufficiebat ipsi memorias gentis suæ & progenitorum colligere, mundi creationem, hominis originem & peccatum, foedera & promissiones dei, divinæ justitiæ exempla in puniendis peccatoribus, virtutum exempla & præmia. Providam dei curam, circa homines sanctos, eorumque posteritatem; & quantum numini supremo cordi sit quæcunque pollicitus fuerit hominibus virtutem sancte colentibus, certissime exequi. Denique gentium origines & conversiones; cum legibus & cultu a Deo populo jam suo præscriptis. Imo vanam gloriam potius reputabat, quam sibi olim pepererat, dum in exercitu Sesostris militaret, vel ipse ejus exercitum duceret; ideoque con-

consulto omnia neglexit referre, quæ suo ductu fuerant gesta. Sunt tamen plurima maximique momenti argumenta, quibus utique conficere liceat, Mosen habuisse haud vulgarem scientiam rei militaris & tactices. Sic enim Moses ipse videtur, id non obscure indigitare, dum Israëlitas ex Aegypto refert processisse חמשים, i. e. quinque aciebus (in fünf Colonnen): dein Levitici capite 2do utique pulcram habes rationem castrametandi a Mose descriptam, ne plura hic ob brevitatem moneam. Hanc scientiam rei militaris utique nonnisi experientia Moses acquisiverat, & quidem uti suspicor, dum in Aegyptiorum exercitu versaretur. Iam supra Sanctum Stephanum testem adduxi, sapientiæ Mosis inter Aegyptios quæsitæ: is illico addit, *eratque potens dictis & factis*, hæc verba non referenda censeo, ad res gestas Mosis post annum ætatis quadragesimum, verum potius ad ejus clare gestas res ante quam hanc ætatem attigisset & dum in exercitibus Aegyptiorum versaretur, nam expressis verbis hæc omnia, post hæc a Sancto martyre commemorantur, qui imprimis versu 36 addit: *Hic eduxit eos editis prodigiis & signis in regione Aegypti & in rubro mari & in deserto annis quadraginta:* id igitur inde patet magnam claritatem Mosen sibi parasse inter Aegyptios, ut merito dici posset a viro Θεοπνευςῳ *potens dictis & factis.* Sed & ipse Moses quædam innuit modeste equidem de sua claritate & potentia in bello armis, consiliisque parta: Exod. II. versu 10. Moses dicitur *gran-*



dior factus & a matre nutrice ad filiam Pharaonis adductus, dein versu 11. denuo memoratur *Moses grandior factus* processisse ad videndos fratres suos: hæc certe facta, cum jam esset quadraginta annos natus, ideoque de augmento staturæ non sunt accipienda hæc verba, sed potius de incremento potentiæ, & claritate consiliis verbisque parta.

Secundo loco dubium moves ex Exod. XII. versu 40, & uti ex verbis Tuis colligo, textus Hebræi Chronologiam Samaritanæ præferendam censes; maxime quia & numerus populi a 70 in 600,000 aucti, pro Hebræo faciat textu.

Nondum de hac re judicandum censeo, donec Clarissimus & doctissimus *Kennicot* publicaverit Varias lectiones hebræi textus, interim & alia pro breviori mora Israelitarum in Aegypto facere credo, vel ad minimum numerus populi a 70 ad 600,000 aucti non contra hanc sententiam mihi militare videtur. Moses recenset Israelitas ætatis militaris omnes, quorum numero utique servitia inclusa credo, Abrahamus enim servos armaverat 318, itaque non alienum a moribus ejus ætatis servos recensere inter viros militaris ætatis, maxime quum illis liberalis, uti credo, inter Israëlitas erat servitus. Iam vero & servos video ab Abrahamo circumcisos Genes XVII. 23. unde patet eos hac ratione ad foedus divinum cum familia Abrahami pactum admissos fuisse. Pharao Gen. XII. 16. & Abimelech Gen. XX. 14. Abrahamo servos & ancil-

las



las plures dono dederant. Partem ſervitiorum Abrahami comprehenſam fuiſſe credo donis, quibus dimiſit liberos ex concubinis & uxoribus ſusceptis. Gen. XXV. 6. Dein Iſaacus dicitur habuiſſe famulitium magnum. Gen. XXVI. 14. Iacobus antequam Palæſtinam ingrederetur habuit ancillas & ſervos. Gen. XXX. 43. Sed quum benedictione Iſaaci, jura primogenituræ ab Eſauo emtæ confirmata haberet, Gen. XXV. 30-34. XXVII. 19. 29. 36. 37. utique videtur eum hoc iure eſſe uſum, ideoque duplicem portionem hæreditatis accepiſſe, poſt mortem Iſaaci, quæ addita opibus in Meſopotamia acquiſitis, utique Iacobum virum fecit, pro temporum ratione opulentum & imprimis valentem ob famulitium numeroſum. Has opes & ſervitia utriusque ſexus plura Iacobus in Aegyptum ſecum duxit, at 70 tantum enumerantur ex poſteritate ſua: quum vero ex Aegypto egreſſi eſſent & omnes ætatis militaris Iſraëlitæ numerarentur, numerus eorum fuit 600,000, additis nempe ſervitiis, qui tum jam in familiam vel gentem Iſraëliticam coaluerant, & quos inter militaris ætatis homines recenſere, tum temporis ſolemne erat: & quia omnes olim ab Abrahamo, ejuſque poſteris circumciſi erant, utique ad populum Dei & familiam Abrahami pertinebant.

Poſſem equidem Vir Doctiſſime heic loci ſubſiſtere: Verum liceat mihi dum in hoc ſum argumento, quasdem addere rationes, quibus inductus credo, Moſen non

ſemper



ſemper in Aegypto verſatum fuiſſe, ſed plures quoque exteras regiones oculis luſtraſſe.

Paradiſi ſitum, & regionum ei vicinarum, merces quoque præcipuas adeo graphice a Moſe deſcriptas video Gen. II. 10 -- 14. ut vix mihi ſit dubio locus, hæc omnia ab autopta delineata eſſe. Nam nunc, quum pictos ut moris eſt, ediſcimus in pueritia orbes, facile nobis eſt de regionibus longinquis loqui, etſi eas nunquam inviſimus, easque aliis graphice deſcribere valemus: at Moſis tempore alia fuit ratio; vix de aliis regionibus quidquam cognitum habere poteras, niſi ipſe easdem perluſtraſſes.

Si expeditionem regis Elamitarum, ſedes urbium in regno Nimrodi Babylonio, & Aſſyrias urbes, imo & limites terræ promiſſæ deſcriptos Num. XXXIV. 3 -- 12. paulo curatius conſidero, magis magiſque in ea confirmor opinione, Moſem Seſoſtris fuiſſe ſocium in expeditione ipſius, ab omni antiquitate celebrata. Et undenam Iſraëlitæ didiciſſent artem deſcribendi Palæſtinam in tabula quam vocamus Geographica Ioſ. XVIII. 9. niſi ab Aegyptiis & Seſoſtre, qui primum, orbem quem peragraverat, tabula deſcripſerat, teſte Euſtathio in Dionyſium Periegetem p. XII. in proœmio?

Etſi nunc omnia, quæ ad primam partem Spicilegii Tui, quam hucdum perluſtravi, annotare potui in Tuum effuderim ſinum: non tamen hic ſubſiſtam, verum & addam quaſdam obſervationes ad loca Codicis

ſacri

ſacri in quibus urbes Aegypti memorantur & annitar, earum nomina ex Aegyptiæ linguæ reliquiis illuſtrare.

XII. *No Amon* נא אמון

Ammona numen Aegyptiorum, quod Græci per Iovem explicare ſolent, hic ſub voce אמון latere, nullum mihi dubium eſt. Plures in Aegypto fuere urbes huic numini ſacratæ, quas omnes Græci *Dioſpoles* appellabant. Stephanus ethnicographus accuratus imprimis auctor hæc ad vocem hanc annotat: Διοςπολις η μεγαλη πολις της Αιγυπτιας Θεβαιδος; quibusdam interjectis addit: *εισι δε και αλλαι μικραι εν Αιγυπτῳ τεσσαρες.* Magna Dioſpolis nullo dubitante & Thebarum nomen geſſit. In eadem Aegypti ſuperioris parte, alia quoque erat minor Dioſpolis, illa majore inferior, inter Tentyram & Abydum ſita, & ex Strabone, Antonini Itinerario & Notitia imperii ſatis cognita. Tertia Dioſpolis erat teſte Svida voce Δεμετριος, poſita *εν τοις* Ελεσι: & Strabo quoque hujus meminit, dicens eam fuiſſe *πλησιον* Μενδητος, & addit *και αι περι αυτην λιμναι.* Quarta & Quinta ignota ſunt plerisque Geographis loca. In Notitia Epiſcopatuum Aegypti, apud Beveridgium, Pocockium & Commanvilleum, Pachnamunis & Dioſpolis ſunt diſtinctæ ſedes Epiſcoporum, in provincia Aegypti ſecundæ. Ⲃⲁⲕⲓ Aegyptiis ſignificat *urbem*, id vero a græcis non raro legebatur Βαχι vel Βηχι, ſic enim Herodotus diſertis verbis



ſemper in Aegypto verſatum fuiſſe, ſed plures quoque exteras regiones oculis luſtraſſe.

Paradiſi ſitum, & regionum ei vicinarum, merces quoque præcipuas adeo graphice a Moſe deſcriptas video Gen. II. 10 -- 14. ut vix mihi ſit dubio locus, hæc omnia ab autopta delineata eſſe. Nam nunc, quum pictos ut moris eſt, ediſcimus in pueritia orbes, facile nobis eſt de regionibus longinquis loqui, etſi eas nunquam inviſimus, easque aliis graphice deſcribere valemus: at Moſis tempore alia fuit ratio; vix de aliis regionibus quidquam cognitum habere poteras, niſi ipſe easdem perluſtraſſes.

Si expeditionem regis Elamitarum, ſedes urbium in regno Nimrodi Babylonio, & Aſſyrias urbes, imo & limites terræ promiſſæ deſcriptos Num. XXXIV. 3 -- 12. paulo curatius conſidero, magis magiſque in ea confirmor opinione, Moſem Seſoſtris fuiſſe ſocium in expeditione ipſius, ab omni antiquitate celebrata. Et undenam Iſraëlitæ didiciſſent artem deſcribendi Palæſtinam in tabula quam vocamus Geographica Ioſ. XVIII. 9. niſi ab Aegyptiis & Seſoſtre, qui primum, orbem quem peragraverat, tabula deſcripſerat, teſte Euſtathio in Dionyſium Periegetem p. XII. in procemio?

Etſi nunc omnia, quæ ad primam partem Spicilegii Tui, quam hucdum perluſtravi, annotare potui in Tuum effuderim ſinum: non tamen hic ſubſiſtam, verum & addam quaſdam obſervationes ad loca Codicis

ſacri

ſacri in quibus urbes Aegypti memorantur & annitar, earum nomina ex Aegyptiæ linguæ reliquiis illuſtrare.

XII. *No Amon* נא אמון

Ammona numen Aegyptiorum, quod Græci per Iovem explicare ſolent, hic ſub voce אמון latere, nullum mihi dubium eſt. Plures in Aegypto fuere urbes huic numini ſacratæ, quas omnes Græci *Dioſpoles* appellabant. Stephanus ethnicographus accuratus imprimis auctor hæc ad vocem hanc annotat: Διοςπολις η μεγαλη πολις της Αιγυπτιας Θεβαιδος; quibusdam interjectis addit: *εισι δε και αλλαι μικραι εν Αιγυπτω τεσσαρες.* Magna Dioſpolis nullo dubitante & Thebarum nomen geſſit. In eadem Aegypti ſuperioris parte, alia quoque erat minor Dioſpolis, illa majore inferior, inter Tentyram & Abydum ſita, & ex Strabone, Antonini Itinerario & Notitia imperii ſatis cognita. Tertia Dioſpolis erat teſte Svida voce Δεμετριος, poſita *εν τοις* Ελεσι: & Strabo quoque hujus meminit, dicens eam fuiſſe πλησιον Μενδητος, & addit *και αι περι αυτην λιμναι.* Quarta & Quinta ignota ſunt pleriſque Geographis loca. In Notitia Epiſcopatuum Aegypti, apud Beveridgium, Pocockium & Commanvilleum, Pachnamunis & Dioſpolis ſunt diſtinctæ ſedes Epiſcoporum, in provincia Aegypti ſecundæ. Ⲃⲁⲕⲓ Aegyptiis ſignificat *urbem*, id vero a græcis non raro legebatur Βαχι vel Βηχι, ſic enim Herodotus diſertis verbis



urbem Veneris vocat Αταρβηχι. *Ammonis urbs* igitur esset ⲂⲀⲔⲒ-ⲚⲀⲘⲞⲨⲚ; quod Græci vix aliter pronunciare possent quam Παχναμȣνις, & hujus urbis Ptolemæus meminit in nomo Sebennytico, verum prorsus distincta ab ea fuit Diospolis circa Mendetem & paludes sita: hinc jam nunc quatuor habemus Diospoles & quintam Diospolim suspicor fuisse *Iovis stationem* inter Berenicen & Coptum in Arabia. Iam vero nostri erit officii ostendere quam Diospolim Prophetæ in animo habeant dum de *No Amon* loquuntur. Id imprimis hic monendum censeo, vocem נא sine *Amon* addito adhiberi Ezech. XXX. 14. 15. 16. semel quoque Amon, cum מ præfixo & postposita voce נא Ierem. XLVI. 25. reperiri; unde colligo per vocem נא non posse intelligi, ut quondam credideram particulam ⲛⲁ, adeo ut inde sit orta vox ⲛⲁⲁⲙⲟⲩⲛ ad *ammonem spectans*, *Ammonia*, sic ut ⲛⲁⲡⲕⲁϩⲓ *terrestria*, verum aliam habere originem, eamque jam investigemus.

Ⲟⲩⲱϩ Aegyptiis est *quies*, *habitatio*; simul & *quiescere*, *habitare*. Ⲟⲩ Articulus non raro cum vocibus ipsis quibus præfixus fuit, coaluit; & hoc quidem voci ⲟⲩⲱϩ accidisse suspicor; vox itaque ipsa foret ⲱϩ. Littera ⲛ præfixa vocibus Aegyptiacis, adjectivam significationem eisdem communicat: ⲛⲱϩ igitur foret *habitabilis*, *requiei aptus locus*; & ⲛⲱϩ ⲁⲙⲟⲩⲛ esset *Ammonis habitabilis locus*. Iam vero observandum, ab alia radice ⲟⲩⲏϩ, ejusdem cum ⲟⲩⲱϩ significationis, ortam esse vo-

cem

cem ⲧⲉⲃⲟⲩⲏϩ *Teveh* vel *Tebeh;* quæ ſignificat *habitationem:* & hoc nomine olim tota Aegyptus vocata fuit, quaquaverſum ſcilicet culta & habitationi apta eſſet; quod jam Herodotus obſervavit, & nos ſupta §. II. monuimus. Hinc igitur credo vocem, ⲛⲟϩ intelligendam, non de quadam urbe Aegypti in Prophetis, verum potius de univerſa ſumendam Aegypto. Ammon erat numen ad Solem vernum relatum, uti bene *Iablonskius* probavit Panth. Aegypt. lib. II. c. II. §. 6. p. 167. Ideoque non alienum Aegyptum *habitationem* dictam fuiſſe *Ammonis* ⲛⲟϩ ⲁⲙⲟⲩⲛ, verno ſcilicet tempore: Vidimus enim §. III. a Sole plura nomina Aegypto fuiſſe data. Locus Nahumi III. 8. certe multo meliorem admittit ſenſum ſi de omni Aegypto explicetur, quam ſi, ut quidam interpretes volunt, Dioſpolim quandam, imprimis eam εν τοις Ελεσι ſitam intelligas. Aegypto enim certe, *mare cum mari* connexum erat pro *munitione*, a ſeptentrione ſcilicet vadoſum mare Mediterraneum, ad orientem vero Sinus Arabicus: præterea ⲛⲟϩ ⲁⲙⲟⲩⲛ *habitat in fluviis aquarum, eam circum circa cingentium. Cushitæ* ipſi erant *robur*, quia invitis Arabibus nemo facile per deſerta in Aegyptum penetrare poterat: verum & *Mizraimi* progenies, *ſine ſine* late propagata, *Putæi* præterea occidentis extremi gentes & *Libyes auxilio ipſi erant:* Quilibet facile hic potius ipſam Aegyptum quam urbem quandum Aegypti agnoſcet. Si quis poſt hæc, Dioſpolim quandam potius ſub ⲛⲟϩ ⲁⲙⲟⲩⲛ latere credi-

 derit,



derit, facile id concesserim. Verum mihi opinio quæ totam intelligit Aegyptum magis arridet. Neque credo obstat meæ opinioni, quod sacer vates fata canat Ninives, & No Amon velut exemplum destructionis adducat: nam Ninive destructa quoque Assyrium imperium deletum, indicare videtur, & fata Aegypti ideo potius censeo intelligenda, quam Diospoleos cujusdam. Præterea si נאמן urbem Diospolim designaret, quæso undenam Propheta Ezech. XXX. 14. 15. 16. ter repetit? Si Aegyptus intelligenda est, id meliorem videtur admittere sensum.

XIII. *Gosen* גוסן

De terra Gosen, non habeo quod addam post labores, laudatissimi *Iablonskii in octo Diss. de terra Gosen.* Ut vero hæ Dissertationes auctæ notis auctoris, a [illegible] Iablonskii denuo publicentur junctim, cum [illegible]is summi Viri Dissertationibus, quod scio e[illegible]no habuisse, ex animo opto, neque dubit[illegible] ut multo emendatiores & prorsus limatæ pro[illegible].

XIV. *Baal Tzepho[illegible]* בעל צפן

Baal Tzephon, mihi vid[illegible] esse *Heropolis*, supra occidentalem μυχον maris [illegible]bici sita, in desertis, prope lacus amaros; & era[illegible] secundum Theologiam Aegyptiorum Typhoni sacra. Stephanus ethnicographus de ea scribit: Ηρως πολις Αιγυπτια. η Αιμος εκληθη, δια το τον Τυφω ενταυθα κεραυνω βληθηναι

θηναι καὶ αιμαρυηναι: Hæc prorſus ſunt conſona fabulis Aegyptiorum hyſtorico-phyſicis. Typhon ab Aegyptiorum ſacerdotibus quoque appellabatur ⲣⲱϣ *Roſh*, rufus: urbs vero cum adjacente regione typhonia ⲭⲏⲣⲱϣ *Cheroſh*, *terra rufa* appellata fuit, vel ut idem nomen græcis vocabulis Herodotus exprimit, Ερυθρα βωλος. Hanc Moſis tempore vel paulo poſt deletam fuiſſe ſuſpicor, nam id Pheroni Seſoſtridis ſucceſſori tribuit Herodotus: verum reſtituta fuit, & tunc ab hebræis videtur appellata עיר חרס Ieſ. XIX, 18. Nomen Deaſtrorum apud hebræos ſolet eſſe Baal; Typhon Aegyptiis eſt Ⲭⲱⲯⲱⲛ: & hoc Ⲭ hebræis per צ expreſſiſſe certum eſt, idque alio quoque inferius exemplo probatum dabo.

XV. *Migdol.* מגדל

[illegible] Exod. XIV, 1. & Num. XXXIII, 7. meminit *Migdoli* [illegible] vicinia maris rubri, eumque ob collium frequentiam [illegible] dictum ⲙⲉϣⲧⲱⲗ *multitudo collium*: & huic noſtræ [illegible] etymologiæ favet Coptus Pentateuchi interpres, qu[illegible]is locis legit ⲙⲉϣⲧⲱⲗ. Locus Ierem. XLIV, 1. & [illegible]VI, 14. memoratus, in vicinia Daphnæ Peluſiæ vide[illegible] fuiſſe; iſque Stephano & in Antonini Itinerario vocatur *Magdolus*, & ob eandem rationem ⲙⲉϣⲧⲱⲗ appellatus fuit, nempe ob *multitudinem collium*, qui verſus Arabiæ arenoſæ deſerta frequentes heic loci ſunt.



derit, facile id concesserim. Verum mihi opinio quæ totam intelligit Aegyptum magis arridet. Neque credo obstat meæ opinioni, quod sacer vates fata canat Ninives, & No Amon velut exemplum destructionis adducat: nam Ninive destructa quoque Assyrium imperium deletum, indicare videtur, & fata Aegypti ideo potius censeo intelligenda, quam Diospoleos cujusdam. Præterea si נא urbem Diospolim designaret, quæso undenam Propheta Ezech. XXX. 14. 15. 16. ter repetit? Si Aegyptus intelligenda est, id meliorem videtur admittere sensum.

XIII. *Gosen* גושן

De terra Gosen, non habeo quod addam post labores, laudatissimi *Iablonskii in octo Diss. de terra Gosen.* Ut vero hæ Dissertationes auctæ notis auctoris, ... Iablonskii denuo publicentur junctim, cum ...is summi Viri Dissertationibus, quod scio e... ...no habuisse, ex animo opto, neque dubit... ...e ut multo emendatiores & prorsus limatæ pro... .

XIV. *Baal Tzepho...* בעל צפן

Baal Tzephon, mihi vid... esse *Heropolis*, supra occidentalem μυχον maris ...bici sita, in desertis, prope lacus amaros; & era. secundum Theologiam Aegyptiorum Typhoni sacra. Stephanus ethnicographus de ea scribit: Ηρως πολις Αιγυπτια. η Αιμος εκληθη, δια το τον Τυφω ενταυθα κεραυνῳ βληθηναι

ϑηνοι καὶ αιμαρυηνοι: Hæc prorſus ſunt conſona fabulis Aegyptiorum hyſtorico-phyſicis. Typhon ab Aegyptiorum ſacerdotibus quoque appellabatur ⲣⲱϣ *Roſh*, rufus: urbs vero cum adjacente regione typhonia ⲭⲏⲣⲱϣ *Cheroſh*, *terra rufa* appellata fuit, vel ut idem nomen græcis vocabulis Herodotus exprimit, Ερυϑρα βωλος. Hanc Moſis tempore vel paulo poſt deletam fuiſſe ſuſpicor, nam id Pheroni Seſoſtridis ſucceſſori tribuit Herodotus: verum reſtituta fuit, & tunc ab hebræis videtur appellata עיר חרס Ieſ. XIX, 18. Nomen Deaſtrorum apud hebræos ſolet eſſe Baal; Typhon Aegyptiis eſt Ⲭⲱⲯⲱⲛ: & hoc Ⲭ hebræis per צ expreſſiſſe certum eſt, idque alio quoque inferius exemplo probatum dabo.

XV. *Migdol.* מגדל

... Exod. XIV, 1. & Num. XXXIII, 7. meminit *Migdoli* ... vicinia maris rubri, eumque ob collium frequentian... dictum ⲙⲉϣⲑⲁⲗ *multitudo collium*; & huic noſtr... etymologiæ favet Coptus Pentateuchi interpres, qu... is locis legit ⲙⲉϣⲑⲱⲗ. Locus Ierem. XLIV, 1. & ... VI, 14. memoratus, in vicinia Daphnæ Peluſiæ vide... fuiſſe; iſque Stephano & in Antonini Itinerario vocatur *Magdolus*, & ob eandem rationem ⲙⲉϣⲑⲁⲗ appellatus fuit, nempe ob *multitudinem collium*, qui verſus Arabiæ arenoſæ deſerta frequentes heic loci ſunt.



XVI. *On, Raamses & Beth-Shemesh*, און רעמסס, ביתשמש

On esse nomen *Heliopoleos*, facile nobis persuaserit *Iablonskius Panthei* Lib. II. c. 1. p. 137 seqq. cum interprete Copto; qui Exod. I, 11. ubi Hebræus codex vocem *On* non habet, eandem exhibet cum explicatione ⲱⲛ ⲉⲧⲉⲑⲃⲁⲕⲓ ⲙⲫⲣⲏ ⲧⲉ, *On quæ civitas Solis est*, *Raamses* jam supra explicui §. III. quum vocem *Mizraim* ex Aegyptia lingua illustrarem, est enim ejusdem significationis transpositis tantum vocabulis, ⲣⲏ *Solem* significat ⲙⲉϣϣⲱⲧ est vox *agrum* denotans; at apud *Iablonskium* ni fallor in *Diss. de terra Gosen*, (vel in singula pagina quam *Io. Simonis Onomastico V. T.* addidit in fine, & in qua plura etyma nominum hebræorum ex lingua Aegyptia illustrata fuere a *Iablonskio* etiam memini vocem ⲙⲉϣϣⲏ pro *agro* adhibitam: hinc ⲣⲏ-ⲙⲉϣϣⲏ *ager solis*, *Remesse* foret. Denique *Bethshemesh*, Ierem. XLIII, 13. hebraicum nomen Heliopolitani templi videtur esse. Et si mihi dicendum quod suspicor, Bethshemesh *templum Solis* denotat, On *urbem Heliopolitanam*, & Remesse *nomum* ejusdem nominis; Verum quum Pharao cupidus esset munitionibus cingere, locum circa Babylonem Aegyptiam vel potius collem quem nunc arx Cahirensis occupat, & cujus muri ex relatione peregrinatorum multo sunt antiquiores in ima parte, quam in suprema parte; hanc *Raamsen* eum condidisse suspicor, quia erat in *campo Solis* vel nomo Heliopolitano. Mons quoque situs

ſitus ex oppoſito Mempheos & vicus appoſitus ei, vocabatur *Troë*, teſte Strabone; & nunc mons idem obtinet nomen *Iebel Tourah*, id vero quoque Aegyptium eſt ⲧⲱⲟⲩ-ⲣⲏ *Toure*, *mons Solis*. In extremitate hujus montis, in colle ſeparato, arx Cahirenſis eſt ſita.

XVII. *Etham & Pithom* פתם, אתם

Exod. XIII, 10. Num. XXXIII, 6. 7. inter loca ad mare Arabicum enumeratur quoque *Etham*, quem ego libenter cum *Iablonskio* Diſſ. V. *de terra Goſen*, §. IX, p. 58. interpretarer ⲁⲧ-ⲓⲟⲙ, *το περας της θαλασσης terminus maris*. Verum Exod. I, 11. memoratur *Pithom*. Coptus interpres habet ⲡⲉⲑⲱⲙ, id vero ſignificat locum *clauſum*, *munitum*, *macerie cinctum*, & hunc locum ab Herodoto memoratum & in vicinia Bubaſteos ad fauces montium verſus Arabiam ſitum, & Πατȣμον appellatum fuiſſe ſuſpicor. Ethnicographus eandem urbem deſcribit: Πατȣμος πολις Αραβιας. Inter Epiſcopatus Auguſtamnicæ apud Pocockium legitur Θου, at Commanvilleus habet Θουμ, quod idem credo eſſe cum ⲑⲱⲙ & articulo ⲡⲉ, indeque conflato nomine ⲡⲉⲑⲱⲙ. In Notitia Imperii quoque reperitur: *Cohors prima Auguſta Pannoniorum Tohu*. Noſtra ætate ad fauces montium Arabicorum eſt *El-bueb*, Portula, forte in eodem loco quem olim *Patumos* vel *Petom* occupavit.

XVIII.



XVIII. *Tzoan*, צען, *Tanis*.

LXX Interpretes Num. XIII, 23. & Pſ. LXXVIII, 12. vocem Τανις ſubſtituunt pro צען: at apud Interpret. Copt. Pſ. LXXVIII. & Kircherum in Scala Coptica eadem urbs quoque appellatur ϫⲁⲛⲏ, verum in Copto interprete Pentateuchi, non niſi vox ⲧⲁⲛⲓⲛ legitur. Nomen ϫⲁⲛⲏ a ϫⲏⲛ *planus*, *laevis*, derivatum eſſe, vix dubito, hinc & Pſ. CXII, 6. & CXXXVII, 6. τα ταπεινα ⲛⲓ ϫⲁⲛⲉⲩ, Coptus interpretatur. Et quia *Tanis* in *campo*, *planitie*, & verſus loca depreſſa, humilia, prope lacus magnos eſſet ſita, utique potuit dici: Ⲃⲁⲕⲓ ⲉⲧⲕⲱⲧ ϩⲉⲛ ⲛⲓ ϫⲁⲛⲉⲩ *Urbs ſtructa verſus depreſſa* vel Ⲃⲁⲕⲓ ϫⲁⲛⲏ urbs depreſſa. Hic jam obſervabis mecum Hebræos Aegyptiorum ϫ non raro per צ expreſſiſſe, uti ſupra monui ad vocem *Baal Tzephon*.

XIX. תחפנחס *Daphne Peluſiæ*.

LXX Interpretes plerumque vocem תחפנחס exprimunt voce Ταφνας, quæ Herodoteum Δαφνας eſſe videtur. A Peluſio in Auſtrum vel Libycum ſita, ubi Nilus flectitur & promontorium quaſi format, unde locus undique pene aquis fluminis cinctus, facile emuniri poterat, & ob aquarum copiam amœniſſimum certe caſtellum fuiſſe hoc patet; hic indigenæ cuſtodiam habebant contra vicinos Arabes latrocinia agentes ex Aegypto, regione fertili ac divite. Aegyptii promontoria

cornua

cornua vocare consueverant, sic Strabo *Agni cornu* describit supra Bolbitinum ostium: igitur hic locus amœnissimus in promontorium excurrens meruit dici ⲦⲀⲠⲈⲚⲈⲤⲈ *cornu amoenum*, *Tapenese*, & id nomen *Daphnes* æque ac *Thachpanches* exprimit. Hodie locus in vicinia *Tina* seu Pelusii situs & *Safnas* dictus, videtur vestigia antiqui nominis conservare; quod non raro in nominibus Aegyptiis reperi. Sic urbs nunc dicta *Rosette* est antiqua *Bolbitina* urbs, quod jam Vanslebius observavit in Catalogo Episcopatuum Aegypti ad calcem historiæ patriarchatus Alexandrini: & Aegyptiis ⲣⲱⲓ est *porta* vel *ostium*, ⲤⲀⲦ Agyptiaco sermone sunt *βολβιτα*: ⲣⲱⲓⲤⲀⲦ est *ostium Bolbitinum* & urbs ipsa ⲂⲀⲔⲒ ⲚⲦⲈ ⲣⲱⲓⲤⲦⲀ *urbs ostii stercoris* appellata.

XX. *Sin* סין *Pelusium*.

Quum nondum rationes exposueris, quamobrem non faveas receptæ opinioni quæ סין facit Pelusium, id tantum moneo, mirum omnium linguarum consensum in exprimenda significatione *luti*, in hoc nomine, pro ea militare: nam & Hieronymus nobis servavit nomen Aegyptiacum Pelusii, in Vita S^ti^ Hilarionis Epistola LI. p. 161. *Quinto igitur profectus die, venit Pelusium, visitatisque fratribus qui in vicina eremo erant & in loco qui dicitur Lychnos morabantur* &c. ⲖⲞⲒϨⲒ ⲚⲞⲨⲎϨ *Loichinoueh Luti habitatio*, *Lutetia*, *Lychnos* esse debet: & ob



XVIII. *Tzoan*, צען, *Tanis*.

LXX Interpretes Num. XIII, 23. & Pſ. LXXVIII, 12. vocem Τανις ſubſtituunt pro צען: at apud Interpret. Copt. Pſ. LXXVIII. & Kircherum in Scala Coptica eadem urbs quoque appellatur ϫⲁⲛⲏ, verum in Copto interprete Pentateuchi, non niſi vox ⲧⲁⲛⲓⲛ legitur. Nomen ϫⲁⲛⲏ a ϫⲏⲛ *planus*, *laevis*, derivatum eſſe, vix dubito, hinc & Pſ. CXII, 6. & CXXXVII, 6. τα ταπεινα ⲛⲓ ϫⲁⲛⲉⲩ, Coptus interpretatur. Et quia *Tanis* in *campo*, *planitie*, & verſus loca depreſſa, humilia, prope lacus magnos eſſet ſita, utique potuit dici: ⲂⲀⲔⲒ ⲈⲦⲔⲰⲦ ϨⲈⲚ ⲚⲒ ϪⲀⲚⲈⲨ *Urbs ſtructa verſus depreſſa* vel ⲂⲀⲔⲒ ϪⲀⲚⲎ urbs depreſſa. Hic jam obſervabis mecum Hebræos Aegyptiorum ϫ non raro per צ expreſſiſſe, uti ſupra monui ad vocem *Baal Tzephon*.

XIX. תחפנחס *Daphne Peluſiæ*.

LXX Interpretes plerumque vocem תחפנחס exprimunt voce Ταφναι, quæ Herodoteum Δαφναι eſſe videtur. A Peluſio in Auſtrum vel Libycum ſita, ubi Nilus flectitur & promontorium quaſi format, unde locus undique pene aquis fluminis cinctus, facile emuniri poterat, & ob aquarum copiam amœniſſimum certe caſtellum fuiſſe hoc patet; hic indigenæ cuſtodiam habebant contra vicinos Arabes latrocinia agentes ex Aegypto, regione fertili ac divite. Aegyptii promontoria

cornua

cornua vocare consueverant, sic Strabo *Agni cornu* describit supra Bolbitinum ostium: igitur hic locus amoenissimus in promontorium excurrens meruit dici ⲦⲀⲠⲈⲚⲈⲤⲈ *cornu amoenum*, *Tapenese*, & id nomen *Daphnes* æque ac *Thachpanches* exprimit. Hodie locus in vicinia *Tina* seu Pelusii situs & *Safnas* dictus, videtur vestigia antiqui nominis conservare; quod non raro in nominibus Aegyptiis reperi. Sic urbs nunc dicta *Rosette* est antiqua *Bolbitina* urbs, quod jam Vanslebius observavit in Catalogo Episcopatuum Aegypti ad calcem historiæ patriarchatus Alexandrini: & Aegyptiis ⲣⲱⲓ est *porta* vel *ostium*, ⲥⲀⲦ Agyptiaco sermone sunt *βολβιτα*: ⲣⲱⲓⲥⲀⲦ est *ostium Bolbitinum* & urbs ipsa ⲂⲀⲔⲒ ⲚⲦⲈ ⲣⲱⲓⲥⲦⲀ *urbs ostii stercoris* appellata.

XX. *Sin* סין *Pelusium*.

Quum nondum rationes exposueris, quamobrem non faveas receptæ opinioni quæ סין facit Pelusium, id tantum moneo, mirum omnium linguarum consensum in exprimenda significatione *luti*, in hoc nomine, pro ea militare: nam & Hieronymus nobis servavit nomen Aegyptiacum Pelusii, in Vita S[ti] Hilarionis Epistola LI. p. 161. *Quinto igitur profectus die, venit Pelusium, visitatisque fratribus qui in vicina eremo erant & in loco qui dicitur Lychnos morabantur* &c. ⲖⲞⲒϨⲒ ⲚⲞⲨϨⲎϨ *Loichinoueh Luti habitatio*, *Lutetia*, *Lychnos* esse debet; & ob



consensum nominis loci Pelusio admodum vicini, eundem esse suspicor cum Arabum *Tinah* & Hebræo סן. Sin vocatur *munimentum* Aegypti Ezech. XXX, 15.

XXI. *Moph & Noph* מף, נף

Certe utrumque nomen videtur pro Memphi usurpatum fuisse, nam Hos. IX, 6. LXX Interpretes Memphin substituunt. *Plut. de Isid.* ορμον αγαθων significare Memphin refert. Apis bos, αγαθος δαιμων, bonus genius Niliacus ibi cultus, & post XXV. annorum vitam ibi sepultus prope Vicum Busirin; unde *portus, collectio bonorum geniorum* erat. ⲚⲞⲨϤⲒ est, *bonus* & pro *bono genio* nonnunquam usurpabatur *Iablonskii Panth.* Lib. I. c. IV. §. 10. p. 99. ⲘⲈϨ vel ⲘⲞϨ significat *plenum* vel πληρωμα, & *collectio*, συϛημα, unde ⲘⲞϨⲚⲞⲨϤⲒ πληρωσις τȣ αγαθȣ vel ορμος αγαθων. Non raro & solum nomen ⲚⲞⲨϤⲒ, omisso vocabulo ⲂⲀⲔⲒ vel alio simili huic urbi datum fuisse, patet. Arabes in Aegypto eandem vocant *Menuf il elie*, Memphin superiorem; ut eam distinguant ab *Onuphi* in Delta sita, quam *Menuf il sefli* Memphin inferiorem appellant. *Kircherus* p. 207. habet ⲠⲀⲚⲞⲨϤⲢⲎⲤ منوف العليا Memphis superior & ⲠⲀⲚⲞⲨϤϬⲎⲦ منوف السفلي Memphis inferior. ⲠⲀ voci præfixum denotat rem spectare pertinere ad eam rem cujus nomini præfigitur: sic ⲠⲀⲚⲞⲨϤⲒ est *Urbs pertinens, spectans ad bonum genium;* verum quod

addit

addit ⲣⲏⲥ id significat hic intelligendam *australem* urbem hujus nominis ⲡⲁⲛⲟⲩϥϧⲏⲧ rectius scribendum erat ⲡⲁⲛⲟⲩϥⲙⲁϩⲓⲧ *Onuphis septentrionalis.*

XXII. חנס *Chanes.*

Mihi videtur esse eadem urbs, quam Cassianus *Thennesum* appellat & in lacu Mendesio sitam refert; tempore Cassiani vix tantum soli erat circa urbem ut novas ædes struere possent, ideoque navibus solum petebant, erat enim cincta paludibus salsis; sed antea fuerat locus cultus & amœnissimus; verum terræ motu & ventis procellosis, marique superfuso deleta. A priori urbis statu nomen habuit ⲃⲁⲕⲓ ⲧⲉⲛⲉⲥⲉ *urbs amœna;* & regio circa urbem erat vocata ⲭⲁ - ⲉⲛⲉⲥⲉ *terra amœna. Chœnese.*

XXIII. *Seveneh, Syene* סונה

Syene plerumque creditur esse סונה Varie nomen hoc scriptum a Græcis, latinisque auctoribus. Athanas. tom. 2. Ep. ad solitariam vitam agentes, refert Hieracem & Dioscorum exules missos in lapidicines *Soines.* In Marmore ap. Pocockium Σωηνη scribitur sic & Alexandrinus interpres Suidæ Συηνια. Erat certe *prima Aegypti habitatio* versus Aethiopiam unde & nomen, idem significans habuit ⲥⲱⲟⲩⲁⲓ - ⲛⲱⲟⲩⲏϩ *prima habitatio.*



XXIV. *Phul* פול Ief. LXVI. 19.

Phila forte hic intelligenda, quæ ſupra Syenen & Cataractam in Inſula erat ſita, unde *alta habitatio* dici meruit ⲯⲱⲟⲩⲏϫⲁⲗⲏⲓ vel ⲯⲱⲟⲩⲱϫⲁⲗⲏⲓ, ſed non ſolum *Philas*, verum potius, omnem Nubiam voce פול exprimi poſſe, credo: quæ certe eſt *ſuperior habitatio* quam reliqua Aegyptus.

XXV. *Bubaſtus Pibeſeth* פי - בסת

Bubaſtum eſſe intelligendam per Pi - beſet oſtendit Iablonskius Panthei L. III. c. 3. §. 11. p. 82. 83. & Bubaſti, numinis nomen derivatum eſſe vult a Ⲡ-ϫⲱⲱⲟⲩⲁϣϯ; ſed ⲡ articulus quoque legitur ⲡⲉ dialecto Thebaidis, & communi ⲡⲓ: unde ⲡⲓ - ϫⲱⲱⲟⲩⲁϣϯ-ϯⲱⲓ *Bubaſteos portio*, videtur fuiſſe appellata Bubaſtus urbs..

XXVI. *Cham.* חם Pſ. CV. 23, 27.

Omnes interpretes hic Aegyptum intelligere credo ſub voce חם. Verum non a Chamo Noachi filio Aegyptum terram Cham vocatam fuiſſe perſvaſus ſum, nam ſi hæc nominis hujus ratio eſſet, omnes regiones a filiis Chami habitatas, æquo jure *terram Chami* dici potuiſſe pateret: nec ulla ratio iniri poſſet cur Aegyptus potius *terra Chami* diceretur, quam reliquæ terræ a


proge-

progenie Chami possessæ: alia igitur hujus nominis significatio esse debet. Aegyptii suam terram lingua Coptica ⲭⲏⲙⲓ appellant, quod jam *Plutarch. de Isid.* observavit. Ετι την Αιγυπτον εν τοις μαλιϛα μελαγγειον ουσαν ωσπερ το μελαν τȣ οφθαλμȣ χημιαν καλουσι. Verum video a Plutarcho rationem reddi, cur sic appellata fuerit Aegyptus, nempe ob *nigredinem soli.* Stephanus & Suidas Μελαμβωλον nomen Aegypti fuisse asserunt. Homerus etiam *aquam* Aegypti *nigram* fuisse vult Οδυσσ. Δ. 358. μελαν υδωρ. Plutarch. & Eustath. in Dionys. Nilum ipsum quoque Μελαν appellant. Mirum certe plures eadem observasse. Aegyptiorum sacerdotes frequenter vocabula rerum in lingua sacerdotali permutabant; ludere id verbis nos diceremus, apud illos sapientiæ ductum. ⲭⲏⲙⲓ, & Dialecto Thebaidis ⲕⲏⲙⲉ est valde affinis voci ⲭⲁⲙⲉ quæ Dialecto Thebaidis est ⲕⲁⲙⲉ & *nigrum* significat: hanc credo originem horum nominum fuisse. Sed *Stephanus* quoque aliud nomen Aegypti observat, nempe Ερμοχυμιος. *Hesychius* habet hæc verba Ερμοχυμιος γη, η Αιγυπτος το προτερον ουτως εκαλειτο. Stephani lectio melior: sed pro utraque voce mallem legere Ερμοχημιος. Aegypti fertile solum, *aquam* quoque *nigram*, *turbulentam faciebat*, & hoc idem ⲉⲣ-ⲙⲱⲟⲩ-ⲭⲁⲙⲉ significat; *faciens aquam nigram.* Quum jam Homerus de hoc nomine

F inau-



inaudiviſſe aliquid videatur, non mirum etiam ſacrum vatem *terram* ⲭⲁⲙⲉ, חם pro Aegypto uſurpaſſe; nam Homerus Davide non multo recentior fuit: a morte Davidis, ad tempus, quo ſecundum Marmor Parium Homerus floruit 110 ſunt anni.



LIPSIÆ

LITERIS BREITKOPFIIS

Michaelis

I.D. Michaelis

Spicilegium geographiae..

14842

May 8 '61	J. Sigan Green
AUG 24 1966	INTERLIBRARY LOAN Rice U
NOV 27 1974	Duke Interlibrary Loan
JAN 17 1975	

14842

Michaelis

I.D. Michaelis

Spicilegium georgraphia e

May 8 '61 J Ryan
AUG 24 1964 INTERLIBRARY LOAN
Rice U.

